M

C. IVLII
CAESARIS

ALDI EDITIO

Specularia ex lapide Hispanico, qui vitri modo pellucidus in quamlibet tenues crustas findebatur. Plin. lib. 3. cap. 3. lib. 36. cap. 12

Martialis. Hibernis obiecta notis specularia puros Admittunt soles, et sine sole diem.

Seneca lib. 14 epist. Quaedam nostra demum memoria prodiisse scimus, ut speculariorum usu perlucente testa clarum transmittentium lumen. Mentio eorum in l. 9 §1. Quod vi aut clam. in l. 12 § specularia de instruct. vel instrum. leg.

Pag. 72

Corr. Phocionis curia. id est Cato.

Malasp. Iacent enim illa. Sane, ut fecus Curianus, etiane videntur. Idem Lamb.

Bosius πλάσεις Curiana

Ego Manutio assentior.

M. TVLLII

CICERONIS EPISTOLAE

AD

T. POMPONIVM ATTICVM

Ex fide vetustissimorum codicum emendatæ, studio & opera SIMEONIS BOSII Prætoris Lemouicensis.

EIVSDEM ANIMADVERSIONES

Ad amplissimum virum

PHILIPPVM HVRALTVM CHIVERNIVM

Galliæ Procancellarium.



RATIASTI LEMOVICVM,
APVD HVGONEM BARBOVM,
ANNO CIↃ IↃ XXC.
EX PRIVILEGIO REGIS.

SIMEO BOSIVS PRAETOR LEMOVICENSIS PHILIPPO HVRALTO CHIVERNIO *Galliæ Procancellario.* S.

NON *leuis fuit olim controuersia, clarissime Huralte Chiuerni, vsúne potius & assidua rerum tractatione, an præceptis veterum scriptorum, qui ætatem omnem in litteris egissent, recta Reipublicæ administrandæ ratio disceretur. Qua in disceptatione cùm alij aliorum sententiam multis argumentis oppugnarent, & hi quidem rudium & ineruditorum Reipublicæ moderatorum tyrociniis plærumque statum ciuitatum subuerti; illi verò non rebus dispiciendis, & contemplandis, sed agendis, & tractandis, ciuilem contineri societatē traderent, nimiáque dissidentium pertinacia grauiter vtrinque peccaretur, tandem extiterunt cùm apud Græcos, tum apud*

Latinos, viri non pauci, multiplici doctrina, varióque rerum vsu præstantes, qui, suo exemplo, posse hoc dissidium bellissimè componi vtriusque studij participatione docuerunt. Ac, vt alios omittam, in primis M. Tullius Cicero, cùm ex vberrimis Græcorum fontibus non modò ornatè dicendi copiam, sed etiam ciuilem scientiam affatim hausisset, ita se ad Rempublicam administrandam contulit, itáque in ea versatus est, vt alium in consiliis dandis prudentiorem, aut in iis quæ semel decreta fuissent exequendis diligentiorem, patriæue & bonorum omnium amantiorem, & contra nefariis & sceleratis ciuibus infensiorem ea tempora tulerint neminem. Cui rei testimonio sunt cùm alia multa præclari eius ingenij monumenta, tum verò maximè sexdecim epistolarum libri ad T. Pomponium Atticum scripti, in quibus de retinendis ordinum studiis, de viciis principum, de

pace concordiáq; inter dissentientes ciues iungenda, de fulciendo stabiliendóq; statu Reipublicæ iam iam ad exitium ruentis ita prudenter disserit, vt dubium non sit, quin ciuitas Romana funestam eam cladem, quæ ei tunc accidit, fuerit euasura, si apud perditissimos homines, rerúmque nouarum auidissimos, sapientissimi illius viri auctoritas aliquid ponderis habuisset. Licet præterea eodem libro, tanquam in speculo, miseram eorum temporum faciem comtemplari, quibus non modò Italia, sed vniuersus pæne terrarum orbis primùm Cæsaris & Pompeij, tum Antonij & Octauij dissidiis grauiter concussus, & labefactatus est. Quapropter cùm ex illo publici infortunij spectaculo ante annos quindecim sperarem dolori meo, quem tum de Galliæ intestino bello flagrantis calamitate susceperam, posse solatij aliquid adferri, simúlque non alienum ducerem ab institutis iuris Ciuilis studiis in eius

ſcripti lectione ſedulò verſari, in quo paſſim multa veteris iuris Romani extarent impreſſa veſtigia, lubentiſſimè eum librũ in manus ſumpſi, méque totum ad eum legendum applicaui. Verùm non longè poſtea fuit, cùm me ab eo ſtudio duæ potiſſimùm res abduxerunt, de quibus initio minimè cogitaram. Tot enim mendis obſeſſas ſingulas paginas, tam denſiſque tenebris obductas plæraſque ſententias deprehendi, vt præter inanem operam, reliqui nihil eſſet, quod ex ea lectione reportarem. Itaque ab incœpto eo vſque deſtiti, donec veteres eos codices nactus ſum, quorum ope obices illi ſubmoueri poſſent, qui legentis curſum priùs identidem retardabant. Et ſanè ex accurata priſcorũ illorum exemplarium cum excuſis contentione id commodi conſequutus ſum, vt, deletis maculis, quibus totus ille liber fœdiſſimè inquinabatur, permulta facillimè intellexerim, quæ mihi antea numeris

Platonis obſcuriora videbantur. Ac ne mihi tantùm viam illam ſtrauiſſe & complanaſſe ad optimi auctoris intelligentiam exiſtimarer, quampaucisſimis potui, perſtrinxi quicquid inter legendum occurrebat, quod ab aliis prætermiſſum animaduerſione dignum iudicarem. Id verò cùm in lucem proferre decreuiſſem, tibi potiſſimum multis de cauſſis dicandum putaui. Nemo enim hac ætate viuit (Chriſtianiſſimum & optimum Regem noſtrum, ceteróſque illuſtriſſimos Principes excipio) cui plura, maioráque beneficia Galli accepta referre debeant, quàm tibi. Tu enim, conſtitutis prudentiſſimo tuo conſilio Gallicis rebus, exulantē hinc æqui boníque rationem poſt multos annos quaſi poſtliminio reduxiſti, præcisáque facinoroſis hominibus omni ſpe veniæ, labantem antea effuſa licentia Reipublicæ noſtræ ſtatū ita ſuppliciorum terrore confirmaſti, vt boni omnes illo tranquillitatis otio, quod mul-

toties antea frustra exoptarant, se diu potituros tuo præsidio confidant. Quæ omnia tentasse quidem suo tēpore Ciceronem, sed vi nefariorum hominum repressum perficere nō potuisse ex eo libro cognosces; eóque infortunatior cēsenda Italia, quàm Gallia, quòd quibus consiliis hæc prope ab interitu per te reuocata est, iisdem à Cicerone profectis illa funestissimam pristini status mutationem vitare nequiuerit. Sed de tuis in Galliam meritis plura si scribā, vereor ne culpa ingenij laudes tuas detere re videar. Hoc igitur tantùm addam, me ea quoque de caussa hunc tibi librum nuncupasse, vt discant tuo exemplo politici homines Ciceronem in iuuanda salubribus consiliis Republica gnauiter imitari. Vale. Ratiasti Lemouicum, V. IDVS OCTOB.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM LIB. PRIMVS.

CICERO ATTICO SAL. I.

PETITIONIS *nostræ, quam tibi summæ curæ esse scio, huiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura prouideri possit. Prensat vnus P. Galba. sine fuco ac fallacijs, more maiorum, negatur. vt opinio est hominum, non aliena rationi nostræ fuit illius hæc præpropera prensatio. nam illi ita negant vulgo, vt mihi se debere dicant. ita quiddam spero nobis profici, cùm hoc percrebescit, plurimos nostros amicos inueniri. Nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his literis proficisci Cincius dicebat, in campo, comitijs Tribunicijs,* A. D. XVI. KAL. *Sext. Competitores, qui certi esse videantur, Galba, & Antonius, & Q. Cornificius. puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse. Vt frontem ferias, sunt, qui etiam Cæsonium putent. Aquillium non arbitramur, qui denegat, & iurauit morbum, & illud suum regnum iudiciale opposuit. Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. De Aufidio, & Palicano, non puto te expectare dum scribam. De ijs, qui nunc petunt, Cæsar certus putatur. Thermus cum Silano contendere existimatur; qui sic inopes & ab amicis, & existimatione sunt,*

vt mihi videatur non esse ἀδύνατον *Curium obducere. sed hoc præter me nemini videtur. Nostris rationibus maximè conducere videtur, Thermum fieri cum Cæsare. nemo est enim ex ijs, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur; propterea quòd curator est viæ Flaminiæ, quæ tum erit absoluta sanè facilè. tum libens* θέρμον *ciceri Consul. accuderim. Petitorum hæc est adhuc informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo summam adhibebimus diligentiam: & fortasse, quoniam videtur in suffragijs multum posse Gallia, cùm Roma à iudicijs forum refrixrit, excurremus mense Septembri legati ad Pisonem, vt Ianuario reuertamur. Cùm perspexero voluntates nobilium, scribam ad te. cetera spero prolixa esse, his duntaxat vrbanis competitoribus. Illam manum, tu, mihi, cura, vt præstes, quoniam propiùs abes, Pompeij, nostri amici. nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non venerit. Atque hæc huiusmodi sunt. Sed est, quod abs te mihi ignosci peruelim. Cæcilius, auunculus tuus à P. Vario cùm magna pecunia fraudaretur, agere cœpit cum eius fratre Caninio Satrio de ijs rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. vna agebant ceteri creditores, in quibus erat Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant magistrum fore, si bona venirent, L. Pontius. verùm hoc ridiculum est, de magistro nunc cognoscere. rogauit me Cæcilius, vt adessem contra Satrium. dies fere nullus est, quin hic Satrius do-*

mum meam ventitet. obseruat L. Domitium maximè: me habet proximum. fuit & mihi, & Quincto fratri magno vsui in nostris petitionibus. sanè sum perturbatus, cùm ipsius Satrij familiaritate, tum Domitij, in quo vno maximè ambitio nostra nititur. demonstraui hæc Cæcilio: simul & illud ostendi, si ipse vnus cum illo vno cõtenderet, me ei satisfacturum fuisse: nunc in caussa vniuersorum creditorum, hominum præsertim amplissimorum, qui sine eo, quem Cæcilius suo nomine perhiberet, facilè caussam communem sustinerent, æquum esse, eum & officio meo consulere, & tempori. duriùs accipere hoc mihi visus est, quàm vellem, & quàm homines belli solent: & postea prorsùs ab instituta nostra paucorum dierum consuetudine longè refugit. Abs te peto, vt mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem miserrimo eius tempore venirem: cùm is omnia sua studia, & officia in me contulisset. quòd si voles in me esse durior, ambitionem putabis mihi obstitisse. ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscendum esse: ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην. *vides enim, in quo cursu sumus, & quàm omnes gratias non modò retinendas, uerum etiam acquirendas putemus. Spero tibi me caussam probasse; cupio quidem certè. Hermathena tua valde me delectat, & posita ita bellè est, vt totum gymnasium* ἡρῴου ἀνάθημα *esse videatur. multum te amamus.*

CICERO ATTICO. S. II.

L. IVLIO *Cæsare, C. Marcio Figulo* COSS. *filiolo me auctũ scito, salua Terentia. Abs te tam diu nihil literarum? Ego de meis ad te rationibus scripsi antea diligenter. Hoc tempore Catilinam, competitorem nostrum, defendere cogitamus. iudices habemus, quos voluimus, summa accusatoris voluntate. spero, si absolutus erit, coniunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. Tuo aduentu nobis opus est maturo. nam prorsus summa hominum est opinio, tuos familiares, nobiles homines, aduersarios honori nostro fore. ad eorum voluntatem mihi conciliandam maximo te mihi vsui fore video. quare Ianuario mense, vt constituisti, cura vt Romæ sis.*

CICERO ATTICO. S. III.

AVIAM *tuam scito desiderio tui mortuam esse, & simul, quòd verita sit, ne Latinæ in officio non manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent. eius rei consolationem ad te L. Saufeium missurum esse arbitror. Nos hic te ad mensem Ianuarium expectamus, ex quodam rumore, an ex literis tuis ad alios missis? nam ad me de eo nihil scripsisti. Signa, quæ nobis curasti, ea sunt ad Caietam exposita. nos ea non vidimus. neq; enim exeundi Roma potestas nobis fuit. misimus qui pro*

vectura solueret. te multùm amamus, quòd ea abs te diligenter, paruóq; curata sunt. Quod ad me sæpe scripsisti de nostro amico placando, feci, & expertus sum omnia: sed mirandum in modum est animo abalienato: quibus de suspicionibus, etsi audisse te arbitror, tamen ex me, cùm veneris, cognosces. Sallustium præsentem restituere in eius veterem gratiam non potui. hoc ad te scripsi, quòd is me accusare de te solebat. at in se expertus est illum esse minus exorabilem, meum studium nec tibi defuisse. Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus. ^ nec sibi

CICERO ATTICO. S. IV.

C R E B R A S *expectationes nobis tui commoues. nuper quidem, cùm iam te aduentare arbitraremur, repente abs te in mensem Quinctilem reiecti sumus. nunc verò censeo, quod commodo tuo facere poteris, venias ad id tempus, quod scribis. obieris Quincti fratris comitia; nos longo interuallo viseris; Acutilianã controuersiam transegeris. hoc me etiam Peduceus, vt ad te scriberem, admonuit. putamus enim vtile esse, te aliquando iam rem transigere. mea intercessio parata & est, & fuit. Nos hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus. cui cum æqui fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione, illo damnato, cepimus, quàm ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est; & orna-*

possis, + quib. [illegible] litatim [illegible] bar. Edi[illegible]

mentum Academiæ proprium meæ, quòd et Hermes commune omnium, & Minerua singulare est insigne eius gymnasij. quare velim, vt scribis, ceteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes. Quæ mihi antea signa misisti, ea nondum vidi. in Formiano sunt: quò ego nunc proficisci cogitabam. illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietam, si quando abundare cœpero, ornabo. Libros tuos conserua; & noli desperare, eos me meos facere posse. quod si assequor, supero Crassum diuitijs, atque omnium vicos, & prata contemno.

CICERO ATTICO S. V.

QVANTVM *dolorem acceperim, & quanto fructu sim priuatus & forensi, & domestico, Lucij fratris nostri morte, in primis pro nostra consuetudine tu existimare potes. nam mihi omnia, quæ iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, cùm & meo dolore moueare, & ipse omni virtute, officióque ornatissimum, tuique & sua sponte, & meo sermone amantem, affinem, amicúmque amiseris. Quod ad me scribis de sorore tua; testis erit tibi ipsa, quantæ mihi curæ fuerit, vt Quincti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet: quem cùm esse offensiorem arbitrarer, eas literas ad eum misi, quibus & placarem vt fratrem, & monerem vt minorem, & obiurgarem vt errantem. itaque ex ijs, quæ postea*

ſæpe ab eo ad me ſcripta ſunt, confido ita eſſe omnia, vt & oporteat, & velimus. De literarum miſſione, ſine cauſſa abs te accuſor. nunquam enim à Pomponia noſtra certior ſum factus, eſſe cui litteras dare poſſem. porrò autem neque mihi accidit, vt haberem, qui in Epirum proficiſceretur: neque dum te Athenis eſſe audiebamus. De Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras, vt primum à tuo digreſſu Romam veni, confeceram: ſed accidit, vt & contentione nihil opus eſſet, & vt ego, qui in te ſatis con ſilij ſtatuerem eſſe, mallem Peduceum tibi conſilium per literas, quàm me dare. etenim cùm multos dies aures meas Acutilio dediſſem; cuius ſermonis genus tibi notum eſſe arbitror; non mihi graue duxiſſem ſcribere ad te de illius querimonijs, cùm eas audire, quod erat ſubodioſum, leue putaſſem. ſed abs te ipſo, qui me accuſas, vnas mihi ſcito literas redditas eſſe, cùm & otij ad ſcribendum plus, & facultatem dandi maiorem habueris. Quod ſcribis, etiam ſi cuius animus in te eſſet offenſior, à me recolligi oportere; quid dicas: neque id neglexi: ſed eſt miro quodam modo affectus. ego autem, quæ dicenda fuerunt de te, non præterij. quid autem contendendum eſſet, ex tua putabam voluntate ſtatuere oportere: quam ſi ad me perſcripſeris, intelliges me neque diligentiorem eſſe voluiſſe, quàm tu eſſes, neque negligentiorem fore, quàm tu velis. De Tadiana re, mecum Tadius locutus eſt, te ita ſcripſiſſe, nihil eſſe iam, quod laboraretur, quoniam hereditas vſucapta eſſet. id mirabamur te ignorare, de tutela le-

gitima, in qua dicitur esse puella, nihil vsucapi posse. Epiroticam emptionem gaudeo tibi placere. Quæ tibi mandaui, & quæ tu intelliges conuenire nostro Tusculano, velim, vt scribis, cures, quod sine molestia tua facere poteris. nam nos ex omnibus molestijs, & laboribus vno illo in loco conquiescimus, quo fratrem quotidie expectamus. Terentia magnos articulorum dolores habet, & te, & sororem tuam, & matrem maximè diligit, salutémq; tibi plurimam adscribit, & Tulliola, deliciæ nostræ. Cura, vt valeas, & nos ames; & tibi persuadeas, te a me fraternè amari.

CICERO ATTICO. S. VI.

NON *committam posthac, vt me accusare de epistolarum negligentia possis. tu modò videto, in tanto otio vt par mihi sis. Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam, & exædificatam in animo habebas, M. Fontinus emit* HS CCCIↃↃↃXXX. *id te scire volui, si quid fortè ea res ad cogitationes tuas pertineret. Q. frater, vt mihi videtur, quo volumus animo est in Pomponiā & cum ea nunc in Arpinatibus prędijs erat, & secum habebat hominem* χρηστομαθῆ *D. Turranium. Pater nobis decessit* A. D. VIII. KAL. *Decemb. Hæc habebam ferè, quæ te scire vellem. Tu, velim, si qua ornamenta* γυμνασιώδη *reperire poteris, quæ loci sint eius, quem tu non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculano ita delectamur, vt nobismet ipsis tum deni-*

que, cùm illò venimus, placeamus. Quid agas omnibus de rebus, et quid acturus sis, fac nos quam diligentissimè certiores.

CICERO ATTICO. S. VII.

[tuam]

APVD matrem rectè est, eáque nobis curæ est. L. Cincio HS XX CD constitui me curaturum Idibus Febr. Tu, velim, ea, quæ nobis emisse, et parasse scribis, des operam, vt quam primum habeamus: & velim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis. omnem spem delectationis nostræ, quam, cùm in otium venerimus, habere volumus, in tua humanitate positam habemus.

CICERO ATTICO S. VIII.

APVD te est, vt volumus. mater tua, & soror à me, Quinctoque fratre diligitur. Cum Acutilio sum locutus. is sibi negat a suo procuratore quicquam scriptum esse, & miratur istam controuersiam fuisse, quòd ille recusarit satisdari, amplius abs te non peti. Quòd te de Tadiano negotio decidisse scribis, id ego Tadio & gratum esse intellexi, & magnopere iucundum. Ille noster amicus, vir mehercule optimus, & mihi amicissimus, sanè tibi iratus est. hoc, si, quanti tu æstimes, sciam, tum, quid mihi elaborandum sit, scire possim. L. Cincio HS CCIƆƆ CCIƆƆ CCCC. pro signis Megaricis, vt tu ad

me scripseras, curaui. Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti, iam nunc me admodum delectant. quare velim, & eos, & signaque cetera, quæ tibi eius loci, & nostri study, & tuæ elegantiæ esse videbuntur, quamplurima, quamprimúmq; mittas, & maximè quæ tibi gymnasy, xystiq; videbuntur esse. nam in eo genere sic studio efferimur, vt abs te adiuuandi, ab alys prope reprehendendi simus. si Lentuli nauis non erit, quò tibi placebit, imponito. Tulliola, deliciolæ nostræ, tuum munusculum flagitat, & me, vt sponsorem, appellat. mi autem abiurare certius est, quam dependere.

Sen. ca. ep. 20. pro mi dependet Epicurus. Aliud e bene depensum.

CICERO ATTICO. S. IX.

NIMIVM *rarò nobis abs te literæ afferuntur: cùm & multo tu faciliùs reperias, qui Romam proficiscantur, quàm ego, qui Athenas: & certius tibi sit, me esse Romæ, quàm mihi, te Athenis. itaque propter hanc dubitationem meam breuior hæc ipsa epistola est: quòd cùm incertus essem, vbi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus deuenire. Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer expecto. quidquid eiusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere, & arcæ nostræ confidito. genus hoc est voluptatis meæ: quæ γυμνασιώδη maximè sunt, ea*

l. v.

quæro. Lentulus naues suas pollicetur. peto abs te, vt hæc cures diligenter. Chilius te rogat, & ego eius rogatu, Ευμολπιδῶν πάτρια.

naui sua
ἴος
nauim suam

CICERO ATTICO. S. X.

C V M *essem in Tusculano, (erit hoc tibi pro illo tuo, Cùm essem in Ceramico) verumtamen cùm ibi essem, Roma, puer a sorore tua missus, epistolam mihi abs te allatam dedit, nuntiauitq;, eo ipso die post meridiem iturum eum, qui ad te proficisceretur. eo factum est, vt epistolæ tuæ rescriberem aliquid, breuitate temporis tam pauca cogerer scribere. Primùm tibi de nostro amico placando, aut etiam planè restituendo polliceor. quod ego, etsi mea sponte ante faciebam, eo nunc tamen & agam studiosiùs, & contendam ab illo vehementiùs, quòd tantam ex epistola voluntatem eius rei tuam perspicere videor. hoc te intelligere volo, pergrauiter illum esse offensum: sed quia nullam video grauem subesse causam, magnopere confido illum fore in officio, & in nostra potestate. Signa nostra, & Hermeraclas, vt scribis cùm commodissimè poteris, velim imponas, & si quid aliud οἰκεῖον eius loci, quem non ignoras, reperies, & maximè, quæ tibi palæstræ, gymnasiiq; videbuntur esse. etenim ibi sedens hæc ad te scribebam; vt me locus ipse admoneret. Præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere, & putealia sigillata duo. Bibliothecam tu-*

Hermas, quibus impositum erat Herculis caput.

am caue cuiquam despondeas, quamuis acrem amatorem inueneris: nam ego omnes meas vindemiolas eò reseruo, vt illud subsidium senectuti parem. De fratre, confido ita esse, vt semper volui, & elaboraui. multa signa sunt eius rei, non minimum, quòd soror prægnas est. De comitijs meis, & tibi me permisisse memini, & ego iampridem hoc communibus amicis, qui te expectant, prædico, te non modò nõ accersi à me, sed prohiberi; quòd intelligam multo magis interesse tua, te agere, quod agendum est hoc tempore, quàm mea, te adesse comitijs. proinde eo animo te velim esse, quasi mei negotij caussa in ista loca missus esses. me autem eum & offendes erga te, & audies, quasi mihi, si qua parta erunt, non modò te præsente, sed per te parta sint. Tulliola tibi diem dat; sponsorem appellat.

CICERO ATTICO. S. XI.

ET mea sponte faciebam antea, & post, duabus epistolis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis, magnopere sum commotus. eò accedebat hortator assiduus Sallustius, vt agerem quam diligentissimè cum Lucceio de vestra vetere gratia reconcilianda. sed, cùm omnia fecissem, non modò eam voluntatem eius, quæ fuerat erga te, recuperare non potui, verùm ne caussam quidem elicere immutatæ voluntatis. tametsi iactat ille quidem illud suum arbitrium, & ea, quæ iam tum, cùm aderas, offendere eius animum intelligebam. tamen habet

quiddam profectò, quod magis in animo eius insederit; quod neque epistolæ tuæ, neque nostra legatio tam potest facilè delere, quàm tu præsens non modò oratione, sed tuo vultu illo familiari tolles, si modò tanti putabis id; quod, si me audies, & si humanitati tuæ constare voles, certe putabis. ac, ne illud mirere, cur, cùm ego antea significarem tibi per literas, me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem videar diffidere; incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior, & in hac iracundia offirmatior; sed hæc aut sanabuntur, cùm veneris; aut ei molesta erunt, in vtro culpa erit. Quod in epistola tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse; scito, nihil tam exercitum esse nunc Romæ, quàm candidatos, omnibus iniquitatibus; nec, quando futura sint comitia, sciri. verùm hæc audies de Philadelpho. Tu, velim, quæ Academiæ nostræ parasti, quamprimum mittas. mire quàm illius loci non modò vsus, sed etiam cogitatio delectat. Libros verò tuos caue cuiquam tradas. nobis eos, quemadmodum scribis, conserua. summum me eorum studium tenet, sicut odium iam ceterarum rerum: quas tu, incredibile est, quàm breui tempore quanto deteriores offensurus sis, quàm reliquisti.

allegatio

CICERO ATTICO. S. XII.

TEVCRIS *illa lentum sanè negotium: neq; Cornelius ad Terentiam postea rediit. opinor, ad*

Considium, Axium, Selicium confugiendum est. nam à Cæcilio propinqui minore centesimis nummum mouere non possunt. sed, vt ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, astutius, lentius vidi. libertum mitto; Tito mandaui; σκήψεις, atque ἀναβολαί. sed nescio, an ταυτόματον ἡμῶν. nam mihi Pompeiani prodromi nuntiant, apertè Pompeium acturum, Antonio succedi oportere: eodemq; tempore aget Prætor ad populum. res eiusmodi est, vt ego nec per bonorum, nec per popularem existimationem honestè possim hominem defendere; nec mihi libeat, quòd vel maximum est. etenim accidit hoc, quod totum cuiusmodi sit, mando tibi, vt perspicias. Libertum ego habeo, sanè nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem, & clientem tuum. de eo mihi Valerius Interpres nuntiat, Chiliúsq; se audisse scribit hæc; esse hominem cum Antonio; Antonium porro in cogendis pecunijs dictitare, partem mihi quæri, & à me custodem communis quæstus libertum esse missum. non sum mediocriter commotus: neque tamen credidi: sed certè aliquid sermonis fuit. totum inuestiga, cognosce, perspice, & nebulonem illum, si quo pacto potes, ex istis locis amoue. huius sermonis Valerius auctorem Cn. Plancium nominabat. mando tibi planè, totum, vt videas, cuiusmodi sit. Pompeium nobis amicissimum constat esse. Diuortium Muciæ vehementer probatur. P. Clodium, Appij filium, credo te audisse, cum veste muliebri deprehensum domi C. Cæsaris, cùm pro populo fieret, eúmq; per manus Sep. Rullæ ser-

λογιστήν · Damia. Antistia, Aemilia, Mucia, Iulia, Cornelia. Tertia. Tertullae.

Pompeius cum Clodio putabatur adulterium fecisse--

uatum, & eductum; rem esse insigni infamia: quod te molestè ferre certo scio. Quid præterea ad te scribam, non habeo. & me hercule eram conturbatior. nam puer festiuus, anagnostes noster, Sositheus decesserat, meq́ plus, quàm serui mors debere videbatur, commouerat. Tu velim sæpe ad nos scribas. si rem nullam habebis, quod in buccam venerit scribito. KAL. *Ianuar. M. Messalla, M. Pisone* COSS.

CICERO. ATTICO S. XIII.

ACCEPI *tuas tris iam epistolas, vnam à M. Cornelio, quam Tribus Tabernis, vt opinor, ei dedisti; alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit; tertiam, quam, vt scribis, anchora soluta de phasello dedisti. quæ fuerunt omnes rhetorum. purè loquuntur, cùm humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis. quibus epistolis sum equidem abs te lacessitus ad scribendum; sed iccirco sum tardior, quòd non inuenio fidelem tabellarium. quotus enim quisque est, qui epistolam paulo grauiorem ferre possit, nisi eam pellectione releuarit? accedit eò, quòd mihi non est notum, vt quisque in Epirum proficiscatur. ego enim te arbitror, cæsis apud Amaltheam tuam victimis, statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum. neque tamen id ipsum certum habeo, quando ad Antonium proficisca re, aut quid in Epiro temporis ponas. ita neque Achaicis hominibus, neque Epiroticis paulo liberiores litteras committere audeo. sunt autem post dis-*

cessum à me tuum res dignæ litteris nostris, sed non committendæ eiusmodi periculo, vt aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint. Primùm igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam, præpositumq; esse nobis pacificatorem Allobrogum, idq; admurmurante Senatu, neque me inuito esse factum. sum enim & ab obseruando homine peruerso liber, & ad dignitatem in Rep. retinendam contra illius voluntatem solutus: & ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem pæne principis, & voluntatem non nimis deuinctam beneficio Consulis. Tertius est Catulus, quartus (si etiam hoc quæris) Hortensius. Consul autem ipse paruo animo & prauo, tantùm cauillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quàm facetus, ridiculus, nihil agens cum Repub. seiunctus ab optimatibus: à quo nihil speres boni Reip. quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet. eius autem collega & in me perhonorificus, & partium studiosus, ac defensor bonarum. quinimmo leuiter inter se dissident. Sed vereor, ne hoc, quod infectum est, serpat longiùs. credo enim te audisse, cùm apud Cæsarem pro populo fieret, venisse eò muliebri vestitu virum; idq; sacrificium cùm virgines instaurassent, mentionem à Q. Cornificio in Senatu factam: (is fuit princeps; ne tu forte aliquem nostrum putes) postea rem ex S. C. ad virgines, atque pontifices relatam, idq; ab ijs nefas esse decretum: deinde ex S. C. Consules rogationem promulgasse; vxori Cæsarem nuntium

remi-

remisisse. in hac caussa Piso, amicitia P. Clodij ductus, operam dat, vt ea rogatio, quam ipse fert, & fert ex S. C. *& de religione, antiquetur. Messalla vehementer adhuc agit seuerè. boni viri precibus Clodij remouentur à caussa; operæ comparantur. nosmet ipsi, qui Lycurgei à principio fuissemus, quotidie demitigamur. instat et vrget Cato. Quid multa? vereor, ne hæc, neglecta à bonis, defensa ab improbis; magnorum Reip. malorum caussa sit. Tuus autem ille amicus, (scin quem dicam?) de quo tu ad me scripsisti, postea quàm non auderet reprehendere, laudare cœpisse, nos, vt ostendit, admodum diligit, amplectitur, amat, apertè laudat; occultè, sed ita, vt perspicuum sit, inuidet. nihil come, nihil simplex, nihil* ἐν τοῖς πολιτικοῖς *honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum. Sed hæc ad te scribam alias subtilius; nam neq; adhuc mihi satis nota sunt: & huic, terræ filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo. Prouincias Prætores nondum sortiti sunt. res eodem est loci, quo reliquisti.* Ὑποθεσίαν, *quam postulas, Miseni, & Puteolorum, includam orationi meæ.* A. D III. NON. DEcemb. *mendosè fuisse animaduerteram. Quæ laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant: sed non audebam antea dicere. nunc verò, quòd a te probata sunt, multo mihi* ἀττικώτερα *videntur. in illam orationem Metellinam addidi quædam. liber tibi mittetur; quoniam te amor nostri* φιλορήτορα *redidit. Noui tibi quidnam scri-*

B

bam? quid? etiam. Messalla Consul Autronianam domum emit HS CCCCXXXVII. *quid id ad me, inquies? tantum, quòd ea emptione & nos bene emisse iudicati sumus: & homines intelligere cœperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam peruenire. Teucris illa lentum negotium est, sed tamen est in spe. tu ista confice. à nobis liberiorem epistolam exspecta.* VI. KAL. *Febr. M. Messalla, & M. Pisone.* COSS.

CICERO ATTICO. S. XIIII.

VEREOR, *ne putidum sit, scribere ad te, quam sim occupatus: sed tamen distinebar, vt huic vix tantulæ epistolæ tempus habuerim, atque id ereptum è summis occupationibus. Prima contio Pompeij qualis fuisset, scripsi ad te antea, non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non grauis. itaque frigebat. tum Pisonis Consulis impulsu leuissimus Tribunus pleb. Fufius in contionem produxit Pompeium. res agebatur in circo Flaminio: & erat in eo ipso loco illo die nundinarum* πανήγυρις. *quæsiuit ex eo, placeret ne ei, iudices à Prætore legi, quo consilio idem Prætor vteretur. id autem erat de Clodiana religone ab Senatu constitutum. tum Pompeius* μάλ' ἀριστοκρατικῶς *locutus est; Senatúsq; auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam videri, sempérq; visam esse, respondit, & id multis verbis.*

Postea Messalla Consul in Senatu de Pompeio quæsiuit quid de religione, & de promulgata rogatione sentiret. locutus ita est in Senatu, vt omnia illius ordinis consulta γενικῶς laudaret: mihiq́; vt assedit, dixit, se putare, satis ab se etiam de istis rebus esse responsum. Crassus posteaquam vidit illum excepisse laudem ex eo, quòd hi suspicarentur homines ei Consulatum meum placere, surrexit, ornatissiméq́; de meo Consulatu locutus est; vt ita diceret, se, quòd esset Senator, quòd ciuis, quòd liber, quòd viueret, mihi acceptum referre; quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium meum videre. Quid multa? totum hunc locum, quem ego variè meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere; de flamma, de ferro, (nosti illas ληκύθους) valde grauiter pertexuit. Proximè Pompeium sedebam. intellexi hominem moueri; vtrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse prætermisisset; an esse tantas res nostras, quæ tam libenti Senatu laudarentur, ab eo præsertim, qui mihi laudem illam eo minus deberet, quòd meis omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus esset? Hic dies me valde Crasso adiunxit: & tamen, ab illo apertè, tectè quidquid est datum, libenter accepi. ego autem ipse, dij boni! quo modo ἐνεπερπερευσάμην nouo auditori Pompeio? si vmquam mihi, περίοδοι, ἢ καμπαὶ, ἢ ἐνθυμήματα, ἢ κατασκευαὶ suppeditauerunt, illo tempore. Quid multa? clamores. etenim hæc erat ὑπόθεσις, de graui-

Ego cap. 7. lib. 14

Paulus · οὐ περπερεύεται. Basil. B ii ἐν ἀσκητικοῖς. Πᾶν ὃ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλλωπισμὸν παραλαμβάνεται, περπερείας ἔχει κατηγορίαν.

tate ordinis, de equestri concordia, de consensione Italiæ, de immortuis reliquijs coniurationis, de vtilitate, de otio. nosti iam in hac materia sonitus nostros: tanti fuerunt, vt ego eo breuior sim, quòd eos vsque istim exauditos putem. Romanæ autem se res sic habent. Senatus ἄρειος πάγος. nihil constantius, nihil seuerius, nihil fortius. nam cùm dies venisset rogationi ex S. C. *ferendæ, concursabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis; & populum, vt antiquaret, rogabant. Piso autem Consul, lator rogationis, idem erat dissuasor: operæ Clodianæ pontis occuparant. tabellæ ministrabantur, ita vt nulla daretur* VTI ROGAS. *hîc tibi Rostra Cato aduolat, conuicium Pisoni Consuli mirificum facit; si id est conuicium, vox plena grauitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. accedit eodem etiam noster Hortensius, multi præterea boni. insignis verò opera Fauonij fuit. hoc concursu optimatum comitia dimittuntur: Senatus vocatur. cùm decerneretur frequenti Senatu, contra pugnante Pisone, ad pedes omnium singillatim accidente Clodio, vt Consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam; homines ad* XV. *Curioni nullum* S. C. *facienti assenserunt: ex altera parte facilè* CCCC *fuerunt. acta res est. Fufius Trib. tum concessit. Clodius contiones miseras habebat, in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messallam Consulem contumeliosè lædebat; me tantùm comperisse omnia crimina-*

a
Ego cap. xi. lib. xii.
Cornuti.
i
tantum hon [illegible]perisse

batur. Senatus & de prouinciis Prætorum, & de legationibus, & de ceteris rebus decernebat, vt ante, quàm rogatio lata esset, ne quid ageretur. Habes res Romanas. sed tamen etiam illud, quod non speraram, audi. Messalla Consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator. ille alter vno vitio minus vitiosus; quòd iners, quòd somni plenus, quòd imperitus, quòd ἀπρακτότατος, *sed voluntate ita* καχέκτης, *vt Pompeium post illam contionem, qua ab eo Senatus laudatus est, odisse cœperit. itaque mirum in modum omnes à se bonos alienauit. neque id magis amicitia Clodii adductus facit, quàm studio perditarum rerum, atque partium. sed habet sui similem in magistratibus, præter Fufium, neminem. bonis vtimur Tribunis pleb. Cornuto verò pseudocatone. Quid quæris? nunc vt ad priuata redeam,* Τεῦκρις *promissa patrauit. tu mandata effice, quæ recepisti. Quinctus frater, qui Argiletani ædificii reliquum dodrantem emit* H S DCCXXV, *Tusculanum venditat, vt si possit, emat Pacilianam domum. Cum Lucceio in gratiam redi. video hominem valde petiturire. nauabo operam. Tu, quid agas, vbi sis, cuiusmodi istæ res sint, fac me quamdiligentissimè certiorem. Idibus Febr.*

CICERO ATTICO. S. XV.

ASIAM *Quincto, suauissimo fratri, obtigisse*

Aesilles Achi- Iliad. χ.

audisti: non enim dubito, quin celeriùs tibi hoc rumor, quàm vllius nostrum litteræ nuntiarint. nunc quoniam & laudis auidissimi semper fuimus, & præter ceteros φιλέλληνες & sumus, & habemur, & multorum odia, atque inimicitias Reip. caussa suscepimus; παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, curaq́ effice, vt ab omnibus & laudemur & amemur. His de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam ipsi Quincto dabo. Tu me, velim, certiorem facias, quid de meis mandatis egeris, atque etiam, quid de tuo negotio. nam vt Brundisio profectus es, nullæ mihi abs te sunt redditæ litteræ. valdè haueo scire quid agas. Idib. Mar.

Cura, atque

CICERO ATTICO. S. XVI.

Q VAERIS *ex me, quid acciderit de iudicio, quod tam præter opinionem omnium factum sit: & simul vis scire, quo modo ego minùs, quam soleam, prœliatus sim: respondebo tibi* ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. *Ego enim, quàm diu Senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter, & vehementer prœliatus sum, vt clamor, concursúsq́ maxima cum mea laude fierent. quòd si tibi umquam sum visus in Repub. fortis certè me in illa caussa admiratus esses. cùm enim ille ad contiones confugisset; in iisq́ meo nomine ad inuidiam vteretur, dij immortales, quas ego pugnas, & quantas strages edidi? quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum fe-*

+ maxime in Odyssea.

Gell. cap. xi. lib. vii.

ci? quo modo sum insectatus leuitatem senum, libidinem iuuentutis? sæpe, ita me dij iuuent, te non solùm auctorem consiliorum meorum, verùm etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideraui. postea verò quam Hortensius excogitauit, vt legem de religione Fufius Tribunus pleb. ferret; in qua nihil aliud à Consulari rogatione differebat, nisi iudicum genus; (in eo autem erant omnia) pugnauítq; vt ita fieret; quòd & sibi, & alijs persuaserat, nullis illum iudicibus effugere posse: contraxi vela, perspiciens inopiam iudicum; neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum, atque testatum, vt non possem præterire. itaque, si caussam quæris absolutionis, (vt iam πρὸς τὸ πρότερον reuertar) egestas iudicum fuit, & turpitudo. id autem vt accideret, commissum est Hortensii consilio: qui dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quæ ex S. C. ferebatur, non vidit illud, satius esse, illum in infamia relinqui ac sordibus, quàm infirmo iudicio committi. sed ductus odio properauit rem deducere in iudicium; cùm illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. Sed iudicium, si quæris, quale fuerit; incredibili exitu; sic, vti nunc ex euentu ab alijs, à me tamen ex ipso initio consilium Hortensij reprehendatur. nam vt reiectio facta est clamoribus maximis; cùm accusator, tanquam Censor bonus, homines nequissimos reijceret: reus, tanquam clemens lanista, frugalissimum quenque secerneret; vt pri-

autem

mum iudices consederunt, valde diffidere boni cœperunt. non enim unquam turpior in ludo talario consessus fuit. maculosi Senatores, nudi Equites, Tribuni non tam ærati, quàm, vt appellantur ærarij. pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat; qui mæsti inter sui dissimiles, & mærentes sedebant, & contagione turpitudinis vehementer permouebantur. hîc, vt quæque res ad consilium primis postulationibus referebatur, incredibilis erat seueritas, nulla varietate sententiarum: nihil impetrarat reus: plus accusatori dabatur, quàm postulabat: triumphabat (quid quæris?) Hortensius se vidisse tantum: nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. me verò teste producto, credo te ex acclamatione Clodij aduocatorum audisse, quæ consurrectio iudicum facta sit, vt me circumsteterint, vt apertè iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. quæ mihi res multo honorificentior visa est, quàm aut illa, cùm iurare tui ciues Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt; aut cùm tabulas Metelli Numidici, cùm hæ, vt mos est, circumferrentur, nostri iudices aspicere noluerunt; multo hæc, inquam, nostra res maior. itaque iudicum vocibus, cùm ego sic ab ijs, vt salus patriæ, defenderer, fractus reus, & vna patroni omnes conciderunt. ad me autem eadem frequentia postridie conuenit, qua cùm abiens Consulatu sum domum reductus. clamare præclari Ariopagitæ, se

non esse venturos, nisi præsidio constituto. refertur ad consilium; vna sola sententia præsidium non desiderauit. defertur res ad Senatum; grauissimè, ornatissiméq; decernitur: laudantur iudices: datur negotium magistratibus: responsurum hominem nemo arbitrabatur. ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. nosti Caluum, ex Nanneianis, illum, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. biduo per vnum seruum, & eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium: accersiuit ad se, promisit, intercessit, dedit. iam vero (o dij boni, rem perditam) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones non nullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. ita, summo discessu bonorum, pleno foro seruorum, XXV. iudices ita fortes tamen fuerunt, vt, summo proposito periculo, vel perire maluerint, quàm perdere omnia. XXXI. fuerunt quos fames magis, quàm fama, commouerit. quorum Catulus cùm vidisset quendam, Quid vos, inquit, præsidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? Habes, vt breuissimè potui, genus iudicij, & caussam absolutionis.

Quæris deinceps, qui nunc sit status rerum, & qui meus. Reip. statum illum, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione, & auctoritate Consulatus mei fixus, & fundatus videbatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsum scito esse de

Ἰλιάδ. π



reip.

Seneca ep. 98. Longe frugalior haec iuventus, quam illa, est; cum reus adulterium apud iudices negaret, iudices apud reum confiterentur; cum stuprum committeretur rei iudicandae causa; cum Clodius, iisdem vitiis gratiosus quibus nocens, conciliaturas exerceret in ipsa causae dictione. Credat hoc quisquam? qui damnabatur uno adulter

fuerant tamen XXVI. sed num- dare numerum vo- luit

manibus vno hoc iudicio: ſi iudicium eſt, triginta homines populi R. leuiſſimos, ac nequiſſimos, nummulis acceptis, ius, ac fas omne delere, &, quod omnes non modò homines, verùm etiam pecudes factum eſſe ſciant, id, Talnam, & Plautum, & Spongiam, & ceteras huiuſmodi quiſquilias ſtatuere, nunquam eſſe factum. ſed tamen, vt te de Rep. conſoler, non ita, vt ſperarunt mali, tanto impoſito Reip. vulnere, alacris exultat improbitas in victoria. nam planè ita putauerunt, cùm religio, cùm pudicitia, cùm iudiciorum fides, cùm ſenatus auctoritas concidiſſet, fore, vt apertè victrix nequitia, ac libido pœnas ab optimo quoque peteret ſui doloris, quem improbiſſimo cuique inuſſerat ſeueritas Conſulatus mei. Idem ego ille, (non enim mihi videor inſolenter gloriari, cùm de me apud te loquor, in ea præſertim epiſtola, quam nolo alijs legi) idem, inquam, ego recreaui afflictos animos bonorum vnumquenque confirmans, excitans. inſectandis verò, exagitandísq; nummarijs iudicibus, omnem omnibus ſtudioſis, ac fautoribus illius victoriæ παῤῥησίαν eripui: Piſonem Conſulem nulla in re conſiſtere vnquam ſum paſſus: deſponſam homini iam Syriam ademi: Senatum ad priſtinam ſuam ſeueritatem reuocaui, atque abiectum excitaui: Clodium præſentem fregi in Senatu, cùm oratione perpetua, pleniſſima grauitatis, tum altercatione eiuſmodi, ex qua licet pauca deguſtes. nam cetera non poſſunt habere neque vim, neque venu-

ſtatem, remoto illo ſtudio contentionis, quem ἀγῶνα vos appellatis. Nam, vt Idib. Mai. in Senatum conuenimus, rogatus ego ſententiam, multa dixi de ſumma Rep. atque ille locus inductus à me eſt diuinitus; ne, vna plaga accepta, patres conſcripti conciderent, ne deficerent: vulnus eſſe eiuſmodi, quod mihi nec diſſimulandum, nec pertimeſcendum videretur: ne aut metuendo ignauiſſimi, aut ignorando ſtultiſſimi iudicaremur. bis abſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam: hunc tertium iam eſſe à iudicibus in Remp. immiſſum. Erras Clodi, non te iudices vrbi, ſed carceri reſeruarunt; neque te retinere in ciuitate, ſed exilio priuare voluerunt. Quamobrem patres conſcripti erigite animos, retinete veſtram dignitatem. manet illa in Rep. bonorum conſenſio: dolor acceſſit bonis viris; virtus non eſt imminuta: nihil eſt damni factum noui: ſed, quod erat, inuentum eſt. in vnius hominis perditi iudicio, plures ſimiles reperti ſunt. Sed quid ago? pæne orationem in epiſtolam incluſi. Redeo ad altercationem. Surgit pulchellus puer: obiicit mihi, me ad Baias fuiſſe. falſum: ſed tamen quid hoc? ſimile eſt, inquam, quaſi dicas in operto fuiſſe? quid, inquit, homini Arpinati cum aquis caldis? narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupiuit: noſti enim Marinas. Quouſque, inquit, hunc regem feremus? regem appellas, inquam, cùm Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem ſpe

Agrugeias λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις
Quae Crassi fuere, in Palatio.

deuorarat. Domum, inquit, emisti. putes, inquam, dicere, iudices emisti. iuranti, inquit, tibi non crediderunt. mihi verò, inquam, xxv. iudices crediderunt: xxxi. quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. Noster autem status est hic. apud bonos iidem sumus, quos reliquisti; apud sordem vrbis, & fæcem multò meliùs nunc, quam reliquisti. nam & illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse. missus est sanguis inuidiæ sine dolore, atque etiam hoc magis, quòd omnes illi fautores illius flagitii, rem manifestam illam redemptam esse à iudicibus confitentur. Accedit illud, quòd illa contionalis hirudo ærarii, misera, ac ieiuna plebecula, me ab hoc Magno vnicè diligi putat: & hercule multa & iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus, vsque eò, vt nostri isti commissatores coniurationis, barbatuli iuuenes, illum in sermonibus Cnæum Ciceronem appellent. itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine vlla pastoricia fistula auferebamus. nunc est exspectatio comitiorum: in qua omnibus inuitis trudit noster Magnus Auli filium: atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modò asellus onustus auro posset ascendere. Consul autem ille, Doterionis histrionis similis, suscepisse negotium dicitur, & domi diuisores habere: quod ego non credo. sed S. C. duo iam facta sunt,

Liuius lib. 3. Dandus inuidiae est sanguis.

Ego cap. 19 lib. 1.

quae Legatus fuerat bello Mithridatico.

Libri i. in Catil.

Minuitur et inuidia, si non omnia tibi vno quasi tenore procedant. aegre ferunt n. homines, aut vnum prae ceteris excellere, aut vni, quasi fortunae filio, omnia prospere succedere. itaque sapientes viri in secundis rebus aliquid sibi quasi incommodi optant ...

odiosa, quòd in Consulem facta putantur, Catone & Domitio postulante; unum, ut apud magistratus inquiri liceret; alterum, quibus domi diuisores habitarent, aduersus Remp. Lurco autem Tribunus pleb. qui magistratum simul cum lege Aelia iniit, solutus est & Aelia, & Fusia, ut legem de ambitu ferret; quam ille bono auspicio claudus homo promulgauit. ita comitia in ante diem VI. KAL. *Sext. dilata sunt. noui est in lege hoc, ut, qui nummos in tribu pronuntiarit, si non dederit, impune sit; sin dederit, ut quoad viuat, singulis tribubus* HS. CIƆ CIƆ CIƆ *debeat. dixi, hanc legem P. Clodium iam ante seruasse: pronuntiare enim solitum esse, & non dare. Sed heus tu, vidés ne Consulatum illum nostrum, quem Curio antea* ἀποθέωσιν *vocabat, si hic factus erit, fabam imûm futurum? quare, ut opinor,* φιλοσοφητέον, *id quod tu facis, & istos Consulatus non flocci* ἐατέον *Quod ad me scribis, te in Asiam statuisse non ire; equidem mallem, ut ires: ac vereor, ne quid in ista re minùs commodè fiat. sed tamen non possum reprehendere consilium tuum, præsertim cùm egomet in prouinciam non sim profectus. Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo posuisti, contenti erimus, præsertim cùm & Chilius nos reliquerit, & Archias nihil de me scripserit: ac vereor ne, Lucullis quoniam græcum poema condidit, nunc ad Cæcilianam fabulam spectet. Antonio tuo nomine gratias egi; eámque epistolam Manlio dedi. Ad te ideo antea rarius*

scripsi, quod non habebam idoneum, cui darem; nec satis sciebam, quid darem. vili te venditari. Cincius si quid ad me tui negotij detulerit, suscipiam. sed nunc magis in suo est occupatus; in quo ego ei non desum. Tu, si uno in loco es futurus, crebras a nobis litteras, expecta; ast plures etiam ipse mittito. Velim, ad me scribas, cuiusmodi sit Ἀμαλθεῖον *tuum; quo ornatu, qua* τοποθεσίᾳ; *& quæ poemata, quasq; historias de* Ἀμαλθείᾳ *habes, ad me mittas. lubet mihi facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. nihil erat absoluti.*

CICERO ATTICO S. XVII.

MAGNA *mihi varietas voluntatis, & dissimilitudo opinionis, ac iudicij Quincti fratris mei, demonstrata est ex litteris tuis, in quibus ad me epistolarum illius exempla misisti. quæ ex re & molestia sum tanta affectus, quantam mihi meus amor summus erga vtrunque vestrum afferre debuit; & admiratione, quidnam accidisset, quod afferret Quincto fratri meo, aut offensionem tam grauem, aut commutationem tantam voluntatis. atque illud à me iam ante intelligebatur; quod te quoque ipsum discedentem à nobis suspicari videbam, subesse nescio quid opinionis incommodæ, sauciumq; eius animum; & insedisse quasdam odiosas suspiciones: quibus ego mederi cum cuperem et antea sæpe, & vehementius etiam post sortitionem*

prouinciæ, nec tantum intelligebam eÿ esse offensionis, quantum literæ tuæ declarant; nec tantum proficiebam, quantum volebam. sed tamen hoc me ipse consolabar, quod non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachij, aut in istis locis vspiam visurus esset. quod cùm accidisset; confidebam, ac mihi persuaseram fore, vt omnia placarentur inter vos non modò sermone, ac disputatione, sed conspectu ipso, congressúq; vestro. nam, quanta sit in Quincto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus & ad accipiendam, & ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. sed accidit perincommodè, quòd eum nusquam vidisti. valuit enim plus, quod erat illi non nullorum artificijs inculcatum, quàm aut officium, aut necessitudo, aut amor vester ille pristinus, qui plurimùm valere debuit. Atque huius incommodi culpa vbi resideat, faciliùs possum existimare, quàm scribere. vereor enim, ne, dum defendam meos, non parcam tuis. nam sic intelligo; vt nihil à domesticis vulneris factum sit, illud quidem, quod erat, eos certè sanare potuisse. sed huiusce rei totius vitium, quod aliquanto etiam latiùs patet, quàm videtur, præsenti tibi commodiùs exponam. De ijs litteris, quas ad te Thessalonica misit, & de sermonibus, quos ab illo & Romæ apud amicos tuos, & in itinere habitos putas; ecquid tantum caussæ sit, ignoro: sed omnis in tua posita est humanitate mihi spes huius leuandæ molestiæ. nam, si ita statueris, &

irritabilis animos esse optimorum sæpe hominum, & eosdem placabilis; & esse hanc agilitatem, vt ita dicam, mollitiámque naturæ plerunque bonitatis, &, id quod caput est, nobis inter nos nostra siue incommoda, siue vitia, siue iniurias esse tolerandas; facilè hæc, quemadmodum spero, mitigabuntur. quod, ego, vt facias, te oro. nam ad me, qui te vnicè diligo, maximè pertinet, neminem esse meorum, qui aut te non amet, aut abs te non ametur. Illa pars epistolæ tuæ minimè fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut prouincialium, ant vrbanorum commodorum, & alijs temporibus, & me ipso Consule, prætermiseris. mihi enim perspecta est ingenuitas, & magnitudo animi tui: neque ego inter me, atque te quicquam interesse vmquam duxi, præter voluntatem institutæ vitæ: quod me ambitio quædam ad honorum studium, te autem alia minimè reprehendenda ratio ad honestum otium duxit. vera quidem laude probitatis, diligentiæ, religionis, neque me tibi, neque quenquam antepono, amoris verò erga me, cùm a fraterno amore, domesticóque discessi, tibi primas defero. vidi enim, vidi, penitúsque perspexi in meis varijs temporibus & solicitudines, & lætitias tuas: fuit mihi sæpe & laudis nostræ gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. quin mihi nunc, te absente, non solùm consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quæ mihi suauissima tecum solet esse, maximè deest. quid dicam?

dicam? in publicáne re? quo in genere mihi negligenti esse non licet; an in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam; nunc, vt dignitatem tueri gratia possim; an in ipsis domesticis negotiis? in quibus ego cùm antea, tum verò post discessum fratris te, sermonésq; nostros desidero. postremò non labor meus, non requies; non negotium, non otium; non forenses res, non domestica, non publicæ, non priuatæ carere diutiùs tuo suauissimo, atque amantissimo consilio, ac sermone possunt. Atque harum rerum commemorationem verecundia sæpe impedinit vtriusque nostrum. nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolæ tuæ, per quam te, ac mores tuos mihi purgatos, ac probatos esse voluisti. Atque in ista incommoditate alienati illius animi, & offensi, illud inest tamen commodi, quòd & mihi, & ceteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando testificata tua voluntas omittendæ prouinciæ; vt, quòd vna non estis, non dissensione, ac discidio vestro, sed voluntate, ac iudicio tuo factum esse videatur: quare & illa, quæ violata, expiabuntur; & hæc nostra, quæ sunt sanctissimè conseruata, suam religionem obtinebunt. Nos hîc in Rep. infirma, misera, commutabilíq; versamur. credo enim te audisse, nostros Equites pæne a Senatu esse disiunctos; qui primùm illud valde grauiter tulerunt, promulgatum ex S. C. fuisse, vt de iis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quæreretur. qua in re decernenda cùm ego casu non affuissem, sensissémque id Equestrem ordinem ferre molestè,

neque apertè dicere; obiurgaui Senatum, vt mihi visus sum, summa cum auctoritate; & in causa non verecunda, admodum grauis, & copiosus fui. Ecce aliæ deliciæ Equitum, vix ferendæ, quas ego non sòlùm tuli, sed etiam ornaui. Asiani, qui de Censoribus conduxerant, questi sunt in Senatu, se, cupiditate prolapsos, nimiùm magno conduxisse: vt induceretur locatio, postulauerunt. ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus. nam, vt illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. inuidiosa res, turpis postulatio, & confessio temeritatis. summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, planè alienarentur à Senatu. huic quoque rei subuentum est maxime à nobis; perfectúmq; vt frequentissimo Senatu, & libentissimo vterentur, multáq; à me de ordinum dignitate, & concordia dicta sunt KAL. *Decemb. & postridie. neque adhuc res confecta est, sed voluntas Senatus perspecta. vnus enim contradixerat Metellus Consul designatus. quin erat dicturus (ad quem propter diei breuitatem peruentum non est) heros ille noster Cato. sic ego conseruans rationem, institutionémq; nostram, tueor, vt possum, illam a me cõglutinatam concordiam. sed tamen, quoniam ista sunt infirma, munitur quædam nobis ad retinendas opes nostras tuta, vt spero, via, quam tibi litteris satis explicare non possum; significatione parua ostendam tamen. vtor Pompeio familiarissimè. video, quid dicas. cauebo, quæ sunt cauenda: ac scribam alias ad te de meis consiliis capessendæ Reip. plura. Lucceium scito Consulatum*

habere in animo ſtatim petere. duo enim ſoli dicuntur petituri. Cæſar cum eo coire per Arrium cogitat: & Bibulus cum hoc ſe putat per C. Piſonem poſſe coniungi. Rides? non ſunt hæc ridicula, mihi crede. Quid aliud ſcribam ad te? quid? multa ſunt: ſed in aliud tempus. Te ſi exſpectari velis, cures, vt ſciam. iam illud modeſte rogo, quòd maximè cupio, vt quamprimum venias. Nonis Decemb.

CICERO ATTICO. S. XVIII.

NIHIL *mihi nunc ſcito tam deeſſe, quàm hominem eum, quocum omnia, quæ me cura aliqua afficiunt, vna communicem; qui me amet, qui ſapiat, quicum ego colloquar, nihil fingam, nihil diſſimulem, nihil obtegam. abeſt enim frater* ἀφελέστατος, *& amantiſſimus, Metellus non homo, ſed littus, atque aer, & ſolitudo mera: tu autem, qui ſæpiſſimè curam, & angorem animi mei ſermone, & conſilio leuaſti tuo; qui mihi & in publica re ſocius, & in priuatis omnibus conſcius, & omnium meorum ſermonum, & conſiliorum particeps eſſe ſoles, vbinam es? ita ſum ab omnibus deſtitutus, vt tantùm requietis habeam, quantum cum vxore, & filiola, & mellito Cicerone conſumitur. nam illæ ambitioſæ noſtræ, fucoſæq́; amicitiæ ſunt in quadam ſplendore forenſi; fructum domeſticum non habent. itaque, cùm bene completa domus eſt, tempore matutino, cùm ad forum ſtipati gregibus amicorum deſcendimus, reperire ex magna turba neminem poſſumus, quocum*

aut iocari liberè, aut suspirare familiariter possimus. quare te expectamus, te desideramus, te iam etiam arcessimus. multa enim sunt, quæ me solicitant, angúntq́, quæ mihi videor, aures nactus tuas, vnius ambulationis sermone exhaurire posse. ac domesticarum quidem solicitudinum aculeos omnes, & scrupulos occultabo: neque ego huic epistolæ, atque ignoto tabellario committam. atque hi (nolo enim te permoueri) non sunt permolesti, sed tamen insident, & vrgent, & nullius amantis consilio, aut sermone requiescunt. In Rep. verò, quanquam animus est præsens, tamen voluntas etiam atque etiam ipsa medicinam effugit. nam, vt ea breuiter, quæ post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est, res Romanas diutiùs stare non posse. etenim post profectionem tuam primus, vt opinor, introitus fuit in caussam fabulæ Clodianæ: in qua ego nactus, vt mihi videbar, locum resecandæ libidinis, & coercendæ iuuentutis, vehemens fui, & omnes profudi vires animi, atque ingenij mei, non odio adductus alicuius, sed pro Reip. corrigendæ, & sanandæ ciuitatis. afflicta Resp. est empto, stupratóque iudicio. vide, quæ sint postea consecuta. Consul est impositus is nobis, quem nemo præter nos philosophos aspicere sine suspiratu posset. quantum hoc vulnus? facto S C. de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata, exagitatus Senatus, alienati Equites Romani. sic ille annus duo firmamenta Reip. per me vnum constituta, euertit: nam & Senatus auctoritatem abiecit; & ordinum concor-

diam disiunxit. Instat hic nunc ille annus egregius. eius initium eiusmodi fuit, ut anniuersaria sacra Iuuentutis non committerentur. nam M. Luculli vxorem Memmius suis sacris initiauit. Menelaus, ægre id passus, diuortium fecit. quanquam ille pastor Idæus Menelaum solum contempserat: hic noster Paris tam Menelaum, quam Agamemnonem liberum non putauit. Est autem C. Herennius quidam Tribunus pleb. quem tu fortasse ne nosti quidem: tametsi potes nosse: tribulis enim tuus est; & Sextus, pater eius, nummos vobis diuidere solebat. is ad plebem P. Clodium traducit; idémque fert, vt vniuersus populus in campo Martio suffragium de re Clodij ferat. hunc ego accepi in Senatu, vt soleo: sed nihil est illo homine lentius. Metellus est Consul egregius. & nos amat, sed imminuit auctoritatem suam, quòd habet dicis caussa promulgatum illud idem de Clodio. Auli autem filius, ó dij immortales! quam ignauus, ac sine animo miles? quàm dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad malè audiendum quotidie præbeat? Agraria autem promulgata est a Flauio, sanè leuis, eadem ferè, quæ fuit Plotia. sed interea πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ᾽ ὄναρ *quisquam inueniri potest. qui poterat, familiaris noster (sic est enim; volo te hoc scire) Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. Crassus verbum nullum contra gratiam; ceteros iam nosti: qui ita sunt stulti, vt amissa Repub. piscinas suas fore saluas sperare videantur. vnus est, qui curet, constantia magis, & integritate, quam, vt mihi videtur,*


mum iudices conſederunt, valde diffidere boni cœperunt. non enim unquam turpior in ludo talario conſeſſus fuit. maculoſi Senatores, nudi Equites, Tribuni non tam ærati, quàm, vt appellantur ærarij. pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat; qui mæſti inter ſui diſſimiles, & mærentes ſedebant, & contagione turpitudinis vehementer permouebantur. hîc, vt quæque res ad conſilium primis poſtulationibus referebatur, incredibilis erat ſeueritas, nulla varietate ſententiarum: nihil impetrarat reus: plus accuſatori dabatur, quàm poſtulabat: triumphabat (quid quæris?) Hortenſius ſe vidiſſe tantum: nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. me verò teſte producto, credo te ex acclamatione Clodij aduocatorum audiſſe, quæ conſurrectio iudicum facta ſit, vt me circumſteterint, vt apertè iugula ſua pro meo capite P. Clodio oſtentarint. quæ mihi res multo honorificentior viſa eſt, quàm aut illa, cùm iurare tui ciues Xenocratem teſtimonium dicentem prohibuerunt; aut cùm tabulas Metelli Numidici, cùm hæ, vt mos eſt, circumferrentur, noſtri iudices aſpicere noluerunt; multo hæc, inquam, noſtra res maior. itaque iudicum vocibus, cùm ego ſic ab ijs, vt ſalus patriæ, defenderer, fractus reus, & vna patroni omnes conciderunt. ad me autem eadem frequentia poſtridie conuenit, qua cùm abiens Conſulatu ſum domum reductus. clamare præclari Ariopagitæ, ſe

Lenones sunt scortorum, perductores etiam iuniorum per stuprum, et in quibus stupra exercita legibus vindicantur. Asc.

non esse venturos, nisi præsidio constituto. refertur ad consilium; vna sola sententia præsidium non desiderauit. defertur res ad Senatum; grauissime, ornatissimeq; decernitur: laudantur iudices: datur negotium magistratibus: responsurum hominem nemo arbitrabatur. ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. nosti Caluum, ex Nanneianis, illum, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. biduo per vnum seruum, & eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium: accersiuit ad se, promisit, intercessit, dedit. iam vero (o dij boni, rem perditam) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones non nullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. ita, summo discessu bonorum, pleno foro seruorum, XXV. iudices ita fortes tamen fuerunt, vt, summo proposito periculo, vel perire maluerint, quàm perdere omnia. XXXI. fuerunt quos fames magis, quàm fama, commouerit. quorum Catulus cùm vidisset quendam, Quid vos, inquit, præsidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? Habes, vt breuissimè potui, genus iudicij, & caussam absolutionis.

Quæris deinceps, qui nunc sit status rerum, & qui meus. Reip. statum illum, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione, & auctoritate Consulatus mei fixus, & fundatus videbatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsum scito esse de

Ἰλιάδ. π.



pro illud est ex litt... in quo præcessit.

xxxi. Tot ... iudices in causa ... -I. Asc.

reip.

Seneca ep. 98. Longe frugalior haec iuventus, quam illa, est, cum reus adulterii apud iudices negaret, iudices apud reum confiterentur, cum stupra committerentur rei iudicandae causa, cum Clodius, iisdem vitiis gratiosus quibus nocens, conciliaturas exerceret in ipsa causae dictione. Credat hoc quisquam? qui damnabatur uno adulte...

manibus vno hoc iudicio : si iudicium est, triginta homines populi R. leuissimos, ac nequissimos, nummulis acceptis, ius, ac fas omne delere, &, quod omnes non modò homines, verùm etiam pecudes factum esse sciant, id, Talnam, & Plautum, & Spongiam, & ceteras huiusmodi quisquilias statuere, nunquam esse factum. sed tamen, vt te de Rep. consoler, non ita, vt sperarunt mali, tanto imposito Reip. vulnere, alacris exultat improbitas in victoria. nam planè ita putauerunt, cùm religio, cùm pudicitia, cùm iudiciorum fides, cùm senatus auctoritas concidisset, fore, vt apertè victrix nequitia, ac libido pœnas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat seueritas Consulatus mei. Idem ego ille, (non enim mihi videor insolenter gloriari, cùm de me apud te loquor, in ea præsertim epistola, quam nolo alijs legi) idem, inquam, ego recreaui afflictos animos bonorum vnumquenque confirmans, excitans. insectandis verò, exagitandisq; nummarijs iudicibus, omnem omnibus studiosis, ac fautoribus illius victoria παρρησίαν eripui: Pisonem Consulem nulla in re consistere vnquam sum passus: desponsam homini iam Syriam ademi: Senatum ad pristinam suam seueritatem reuocaui, atque abiectum excitaui: Clodium præsentem fregi in Senatu, cùm oratione perpetua, plenissima grauitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes. nam cetera non possunt habere neque vim, neque venu-

fuerant tamē XXVI. sed [illegible] numerū vo-luit

statem, remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα vos appellatis. Nam, vt Idib. Mai. in Senatum conuenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa Rep. atque ille locus inductus à me est diuinitus; ne, vna plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent: vulnus esse eiusmodi, quod mihi nec dissimulandum, nec pertimesceudum videretur: ne aut metuendo ignauissimi, aut ignorando stultissimi iudicaremur. bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam: hunc tertium iam esse à iudicibus in Remp. immissum. Erras Clodi, non te iudices vrbi, sed carceri reseruarunt; neque te retinere in ciuitate, sed exilio priuare voluerunt. Quamobrem patres conscripti erigite animos, retinete vestram dignitatem. manet illa in Rep. bonorum consensio: dolor accessit bonis viris; virtus non est imminuta: nihil est damni factum noui: sed, quod erat, inuentum est, in vnius hominis perditi iudicio, plures similes reperti sunt. Sed quid ago? pæne orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Surgit pulchellus puer: obijcit mihi, me ad Baias fuisse. falsum: sed tamen quid hoc? simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse? quid, inquit, homini Arpinati cum aquis caldis? narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupiuit: nosti enim Marinas. Quousque, inquit, hunc regem feremus? regem appellas, inquam, cùm Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem sp-

deuorarat. Domum, inquit, emisti. putes, inquam, dicere, iudices emisti. iuranti, inquit, tibi non crediderunt. mihi verò, inquam, XXV. iudices crediderunt: XXXI. quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. Noster autem status est hic. apud bonos ijdem sumus, quos reliquisti; apud sordem vrbis, & fecem multò meliùs nunc, quam reliquisti. nam & illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse. missus est sanguis inuidiæ sine dolore, atque etiam hoc magis, quòd omnes illi fautores illius flagitij, rem manifestam illam redemptam esse à iudicibus confitentur. Accedit illud, quòd illa contionalis hirudo ærarij, misera, ac ieiuna plebecula, me ab hoc Magno vnicè diligi putat: & hercule multa & iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus, vsque eò, vt nostri isti comissatores coniurationis, barbatuli iuuenes, illum in sermonibus Cnæum Ciceronem appellent. itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine vlla pastoricia fistula auferebamus. nunc est exspectatio comitiorum: in qua omnibus inuitis trudit noster Magnus Auli filium: atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modò asellus onustus auro posset ascendere. Consul autem ille, Doterionis histrionis similis, suscepisse negotium dicitur, & domi diuisores habere: quod ego non credo. sed S.C. duo iam facta sunt,

odiosa, quòd in Consulem facta putantur, Catone & Domitio postulante; vnum, vt apud magistratus inquiri liceret; alterum, quis domi diuisores habitarent, aduersus Remp. Lurco autem Tribunus pleb. qui magistratum simul cum lege Aelia iniit, solutus est & Aelia, & Fufia, vt legem de ambitu ferret; quam ille bono auspicio claudus homo promulgauit. itaq; comitia in ante diem VI. KAL. Sext. dilata sunt. noui est in lege hoc, vt, qui nummos in tribu pronuntiarit, si non dederit, impune sit; sin dederit, vt quoad viuat, singulis tribubus HS. CIↃ CIↃ CIↃ debeat. dixi, hanc legem P. Clodium iam ante seruasse: pronuntiare enim solitum esse, & non dare. Sed heus tu, vidés ne Consulatum illum nostrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, si hic factus erit, fabam imûm futurum? quare, vt opinor, φιλοσοφητέον, id quod tu facis, & istos Consulatus non flocci ἐαλέον. Quod ad me scribis, te in Asiam statuisse non ire; equidem mallem, vt ires: ac vereor, ne quid in ista re minùs commodè fiat. sed tamen non possum reprehendere consilium tuum, præsertim cùm egomet in prouinciam non sim profectus. Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo posuisti, contenti erimus, præsertim cùm & Chilius nos reliquerit, & Archias nihil de me scripserit: ac vereor ne, Lucullis quoniam græcum poema condidit, nunc ad Cæcilianam fabulam spectet. Antonio tuo nomine gratias egi; eámq; epistolam Manlio dedi. Ad te ideo antea rarius

scripsi, quòd non habebam idoneum, cui darem; nec satis sciebam, quid darem. vile te venditari. Cincius si quid ad me tui negotij detulerit; suscipiam. sed nunc magis in suo est occupatus; in quo ego ei non desum. Tu, si vno in loco es futurus, crebras a nobis litteras, expecta; ast plures etiam ipse mittito. Velim, ad me scribas, cuiusmodi sit Ἀμαλθεῖον *tuum; quo ornatu, qua* τοποθεσίᾳ; *& qua poemata, quásq; historias de* Ἀμαλθείᾳ *habes, ad me mittas. lubet mihi facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. nihil erat absoluti.*

CICERO ATTICO S. XVII.

MAGNA *mihi varietas voluntatis, & dissimilitudo opinionis, ac iudicij Quincti fratris mei, demonstrata est ex litteris tuis, in quibus ad me epistolarum illius exempla misisti. qua ex re & molestia sum tanta affectus, quantam mihi meus amor summus erga vtrunque vestrum afferre debuit; & admiratione, quidnam accidisset, quod afferret Quincto fratri meo, aut offensionem tam grauem, aut commutationem tantam voluntatis. atque illud à me iam ante intelligebatur; quod te quoque ipsum discedentem à nobis suspicari videbam, subesse nescio quid opinionis incommodæ, sauciúmq; eius animum; & insedisse quasdam odiosas suspiciones: quibus ego mederi cùm cuperem et antea sæpe, & vehementius etiam post sortitionem*

prouinciæ, nec tantum intelligebam esse offensionis, quantum literæ tuæ declarant; nec tantum proficiebam, quantum volebam. sed tamen hoc me ipse consolabar, quod non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachij, aut in istis locis vspiam visurus esset. quod cùm accidisset; confidebam, ac mihi persuaseram fore, vt omnia placarentur inter vos non modò sermone, ac disputatione, sed conspectu ipso, congressúq; vestro. nam, quanta sit in Quincto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus & ad accipiendam, & ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. sed accidit peripscommodè, quòd eum nusquam vidisti. valuit enim plus, quod erat illi non nullorum artificijs inculcatum, quàm aut officium, aut necessitudo, aut amor vester ille pristinus, qui plurimùm valere debuit. Atque huius incommodi culpa vbi resideat, faciliùs possum existimare, quàm scribere. vereor enim, ne, dum defendam meos, non parcam tuis. nam sic intelligo; vt nihil à domesticis vulneris factum sit, illud quidem, quod erat, eos certè sanare potuisse. sed huiusce rei totius vitium, quod aliquanto etiam latiùs patet, quàm videtur, præsenti tibi commodiùs exponam. De ijs litteris, quas ad te Thessalonica misit, & de sermonibus, quos ab illo & Romæ apud amicos tuos, & in itinere habitos putas; ecquid tantum caussæ sit, ignoro: sed omnis in tua posita est humanitate mihi spes huius leuandæ molestiæ. nam, si ita statueris, &

irritabilis animos esse optimorum sæpe hominum; & eosdem placabilis; & esse hanc agilitatem, vt ita dicam, mollitiámq; naturæ plerunque bonitatis; &, id quod caput est, nobis inter nos nostra siue incommoda, siue vitia, siue iniurias esse tolerandas; facilè hæc, quemadmodum spero, mitigabuntur. quod, ego, vt facias, te oro. nam ad me, qui te vnicè diligo, maximè pertinet, neminem esse meorum, qui aut te non amet, aut abs te non ametur. Illa pars epistolæ tuæ minimè fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut prouincialium, ant vrbanorum commodorum, & alijs temporibus, & me ipso Consule, prætermiseris. mihi enim perspecta est ingenuitas, & magnitudo animi tui: neque ego inter me, atque te quicquam interesse vmquam duxi, præter voluntatem institutæ vitæ: quod me ambitio quædam ad honorum studium, te autem alia minimè reprehendenda ratio ad honestum otium duxit. vera quidem laude probitatis, diligentiæ, religionis; neque me tibi, neque quenquam antepono, amoris verò erga me, cùm a fraterno amore, domesticóq; discessi, tibi primas defero. vidi enim, vidi, penitúsq; perspexi in meis varijs temporibus & solicitudines, & lætitias tuas. fuit mihi sæpe & laudis nostræ gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. quin mihi nunc, te absente, non solùm consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quæ mihi suauissima tecum solet esse, maximè deest. quid

dicam?

dicam? in publicáne re? quo in genere mihi negligenti esse non licet; an in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam; nunc, vt dignitatem tueri gratia possim; an in ipsis domesticis negotiis? in quibus ego cùm antea, tum verò post discessum fratris te, sermonésq; nostros desidero. postremò non labor meus, non requies; non negotium, non otium; non forenses res, non domesticæ, non publicæ, non priuatæ carere diutiùs tuo suauissimo, atque amantissimo consilio, ac sermone possunt. Atque harum rerum commemorationem verecundia sæpe impediuit vtriusque nostrum. nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolæ tuæ, per quam te, ac mores tuos mihi purgatos, ac probatos esse voluisti. Atque in ista incommoditate alienati illius animi, & offensi, illud inest tamen commodi, quòd & mihi, & ceteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando testificata tua voluntas omittendæ prouinciæ; vt, quòd vna non estis, non dissensione, ac discidio vestro, sed voluntate, ac iudicio tuo factum esse videatur: quare & illa, quæ violata, expiabuntur; & hæc nostra, quæ sunt sanctissimè conseruata, suam religionem obtinebunt. Nos hîc in Rep. infirma, misera, commutabiliq; versamur. credo enim te audisse, nostros Equites pæne a Senatu esse disiunctos; qui primùm illud valde grauiter tulerunt, promulgatum ex S C. fuisse, vt de iis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quæreretur. qua in re decernenda cùm ego casu non affuissem, sensissémque id Equestrem ordinem ferre molestè,

neque apertè dicere; obiurgaui Senatum, vt mihi visus sum, summa cum auctoritate; & in causa non verecunda, admodum grauis, & copiosus fui. Ecce aliæ deliciæ Equitum, vix ferendæ, quas ego non solùm tuli, sed etiam ornaui. Asiani, qui de Censoribus conduxerant, questi sunt in Senatu, se, cupiditate prolapsos, nimiùm magno conduxisse: vt induceretur locatio, postulauerunt. ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus. nam, vt illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. inuidiosa res, turpis postulatio, & confessio temeritatis. summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, planè alienarentur à Senatu. huic quoque rei subuentum est maxime à nobis; perfectúmque, vt frequentissimo Senatu, & libentissimo vterentur, multaque à me de ordinum dignitate, & concordia dicta sunt KAL. *Decemb. & postridie. neque adhuc res confecta est, sed voluntas Senatus perspecta. vnus enim contradixerat Metellus Consul designatus. quin erat dicturus (ad quem propter diei breuitatem peruentum non est) heros ille noster Cato. sic ego conseruans rationem, institutionémque nostram, tueor, vt possum, illam a me cōglutinatam concordiam. sed tamen, quoniam ista sunt infirma, munitur quædam nobis ad retinendas opes nostras tuta, vt spero, via, quam tibi litteris satis explicare non possum; significatione parua ostendam tamen. vtor Pompeio familiarissimè. video, quid dicas. cauebo, quæ sunt cauenda: ac scribam alias ad te de meis consiliis capessendæ Reip. plura. Lucceium scito Consulatum*

habere in animo ſtatim petere. duo enim ſoli dicuntur petituri. Cæſar cum eo coire per Arrium cogitat: & Bibulus cum hoc ſe putat per C. Piſonem poſſe coniungi. Rides? non ſunt hæc ridicula, mihi crede. Quid aliud ſcribam ad te? quid? multa ſunt: ſed in aliud tempus. Te ſi exſpectari velis, cures, vt ſciam. iam illud modeſte rogo, quòd maximè cupio, vt quamprimum venias. Nonis Decemb.

CICERO ATTICO. S. XVIII.

NIHIL *mihi nunc ſcito tam deeſſe, quàm hominem eum, quocum omnia, quæ me cura aliqua afficiunt, vna communicem; qui me amet, qui ſapiat, quicum ego colloquar, nihil fingam, nihil diſſimulem, nihil obtegam. abeſt enim frater* ἀφελέστατος, *& amantiſſimus, Metellus non homo, ſed littus, atque aer, & ſolitudo mera: tu autem, qui ſæpiſſimè curam, & angorem animi mei ſermone, & conſilio leuaſti tuo; qui mihi & in publica re ſocius, & in priuatis omnibus conſcius, & omnium meorum ſermonum, & conſiliorum particeps eſſe ſoles, vbinam es? ita ſum ab omnibus deſtitutus, vt tantùm requietis habeam, quantum cum vxore, & filiola, & mellito Cicerone conſumitur. nam illæ ambitioſæ noſtræ, fucoſæq; amicitiæ ſunt in quodam ſplendore forenſi; fructum domeſticum non habent. itaque, cùm bene completa domus eſt, tempore matutino, cùm ad forum ſtipati gregibus amicorum deſcendimus, reperire ex magna turba neminem poſſumus, quocum*

aut iocari liberè, aut suspirare familiariter possimus. quare te expectamus, te desideramus, te iam etiam arcessimus. multa enim sunt, quæ me solicitant, angúntq;, quæ mihi videor, aures nactus tuas, vnius ambulationis sermone exhaurire posse. ac domesticarum quidem solicitudinum aculeos omnes, & scrupulos occultabo: neque ego huic epistolæ, atque ignoto tabellario committam. atque hi (nolo enim te permoueri) non sunt permolesti, sed tamen insident, & vrgent, & nullius amantis consilio, aut sermone requiescunt. In Rep. verò, quanquam animus est præsens, tamen voluntas etiam atque etiam ipsa medicinam effugit. nam, vt ea breuiter, quæ post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est, res Romanas diutiùs stare non posse. etenim post profectionem tuam primus, vt opinor, introitus fuit in causam fabulæ Clodianæ: in qua ego nactus, vt mihi videbar, locum resecandæ libidinis, & coercendæ iuuentutis, vehemens fui, & omnes profudi vires animi, atque ingenij mei, non odio adductus alicuius, sed spe Reip. corrigendæ, & sanandæ ciuitatis. afflicta Resp. est empto, stupratóque iudicio. vide, quæ sint postea consecuta. Consul est impositus is nobis, quem nemo præter nos philosophos aspicere sine suspiratu posset. quantum hoc vulnus? facto S C. de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata, exagitatus Senatus, alienati Equites Romani. sic ille annus duo firmamenta Reip. per me vnum constituta, euertit: nam & Senatus auctoritatem abiecit; & ordinum concor-

diam disiunxit. Instat hic nunc ille annus egregius. eius initium eiusmodi fuit, vt anniuersaria sacra Iuuentutis non committerentur. nam M. Luculli vxorem Memmius suis sacris initiauit. Menelaus, ægre id passus, diuortium fecit. quanquam ille pastor Idæus Menelaum solum contempserat: hic noster Paris tam Menelaum, quam Agamemnonem liberum non putauit. Est autem C. Herennius quidam Tribunus pleb. quem tu fortasse ne nosti quidem: tametsi potes nosse: tribulis enim tuus est; & Sextus, pater eius, nummos vobis diuidere solebat. is ad plebem P. Clodium traducit; idémque fert, vt vniuersus populus in campo Martio suffragium de re Clodij ferat. hunc ego accepi in Senatu, vt soleo: sed nihil est illo homine lentius. Metellus est Consul egregius. & nos amat; sed imminuit auctoritatem suam, quòd habet dicis caussa promulgatum illud idem de Clodio. Auli autem filius, ó dij immortales! quam ignauus, ac sine animo miles? quàm dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad malè audiendum quotidie præbeat? Agraria autem promulgata est à Flauio, sanè leuis, eadem ferè, quæ fuit Plotia. sed interea πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ' ὄναρ quisquam inueniri potest. qui poterat, familiaris noster (sic est enim; volo te hoc scire) Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. Crassus verbum nullum contra gratiam; ceteros iam nosti: qui ita sunt stulti, vt amissa Repub. piscinas suas fore saluas sperare videantur. vnus est, qui curet, constantia magis, & integritate, quam, vt mihi videtur,

consilio, aut ingenio, Cato; qui miseros Publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem vexat, neque iis a Senatu responsum dari patitur. ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere ante, quam Publicanis responsum sit. quare etiam legationes reiectum iri puto. Nunc vides, quibus fluctibus iactemur: & si ex iis, quæ scripsimus, tanta etiam à me non scripta perspicis; reuise nos aliquando, &, quanquam sunt hæc fugienda, quò te voco, tamen fac, vt amorem nostrum tanti æstimes, vt eo vel cum his molestiis perfrui velis. nam, ne absens censeare, curabo edicendum, & proponendum locis omnibus. sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est. quare cura, vt te quamprimum videamus. KAL. *Febr. Q. Metello, & L. Afranio* COSS.

CICERO ATTICO. S. XIX.

NON *modò, si mihi tantum esset otij, quantum est tibi; verùm etiam, si tam breuis epistolas velim mittere, (quod tu soles facere) te superarem, & in scripto multo essem crebrior, quam tu: sed ad summas, atque incredibiles occupationes meas accedit, quòd nullam à me epistolam ad te sino absque argumento, ac sententia peruenire. Et primùm tibi, vt æquum est, ciui amanti patriam, quæ sunt in Rep. exponam: deinde, quoniam tibi amore nos proximi sumus, scribemus etiam de nobis ea, quæ scire te non nolle arbitramur. Atque in Rep. nunc quidem ma-*

xime Gallici belli versatur metus. nam Edui, fratres nostri, pugnant: Sequani per malè pugnarunt: & Heluetij sine dubio sunt in armis, excursionesq; in prouinciam faciunt. Senatus decreuit, vt Consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ ciuitates, daréntque operam, ne eæ cum Heluetijs se iungerent. legati sunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, & , τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus Clodiani filius. Atque hoc loco illud non queo præterire, quòd, cùm de Consularibus mea prima sors exisset, vna voce Senatus frequens retinendum me in vrbe censuit. hoc idem post me Pompeio accidit: vt nos duo, quasi pignora Reip. retineri videremur. quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα expectem, cùm hæc domi nascantur? Vrbanæ autem res sic se habent. Agraria lex à Flauio Tribuno pleb. vehementer agitabatur auctore Pompeio: quæ nihil populare habebat, præter auctorem. ex hac ego lege, secunda contionis voluntate, omnia tollebam quæ ad priuatorum incommodum pertinebant: liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio COSS. publicus fuisset: Syllanorum hominum possessiones confirmabam: Volaterranos, & Arretinos, quorum agrum Sylla publicarat, neque diuiserat, in sua possessione retinebam: vnam rationem non reiiciebam, vt ager hac aduenticia pecunia emeretur, quæ ex nouis vectigalibus per quinquennium reciperetur. Huic toti rationi agrariæ Senatus aduersabatur, suspicans Pom-

peio nouam quandam potentiam quæri. Pompeius verò ad voluntatem perferendæ legis incubuerat. ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium priuatorum possessiones: (is enim est noster exercitus, hominum, vt tute scis, locupletium) populo autem, & Pompeio (nam id quoque volebam) satisfaciebam emptione: qua constituta diligenter, & sentinam vrbis exhauriri; & Italiæ solitudinem frequentari posse arbitrabar. sed hæc tota res interpellata bello refrixerat. Metellus est Consul sanè bonus, & nos admodum diligit. ille alter nihil ita est, vt planè, quid emerit, nesciat. Hæc sunt in Rep. nisi etiam illud ad Remp. putes pertinere, Herennium quendam, Tribunum pleb. tribulem tuum, sanè hominem nequam, atque egentem, sæpe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere cœpisse. huic frequenter interceditur. Hæc sunt, vt opinor, in Rep. Ego autem, vt semel Nonarum illarum Decembrium, iunctam inuidia, ac multorum inimicitiis, eximiam quandam, atque immortalem gloriam consecutus sum; non destiti eadem animi magnitudine in Rep. versari, & illam institutam, ac susceptam dignitatem tueri. sed posteaquam primùm Clodij absolutione leuitatem, infirmitatemq; iudiciorum perspexi; deinde vidi nostros Publicanos facilè à Senatu disiungi, quamquam à me ipso non diuellerentur; tum autem beatos homines (hos piscinarios dico, amicos tuos) non obscurè nobis inuidere: putaui, mihi maiores quasdam opes, & firmiora præsidia esse quærenda. itaque

primùm eum, qui nimiùm diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, vt in Senatu non semel, sed sæpe, multisque verbis huius mihi salutem imperij, atque orbis terrarum adiudicarit. quod non tam interfuit mea, (neque enim illæ res aut ita sunt obscuræ, vt testimonium, aut ita dubiæ, vt laudationem desiderent) quàm Reip. quòd erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio, ex rerum illarum dissensione arbitrarentur. cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, vt vterque nostrum in sua ratione munitior, & in Rep. firmior hac coniunctione esse possit. odia autem illa libidinosæ, & delicatæ iuuentutis, quæ erant me incitata, sic mitigata sunt comitate quadam mea, me vnum vt omnes illi colant. nihil iam denique à me asperum in quemquam fit, nec tamen quicquam populare, ac dissolutũ; sed ita temperata tota ratio est, vt Reip. constantiam præstem, priuatis rebus meis, propter infirmitatem bonorum, iniquitatem maliuolorum, odium in me improborum, adhibeam quandam cautionem, & diligentiam; atque ita amen; si iis nouis amicitiis implicati sumus, vt crebrò mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam:

Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Ac nostræ quidem rationis, ac vitæ quasi quandam formam, vt opinor, vides. De tuo autem negotio sæpe ad me scribis; cui mederi nunc non possumus. est enim illud S C. summa pedariorum voluntate

nullius nostrum auctoritate factum. nam, quòd me isse ad scribendum vides, ex ipso S.C. *intelligere potes, aliam rem tum relatam; hoc autem de populis liberis, sine caussa additum, & ita factum est à P. Seruilio filio, qui in postremis sententiam dixit; sed immutari hoc tempore non potest. itaque conuentus, qui initio celebrabantur, iam diu fieri desierunt. tu si tuis blandiciis tamen à Sicyoniis nummulorum aliquid expresseris; velim, me facias certiorem. Commentarium Consulatus mei Græcè compositum misi ad te; in quo si quid erit, quod homini Attico minùs Græcum, eruditúmque videatur; non dicam quod tibi, vt opinor, Panormi Lucullus de suis historiis dixerat; se, quò faciliùs illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quædam & σόλοικα dispersisse. apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit, & inuito. Latinum si perfecero, ad te mittam. tertium poema expectato, ne quod genus à me ipso laudis meæ prætermittatur. hîc tu, caue, dicas, Τίς πατέρ' αἰνήσει; si est enim apud homines quicquam, quod potius sit, laudetur; nos vituperemur, qui non potiùs alia laudemus. quamquam non ἐγκωμιαστικὰ sunt hæc, sed ἱστορικὰ, quæ scribimus. Quinctus frater purgat se multùm per litteras, & affirmat, nihil a se cuiquam de te secus esse dictum. verùm hæc nobis coram summa cura, & diligentia sunt agenda; tu modò nos reuise aliquando. Cossinius hic, cui dedi litteras, valde mihi bonus homo, & non leuis, & amans tui visus est, & talis, qualem esse eum tua mihi litteræ nuntiarant.*

Idibus Mart.

CICERO. ATTICO S. XX.

Cvm è Pompeiano me Romam recepissem A.D. IIII. *Idus Mai. Cincius noster eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu Idib. Feb. dederas. ei nunc epistolæ litteris his respondebo. Ac primùm, tibi perspectum esse iudicium de te meum, lætor; deinde, te in iis rebus, quæ mihi asperiùs a nobis, atque nostris, & iniucundiùs actæ videbantur, moderatissimum fuisse, vehementissimè gaudeo; idque neque amoris mediocris, & ingenij summi, ac sapientiæ iudico. qua de re cùm ad me ita suauiter, diligenter, officiosè, & humaniter scripseris, vt non modò te hortari ampliùs non debeam, sed ne expectare quidem abs te, aut ab vllo homine tantum facilitatis, ac mansuetudinis potuerim; nihil duco esse commodius, quàm de his rebus nihil iam ampliùs scribere. cùm erimus congressi tum, si quid res feret, coram inter nos conferemus. Quod ad me de Rep. scribis, disputas tu quidem & amanter, & prudenter; & a meis consiliis ratio tua non abhorret: (nam neque de statu nobis nostræ dignitatis est recedendum, neque sine nostris copiis intra alterius præsidia veniendum: & is, de quo scribis, nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum, atque populare) verumtamen fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis, sed mehercule Reip. multo etiam vtilior, quàm mihi, ciuium improborum impetus in me*

reprimi, cùm hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem sententiam confirmassem, & à spe malorum ad mearum rerum laudem conuertissem. quod si cum aliqua leuitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti æstimassem: sed tamen à me ita acta sunt omnia, non vt ego illi assentiens leuior, sed vt ille me probans grauior videretur. Reliqua sic a me aguntur, & agentur, vt non committamus, vt ea, quæ gessimus, fortuitò gessisse videamur. meos bonos viros, illos quos significas, & eam, quam mihi dicis obtigisse, σπάρταν non modo nunquam deseram; sed etiam, si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo. illud tamen, velim, existimes, me hanc viam optimatium post Catuli mortem nec præsidio vllo, nec comitatu tenere. nam, vt ait Rhynton, vt opinor,

Οἱ μὲν παρ' οὐδὲν εἰσιν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει.

mihi verò vt inuideant piscinarij nostri, aut scribam ad te alias, aut in congressum nostrum reseruabo. a Curia autem nulla me res diuellet: vel quòd ita rectum est: vel quòd rebus meis maximè consentaneum: vel quòd, à Senatu quanti fiam, minimè me pœnitet. De Sicyoniis, vt ad te scripsi antea, non multum spei est in Senatu. nemo est enim iam, qui queratur. quare, si id expectas, longum est. alia via, si qua potes, pugna. cùm est actum, neque animaduersum est, ad quos pertineret; & raptim in eam sententiam pedarij cucurrerunt. inducendi S. C. *maturitas nondum est: quòd neque sunt, qui querantur; & multi partim maleuolentia, partim opi-*

nione æquitatis delectantur. Metellus tuus est egregius Consul. vnum reprehendo, quòd otium è Gallia nuntiari non magnopere gaudet. cupit, credo, triumphare. hoc vellem mediocrius: cetera egregia. Auli filius verò ita se gerit, vt eius Consulatus non Consulatus sit, sed Magni nostri ὑπώπιον. De meis scriptis, misi ad te græcè perfectum Consulatum meum. eum librum L. Cossinio dedi. puto te latinis meis delectari; huic autem græco græcum inuidere. alij si scripserint, mittemus ad te; sed, mihi crede, simul atque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur. Nunc (vt ad rem meam redeam) L. Papirius Pætus, vir bonus, amatórque noster, mihi libros eos, quos Ser. Claudius reliquit, donauit. cùm mihi, per legem Cinciam licere capere, Cincius amicus tuus diceret: libenter, dixi, me accepturum, si attulisset. nunc, si me amas, si te à me amari scis, enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique, ac seruos tuos, vt scida ne qua depereat. nam & Græcis his libris, quos suspicor, & Latinis, quos scio illum reliquisse, mihi vehementer opus est. ego autem quotidie magis, quod mihi de forensi labore temporis datur, in is studiis conquiesco. per mihi, per, inquam, gratum feceris, si in hoc tam diligens fueris, quàm soles in his rebus, quas me valde velle arbitraris: ipsiúsque Pæti tibi negotia commendo: de quibus tibi ille agit maximas gratias: & vt iam inuisas nos, non solùm rogo, sed etiam suadeo.

M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM AD ATTICVM.
LIBER II.

CICERO ATTICO. S. I.

Kal. *Iun. eunti mihi Antium, & gladiatores M. Metelli cupidè relinquenti, venit obuiam tuus puer. is mihi litteras abs te, & commentarium Consulatus mei Græcè scriptum reddidit: in quo lætatus sum, aliquanto ante de iisdem rebus Græcè item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse. nam, si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres. quanquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quòd ornamenta neglexerant; &, vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. meus autem liber totum Isocrati* μυροθήκιον, *atque omnis eius discipulorum arculas, ac non nihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit: quem tu Corcyræ, vt mihi aliis litteris significas, strictim attigisti; post autem, vt arbitror, à Cossinio accepisti; quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lentè, ac fastidiosè probauissem. quanquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius, se, nostrum illud* ὑπόμνημα *cùm legeret, quod ego ad eum, vt ornatiùs de iisdem rebus scriberet, miseram, non modò excitatum esse ad*

Strigosiora, et minus polita

Non bene olet, q. b. s. olet. Mulier ubi nihil olet, recte olet. Plaut. Mostell.

pro, non modo non. Ego cap. 7. lib. 10. [illegible] ὅπως. Alij tamen habent, non modo non

ſcribendum, ſed etiam planè perterritum. quid quæris? conturbaui Græcam nationem. ita, vulgo qui inſtabant, vt darem ſibi quod ornarent, iam exhibere mihi moleſtiam deſtiterunt. tu, ſi tibi placuerit liber, curabis, vt Athenis ſit, & in ceteris oppidis Græciæ. videtur enim poſſe aliquid noſtris rebus lucis afferre. Oratiunculas autem, & quas poſtulas, & pluris etiam mittam: quoniam quidem eá, quæ nos ſcribimus adoleſcentulorum ſtudiis excitati, te etiam delectant. fuit enim mihi commodum, quòd in eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerat ciuis ille tuus Demoſthenes, & quòd ſe ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, vt σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, vt meæ quoque eſſent orationes, quæ Conſulares nominarentur. quarum vna eſt in Senatu KAL. Ian. altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quincta de proſcriptorum filiis; ſexta, cùm prouinciam in contione depoſui; ſeptima, qua Catilinam emiſi; octaua, quam habui ad populum poſtridie quam Catilina profugit; nona in contione, quo die Allobroges inuolgarunt; decima in Senatu, Nonis Decemb. ſunt præterea duæ breues, quaſi ἀποσπασμάτια legis agrariæ. hoc totum σῶμα, curabo vt habeas. & quoniam te cùm ſcripta, tum res meæ delectant; iiſdem libris perſpicies, & quæ geſſerim, & quæ dixerim: aut ne popoſciſſes. ego enim tibi me non offerebam. Quod quæris, quid ſit, quod te arceſſam; ac ſimul, impeditum te negotiis, eſſe ſignificas; neque

recusas, quin, non modo si opus sit, sed etiam si velim, accurras: nihil sanè est necesse; veruntamen videbare mihi tempora peregrinationis commodiùs posse describere. nimis abes diu, præsertim cùm sis in propinquis locis: neque nos te fruimur; & tu nobis cares. ac nunc quidem otium est: sed, si paulo plus furor Pulchelli progredi posset, valde ego te istinc excitarem. verùm prȩclarè Metellus impedit, & impediet. quid quæris? est Consul φιλόπατρις, &, vt semper iudicaui, natura bonus. ille autem non simulat, sed planè Tribunus pleb. fieri cupit. qua de re cùm in Senatu ageretur, fregi hominem; & inconstantiam eius reprehendi, qui Romæ Tribunatum pleb. peteret, cùm in Sicilia Heræ Aedilitatem se petere dictitasset. sed neque magnopere dixi esse nobis laborandum: quòd nihilo magis ei liciturum esset plebeio Remp. perdere, quam similibus eius me Consule patriciis esset licitũ. Iam, cùm se ille septimo die venisse à Freto, neque sibi obuiam quenquam prodire potuisse, & noctu se introisse dixisset, in eóque se in contione iactasset: nihil ei noui dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam; tribus horis Roma Interamnam: noctu introisse: item ante: non esse itum obuiam; ne tum quidem, cum iri maximè debuit. quid quæris? hominem petulantem modestum reddo, non solùm perpetua grauitate orationis, sed etiam hoc genere dictorum. itaque iam familiariter cum ipso etiam cauillor, ac iocor. quin etiam cùm candidatum deduceremus, quærit ex me, num consuessem Siculis

locum

locum gladiatoribus dare. negaui. at ego, inquit, nouus patronus instituam. sed soror, quæ tantum habeat Consularis loci, vnum mihi solum pedem dat. noli, inquam, de vno pede sororis queri: licet etiam alterum tollas. non Consulare, inquies, dictum; fateor: sed ego illam odi malè Consularem. ea est enim seditiosa: ea cum viro bellum gerit, neque solùm cum Metello, sed etiam cum Fabio, quòd eos in hoc esse molestè fert. Quod de agraria lege quæris, sanè iam videtur refrixisse. Quod me quodam modo molli brachio de Pompeij familiaritate obiurgas: nolim ita existimes, me mei præsidij caussa cum illo coniunctum esse: sed ita res erat instituta, vt, si inter nos esset aliqua forte dissensio, maximas in Rep. discordias versari esset necesse, quod à me ita præcautum, atque ita prouisum est, non vt ego de optima illa mea ratione decederem; sed vt ille esset melior, & aliquid de populari leuitate deponeret: quem de meis rebus, in quas eum multi incitarant, multò scito gloriosiùs, quàm de suis prædicare. sibi enim bene gesta, mihi conseruatæ Reip. dat testimonium. hoc facere illum, mihi quam prosit, nescio; Reip. certè prodest. quid, si etiam Cæsarem, cuius nunc venti valde sunt secundi, reddo meliorem? num tantum obsum Reip.? quin etiam, si mihi nemo inuideret; si omnes, vt erat æquum, fauerent; tamen non minus esset probanda medicina, quæ sanaret vitiosas partes Reip. quàm quæ exsecaret. nunc vero, cùm Equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino, te signifero, ac principe, collocaram,

Senatum deseruerit; nostri autem principes digito se cælum putent attingere, si muli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant; alia autem negligant: non ne tibi satis prodesse videor, si perficio, vt nolint obesse, qui possunt? nam Catonem nostrum non tu amas plus, quàm ego. sed tamen ille, optimo animo utens, & summa fide, nocet interdum Reip. dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce, sententiam. quid verius, quàm in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? censuit hoc Cato assensit Senatus. Equites Curiæ bellum, non mihi. nam ego dissensi. quid impudentius Publicanis renuntiantibus? fuit tamen, retinendi ordinis caussa, facienda iactura. restitit, & peruicit Cato. itaque nunc, Consule in carcere incluso, sæpe item seditione commota, aspirauit nemo eorum, quorum egò concursu, itémque Consules, qui post me fuerunt, Rempub. defendere solebant. Quid ergo? istos, inquies, mercede conductos habebimus? Quid faciemus, si aliter non possumus, an libertinis, atque etiam seruis seruiamus? sed, vt tu ais, ἅλις σπουδῆς. Fauonius meam tribum tulit honestius, quàm suam; Luccey perdidit. accusauit Nasicam inhonestè, ac (modestè tamen dixit) ita vt Rhodi videretur molis potius, quàm Moloni, operam dedisse. mihi, quòd defendissem, leuiter suscensuit. nunc tamen petit iterum Reipub. caussa. Lucceius quid agat, scribam ad te, cùm Cæsarem videro, qui aderit biduo. Quod Sicyonij te lædunt, Catoni, & eius æmulatori attribuas Ser-

uilio. quid? ea plaga nónne ad multos bonos viros pertinet? sed, si ita placuit, laudemur; deinde in discessionibus soli relinquamur. Amalthea mea te expectat, & indiget tui. Tusculanum, & Pompeianum valde me delectant; nisi quòd me, illum ipsum vindicem æris alieni, ære non Corintheo, sed hoc circumforaneo obruerunt. In Gallia speramus esse otium. Prognostica mea cum oratiunculis propediem expecta. & tamen, quid cogites de aduentu tuo, scribe ad nos. nam mihi Pomponia nuntiari iussit, te mense Quinctili Romæ fore. id a tuis litteris, quas ad me de cessu tuo miseras, discrepabat. Pætus, vt antea ad te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donauit. hoc illius munus in tua diligentia positum est. si me amas, cura, vt conseruentur, & ad me perferantur. hoc mihi nihil potest esse gratius: &, cùm Græcos, tum verò diligenter Latinos vt conserues velim. tuum esse hoc munusculum putabo. Ad Octauium dedi litteras: cum ipso nihil eram locutus. neque enim ista tua negotia prouincialia esse putabam: neque te in tocullionibus habebam. sed scripsi, vt debui, diligenter.

CICERO ATTICO. S. II.

CVRA, *ambo te, Ciceronem nostrum, ei nos* Ξῖοι *videmur:* Πελληναίων *in manibus tenebam. & hercule magnum aceruum Dicæarchi mihi ante pedes extruxeram. ò magnum hominem, & à quo*

multo plura didiceris, quàm de Procilio. Κορινθίων, & Ἀθηναίων puto me Romæ habere. mihi credes, leges: hæc doceo; mirabilis vir est. Ἡρώδης, si homo esset, eum potius legeret, quàm vnam litteram scriberet: qui me epistola petiuit: ad te, vt video, comminus accessit. coniurasse mallem, quàm restitisse coniurationi, si illum mihi audiendum putassem. De Lollio sanus non es. de Vinio laudo. Sed heus tu, ecquid vides KAL. venire, Antonium non venire? iudices cogi? nam ita ad me mittunt, Nigidium minari in contione, se iudicem, qui non affuerit, compellaturum. velim tamen, si quid est de Antonij aduentu, quod audieris, scribas ad me: & quoniam huc non venis, cenes apud nos vtique pridie KAL. caue aliter facias. Cura, vt valeas.

CICERO ATTICO S. III.

PRIMVM, vt opinor, εὐαγγέλια. Valerius absolutus est Hortensio defendente. id iudicium K. Atilio condonatum putabatur. & Epicratem suspicor, vt scribis, lasciuum fuisse. etenim mihi caligæ eius, vt fasciæ cretatæ, non placebant. quid sit, sciemus, cùm veneris. Fenestrarum angustias quòd reprehendis, scito te Κύρου παιδείαν reprehendere. nam, cùm ego idem istuc dicerem, Cyrus aiebat, viridariorum διαφάσεις latis luminibus, non tam esse suauis. etenim ἔστω ὄψις μὲν, ἡ, α: τὸ δὲ ὁρώμενον, β, γ. ἀκτῖνες δὲ, δ, καὶ ε. vides enim cetera. nam, si κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις videremus, valde

Gell. Lib. 5 Cap. 16.

laborent εἴδωλα in angustiis : nunc fit lepidè illa ἔκχυσις radiorum. cetera si reprehenderis, non feres tacitum, nisi quid erit eiusmodi, quod sine sumptu corrigi possit. Venio nunc ad mensem Ianuarium, & ad ὑπόστασιν nostram, ac πολιτείαν: in qua σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον: sed tamen ad extremum, vt illi solebant, τὴν ἀρέσκουσαν. est res sanè magni consilij. nam aut fortiter resistendum est legi agrariæ; in quo est quædam dimicatio, sed plena laudis: aut quiescendum; quod est non dissimile, atque ire in Solonium, aut Antium: aut etiam adiuuandum; quod à me aiunt Cæsarem sic expectare, vt non dubitet. nam fuit apud me Cornelius; hunc dico Balbum, Cæsaris familiarem. is affirmabat, illum omnibus in rebus meo & Pompeij consilio vsurum, daturúmque operam, vt cum Pompeio Crassum coniungeret. Hic sunt hæc, coniunctio mihi summa cum Pompeio; si placet, etiam cum Cæsare; reditus in gratiam cum inimicis; pax cum multitudine; senectutis otium. sed me κατάστασις mea illa commouet, quæ est in libro III.

Interea cursus, quos prima à parte iuuentæ,
Quósque ideo Consul virtute, animóque petisti,
Hos retine, atq; auge famam, laudésq; bonorum.

Hæc mihi cùm in eo libro, in quo multa sunt scripta ἀριστοκρατικῶς, Calliope ipsa præscripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis videatur

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

sed hæc ambulationibus Compitaliciis reseruemus.

Dies Laribus sacer. D iij Die ix post Kal. Jan. Quiritibus Compitalia erunt. Macrob. Varro

ἔκχυσις

Caesar. B

ὑπόθεσις

Il. 12.

adeo

Tu pridie Compitalia memento. balineum calfieri iubebo: & Pomponiam Terentia rogat; matrem adiungemus. θεοφράςου περὶ φιλοτιμίας *affer mihi de libris Quincti fratris.*

CICERO ATTICO S. IIII.

FECISTI *mihi pergratum, quòd Serapionis librum ad me misisti: ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) millesimam partem vix intelligo. pro eo tibi præsentem pecuniam solui imperaui; ne tu expensum muneribus ferres. At quoniam nummorum mentio facta est; amabo te, cura, vt cum Titinio, quoquo modo poteris, transigas. si in eo, quod ostenderat, non stat; mihi maxime placet, ea, quæ malè empta sunt, reddi, si voluntate Pomponiæ fieri poterit: si ne id quidem; nummi potiùs reddantur, quàm vllus sit scrupulus. valde hoc velim ante, quàm proficiscare, amanter, vt soles, diligentérque conficias. Clodius ergo, vt ais, ad Tigranem? velim, Syspiræ condicione: sed facilè patior. accommodatius enim nobis est ad liberam legationem tempus illud, cùm & Quinctus noster iam, vt speramus in otio consederit, &, iste sacerdos Bonæ deæ cuius modi futurus, eius sit. interea quidem cum musis nos delectabimus animo æquo, immò verò etiam gaudenti, ac libenti. neque mihi vmquam veniet in mentem Crasso inuidere, neque pœnitere, quòd a me ipse non descierim. De geographia, dabo operam, vt tibi satisfaciam: sed*

nihil certi polliceor. magnum opus est; sed tamen, vt iubes, curabo, vt huius peregrinationis aliquod tibi opus extet. Tu quidquid indagaris de Rep. & maximè quos Consules futuros putes, facito, vt sciam: tametsi minùs sum curiosus. statui enim nihil iam de Rep. cogitare. Terentiæ saltum perspeximus. quid quæris? præter quercum Dodonæam nihil desideramus, quo minùs Epirum ipsam possidere videamur. Nos circiter KAL. *aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. tu, si in Formiano non erimus; si nos amas, in Pompeianum venito. id & nobis erit periucundum, & tibi non sanè deuium. De muro, imperaui Philotimo, ne impediret, quo minùs id fieret, quod tibi videretur. censeo tamen, adhibeas Vettium. his temporibus, tam dubia vita optimi cuiusque, magni æstimo vnius æstatis fructum palæstræ Palatinæ, sed ita tamen, vt nihil minùs velim, quàm Pomponiam, & puerum versari in timore ruinæ.*

CICERO ATTICO. S. V.

CVPIO *equidem, & iampridem cupio Alexandream, reliquámque Aegyptum visere, & simul ab hac hominum satietate nostri discedere, & cum aliquo desiderio reuerti: sed hoc tempore, & his mittentibus,* αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους. *quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo præmio de sententia esse deductum?* Πουλυδάμας μοι πρῶτος

ἐλεγχείην ἀναθήσει Cato ille noster, qui mihi vnus est pro centum milibus. quid vero historiæ de nobis ad annos D.C. prædicarint? quas quidem ego multo magis vereor, quam eorum hominum, qui hodie viuunt, rumusculos. sed opinor, excipiamus, & expectemus. si enim deferetur, erit quædam nostra potestas, & tum deliberabimus. etiam est in non accipiendo non nulla gloria. quare si quid Θεοφάνης tecum fortè contulerit, ne omnino repudiaris. de istis rebus expecto tuas litteras; quid Arrius narret; quo animo se destitutum ferat; ecqui Consules parentur; vtrum, vt populi sermo, Pompeius, & Crassus; an, vt mihi scribitur, cum Gabinio Ser. Sulpicius: &, num quæ nouæ leges: &, num quid noui omnino: &, quoniam Nepos proficiscitur, cuinam Auguratus deferatur: quo quidem vno ego ab istis capi possum. vide securitatem meam. sed quid ego hæc, quæ cupio deponere, & toto animo, atque omni cura φιλοσοφεῖν? sic, inquam, in animo est: vellem ab initio. nunc vero, quoniam, quæ putaui esse præclara, expertus sum, quam essent inania; cum omnibus musis rationem habere cogito. Tu tamen de Curtio ad me rescribe certiùs; &, num quis in eius locum paretur; &, quid de P. Clodio fiat: &, omnia, quemadmodum polliceris, ἐπὶ σχολῆς scribe: &, quo die Romæ te exiturum putes, velim ad me scribas; vt certiorem te faciam, quibus in locis futurus sum; epistolámque statim des de iis rebus, de quibus ad te scripsi. valde enim exspecto tuas litteras.

CICERO ATTICO. S. VI.

QVOD tibi superioribus litteris promiseram, fore, vt opus extaret huius peregrinationis; nihil iam magnopere confirmo. sic enim sum complexus otium, vt ab eo diuelli non queam. itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antij festiuam copiam: aut fluctus numero. nam ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneæ. a scribendo prorsus abhorret animus. etenim γεωγραφικὰ, quæ constitueram, magnum opus est: ita valde Eratosthenes, quem mihi proposueram, a Serapione, & ab Hipparcho reprehenditur. quid censes, si Tyrannio accesserit? & hercule sunt res difficiles ad explicandum, & ὁμοειδεῖς: nec tam possunt ἀνθηρογραφεῖσθαι, quàm videbatur: &, quod caput est, mihi quæuis satis iusta caussa cessandi est. quin etiam dubitem, an hic, an Antij considam, & hoc tempus omne consumam: vbi quidem ego mallem Duumvirum, quàm Romæ me fuisse. tu verò sapientior Buthroti domum parasti. sed, mihi crede, proxima est illi municipio hæc Antiatium ciuitas. esse locum tam prope Romam, vbi multi sint, qui Vatinium numquam viderint? vbi nemo sit, præter me, qui quenquam ex XX. viris viuum, et sæclum, velit? vbi me interpellet nemo, diligant omnes? hic nimirum πολιτευτέον. nam istic non solum non licet, sed etiam tædet. itaque ἀνέκδοτα, quæ tibi vni legamus, Theopompino genere, aut etiam

[Handwritten marginal notes:] κολιάς lacertos captandos Mammalo vulgo — Strabo lib. 2 — bam — qui — vrbs est in Epiro. Vide 132. — viuum esse ... — De ... lib. ... 139.

[Handwritten note at foot:] Suidas in voce Προκόπιος. Ἔγραψε καὶ ἕτερον βιβλίον, τὰ καλούμενα ἀνέκδοτα. et paulo post. τὸ βιβλίον Προκοπίου τὸ καλούμενον ἀνέκδοτα, ψόγους καὶ κωμῳδίαν Ἰουστινιανοῦ τοῦ βασιλέως περιέχει· καὶ τῆς αὐτοῦ γυναικὸς Θεοδώρας· ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτοῦ τοῦ Βελισαρίου, καὶ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ.

asperiore multo, pangentur. neque aliud iam quicquam πολιτεύομαι, nisi odisse improbos, & id ipsum nullo cum stomacho, sed potiùs cum aliqua scribendi voluptate. Sed vt ad rem, scripsi ad Quaestores urbanos de Quincti fratris negotio. vide, quid narrent, ecqua spes sit denarij, an cistophoro Pompeiano iaceamus. Praeterea de muro, statue, quid faciendum sit. Aliud quid? etiam. quando te proficisci istinc putes, fac, vt sciam.

CICERO ATTICO. S. VII.

De *geographia etiam atque etiam deliberabimus. Orationes autem me duas postulas: quarum alteram non libebat mihi scribere, quia abscideram; alteram, ne laudarem eum, quem non amabam. sed id quoque videbimus. denique aliquid extabit; ne tibi planè cessasse videamur. De Publio quae ad me scribis, sanè mihi iucunda sunt: eàque etiam velim, omnibus vestigiis indagata, ad me afferas, cùm venies; & interea scribas, si quid intelliges, aut suspicabere: & maximè de legatione quid sit acturus. equidem ante, quàm tuas legi litteras, hominem ire cupiebam; non mehercule, vt differrem cum eo vadimonium; (nam mira sum alacritate ad litigandum) sed videbatur mihi, si quid esset in eo populare, quòd plebeius factus esset, id amissurus. quid enim ad plebem transisti? vt Tigranem ires salutatum? narra mihi, reges Armenij patricios salutare non solent? quid quaeris?*

acueram me ad exagitandam hanc eius legationem. quam si ille contemnit, & , si, vt scribis, bilem id commouet & latoribus, & auspicibus legis curiatæ, spectaculum egregium. Herculè, verum vt loquamur, sub contumeliosè tractatur noster Publius: primùm, qui cùm in domo Cæsaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in Viginti quidem esse potuerit: deinde, alia legatio dicta erat, alia data est; illa opima ad exigendas pecunias Druso, vt opinor, Pisaurensi, an epuloni Vatinio reseruatur: hæc ieiunsa, ac bella relegatio datur ei, cuius Tribunatus ad istorum tempora reseruatur. incende hominem, amabo te, quoad pot' est. vna spes est salutis, istorum inter istos dissensio; cuius ego quædam initia sensi ex Curione. iam vero Arrius Consulatum sibi ereptum fremit. Megabocchus, & hæc sanguinaria iuuentus inimicissima est. accedat vero, accedat etiam ista rixa Auguratus. spero me præclaras de istis rebus epistolas ad te sæpe missurum. Sed, illud quid sit, scire cupio, quod iacis obscurè, iam etiam ex ipsis Quinque viris loqui quosdam. quidnam id est? si est enim aliquid, plus est boni, quàm putaram. atque hæc, sic velim existimes, non me abs te κατὰ τὸ πρακτικὸν quærere; quòd gestiat animus aliquid agere in Rep. iam pridem gubernare me tædebat, etiam cùm licebat. nunc verò cùm cogar exire de naui, non abiectis, sed receptis gubernaculis; cupio istorum naufragia ex terra intueri, cupio, vt ait tuus amicus Sophocles, χἀν ὑπὸ στέγῃ

Πυκνᾶς ἀκούειν ψακάδος εὐδούσῃ φρενί.

De muro, quid opus sit, videbis. Castricianum mendum nos corrigemus: & tamen ad me Quinctus CIↃCCIↃↃIↃↃↃ *scripserat, nunc ad sororem tuam* HS XXX. *Terentia tibi salutem dicit. Cicero tibi mandat, vt Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo, sororis tuæ filio, respondisti. De Amalthea quod me admones, non negligemus. Cura, vt valeas.*

CICERO ATTICO S. VIII.

EPISTOLAM *cùm à te auidè expectarem ad vesperum, vt soleo; ecce tibi nuntius, pueros venisse Roma. voco, quæro, ecquid litterarum? negant. quid ais, inquam, nihil ne à Pomponio? perterriti voce & vultu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in via. quid quæris? permoleste tuli. nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re vtili & suaui venerat. nunc, si quid in ea epistola, quam ante diem* XVI. KAL. *Mai. dedisti, fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus: sin nihil præter iocationem, redde id ipsum. & scito Curionem adolescentem venisse ad me salutatum. valde eius sermo de Publio cum tuis litteris congruebat. ipse verò mirandum in modum reges odisse superbos. peræque narrabat incensam esse iuuentutem, neque ferre hæc posse. bene habemus, nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiæ. quamquam, licet me Saufeium putes esse,*

nihil me est inertius. Sed cognosce itinera nostra; vt statuas, vbi nos visurus sis. In Formianum volumus venire Parilibus: inde, (quoniam putas prætermittendum nobis esse hoc tempore Cratera illum delicatum) KAL. Mai. de Formiano proficiscemur, vt Antij simus A. D. V. NON. Mai. ludi enim Antij futuri sunt à IIII. ad prid. NON. Mai. eos Tullia spectare vult. inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum, Romam A. D. KAL. Iun. Te aut in Formiano, aut Antij, aut in Tusculano, cura, vt videamus. Epistolam superiorem restitue nobis, & appinge aliquid noui.

CICERO ATTICO. S. IX.

S. V. B. E. *Cùm mihi dixisset Cæcilius Quæstor puerum se Romam mittere, hæc scripsi raptim, vt tuos elicerem mirificos cum Publio dialogos, cùm eos de quibus scribis; tum illum, quem abdis, & ais, longum esse, quæ ad ea responderis, perscribere; illum verò, qui nondum habitus est, quem illa* βοῶπις, *cùm è Solonio redierit, ad te est relatura, sic velim putes, nihil hoc posse mihi esse iucundius. si verò, quæ de me pacta sunt, ea non seruantur; in cælo sum: vt sciat hic noster Hierosolymarius, traductor ad plebem, quàm bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit: quarum expecta diuinam* παλινῳδίαν. *etenim, quantum coniectura auguramur, si erit nebulo iste cum his dynastis in gratia, non modò de cynico Consulari, sed ne de*

istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare. non enim poterimus ulla esse in inuidia, spoliati opibus, & illa Senatoria potentia. sin autem ab his dissentiet; erit absurdum in nos inuehi. veruntamen inuehatur. festinè, mihi crede, & minore sonitu, quàm putaram, orbis hic in Rep. est conuersus, citiùs omnino, quàm potuit, id culpa Catonis. sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam, & Liciniam, qui Cæciliam, & Didiam neglexerunt; qui omnia remedia Reip. effuderunt; qui regna, qui prædia tetrarchis, qui immanis pecunias paucis dederunt, video iam, quò inuidia transeat, & vbi sit habitatura. nihil me existimaris, neque vsu, neque à Theophrasto didicisse, nisi breui tempore, desiderari nostra illa tempora, videris. etenim si fuit inuidiosa Senatus potentia; cùm ea non ad populum, sed ad tris homines immoderatos redacta sit, quidnam censes fore? proinde isti licet faciant, quos volent, Consules, Tribunos pl. denique etiam Vatinij strumam sacerdotij διβάφῳ vestiant; videbis breui tempore magnos non modò eos, qui nihil titubarunt, sed etiam illum ipsum, qui peccauit, Catonem. nam nos quidem, si per istum tuum sodalem Publium licebit, σοφιστεύειν cogitamus: si ille cogit ἄνδρα, tum duntaxat nos defendere; &, quod est proprium artis huius, ἐπαγγέλλομαι

Ἄνδρ᾽ ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Patria propicia sit: habet a nobis, etiam si non plus, quàm debitum est, plus certè, quàm postulatum est.

malè vehi malo alio gubernante, quàm tam ingratis vectoribus, bene gubernare. Sed hæc coram commodiùs. nunc audi, quod quæris. Antium me ex Formiano recipere cogito A.D.V. NON. Mai. Antio volo NON. Mai proficisci in Tusculanum. sed cum è Formiano rediero, (ibi esse vsque ad prid. KAL. Mai. volo) faciam statim te certiorem. Terentia tibi salutem. Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον. τὸν

CICERO. ATTICO S. X.

VOLO ames meam constantiam. ludos Antij spectare non placet. est enim ὑπόσολοικον, cùm velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repente ἀναφαίνεσθαι non solùm delicatè, sed etiam ineptè peregrinantem. quare vsque ad NON. Mai. te in Formiano expectabo. nunc fac, vt sciam, quo die te visuri simus. Ab Appij Foro, hora quarta. dederam aliam paulo ante Tribus tabernis.

CICERO ATTICO. S. XI.

NARRO tibi, planè relegatus mihi videor, postea quàm in Formiano sum. dies enim nullus erat, Antij cùm essem, quo die non meliùs scirem, Romæ quid ageretur, quàm ij, qui erant Romæ. etenim litteræ tuæ, non solùm quid Romæ, sed etiam quid in Rep. neque solùm quid fieret, verùm etiam quid futurum esset, indicabant. nunc, nisi si

quid ex prætereunte viatore exceptum est, scire nihil possumus. quare quamquam iam te ipsum exspecto, tamen isti puero, quem ad me statim iussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modò actorum, sed etiam opinionum tuarum: ac diem, quo Roma sis exiturus, cura vt sciam. Nos in Formiano esse volumus vsque ad prid. Nonas Mai. eò si ante eam diem non veneris, Romæ te fortasse videbo. nam Arpinum quid ego te inuitem?

Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουρότροφος. οὔτι ἔγωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Hæc igitur. Cura vt valeas.

CICERO ATTICO. S. XII.

NEGENT *illi Publium plebeium factum esse. hoc vero regnũ est, & ferri nullo pacto potest. mittat ad me Publius, qui obsignent; iurabo, Cneum nostrum, collegam Balbi, Antij mihi narrasse, se in auspicio fuisse. ô suaues epistolas tuas, vno tempore mihi datas, duas: quibus* εὐαγγέλια *quæ reddam, nescio: deberi quidem planè fateor. sed vide* συγκύρημα. *Emerseram commodè ex Antiati in Appiam ad Tris tabernas, ipsis Cerialibus, cùm in me incurrit, Roma veniens Curio meus. ibidem ilico puer abs te cum epistolis. ille ex me, nihil ne audissem noui: ego negare. Publius, inquit, Tribunatum pl. petit. quid ais? & inimicissimus quidem Cæsaris, & vt omnia, inquit, ista rescindat. quid*

Cesar?

Cæsar? inquam, negat, se quicquam de illius adoptione tulisse. deinde suum, Memmij, Metelli Nepotis exprompsit odium. Complexus iuuenem dimisi, properans ad epistolas. Vbi sunt, qui aiunt, ζώσης φωνῆς? *quanto magis vidi ex tuis litteris, quàm ex illius sermone, quid ageretur? de ruminatione quotidiana, de cogitatione Publij, de lituis* βοώπιδος, *de signifero Athenione, de litteris missis ad Cnæum, de Theophanis, Memmiique sermone. quantam porrò mihi exspectationem dedisti conuiuij istius* ἀσελγοῦς? *sum in curiositate* ὀξύπεινος: *sed tamen facilè patior te id ad me* συμπόσιον *non scribere; præsentem audire malo. Quod me, vt scribam aliquid, hortaris: crescit mihi quidem materies, vt dicis: sed tota res etiam nunc fluctuat,* κατ' ὀπώρην τρὺξ: *quæ si decesserit; magis erunt iudicata, quæ scribam: quæ si statim à me ferre non potueris, primus habebis tamen, & aliquandiu solus. Dicæarchum rectè amas. luculentus homo est, & ciuis haud paulo melior, quàm isti nostri* ἀδικαίαρχοι. *Litteras scripsi hora decima Cerialibus, statim, vt tuas legeram: sed eas eram daturus, vt putaram, postridie ei, qui mihi primus obuiam venisset. Terentia delectata est tuis litteris, & impertit tibi multam salutem:* καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται.

CICERO ATTICO. S. XIII.

FACINVS *indignum: epistolam,* αὐθωρεὶ *tibi*

à Tribus tabernis rescriptam ad tuas suauissimas epistolas, neminem reddidisse? at scito, eum fasciculum, quò illam conieceram, domum eo ipso die latum esse, quo ego dederam, & ad me in Formianum relatum esse. itaque tibi tuam epistolam iussi referri; ex qua intelligeres, quàm mihi tum illa grata fuissent. Romæ quòd scribis sileri, ita putabam. at herculè in agris non siletur: nec iam ipsi agri regnum vestrum ferre possunt. si verò in hanc τηλέπυλον *veneris* λαιστρυγονίην, *(Formias dico) qui fremitus hominum? quàm irati animi? quanto in odio noster amicus Magnus? cuius cognomen vna cum Crassi Diuitis cognomine consenescit. credas mihi velim; neminem adhuc offendi, qui hæc tam lentè, quàm ego fero, ferret. quare, mihi crede,* φιλοσοφῶμεν. *iuratus tibi possum dicere, nihil esse tanti. Tu si litteras ad Sicyonios habes, aduola in Formianum: vnde nos prid.* NON. *Mai. cogitamus.*

CICERO ATTICO. S. XIIII.

QVANTAM *tu mihi moues exspectationem de sermone Bibuli? quantam de colloquio* βοώπιδος? *quantam etiam de illo delicato conuiuio? proinde ita fac venias, ac ad sitientis aures. quanquam nihil est iam, quod magis timendum nobis putem, quàm ne ille noster Sampsiceramus, cùm se omnium sermonibus sentiet vapulare, & cùm has actiones* εὐανατρέπτους *videbit ruere incipiat. ego autem vsque*

basilica. l. predictis § item cum quaerentur de auro et arg. leg. — apud Plautum basilicam et subbasilicam.

eò sum eneruatus, vt hoc otio, quo nunc tabescimus, malim ἐντυραννεῖσθαι, quàm cum optima spe dimicare. De pangendo quod me crebrò adhortaris, fieri nihil potest. basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum. at quàm parem basilicae tribum Aemiliam? sed omitto vulgus. post horam I I I I. molesti ceteri non sunt. C. Arrius proximus est vicinus. immo ille quidem iam contubernalis; qui etiam se idcirco Romam ire negat, vt hîc mecum totos dies philosophetur. ecce ex altera parte Sebosus, ille Catuli familiaris. quò me vertam? statim mehercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodissimè expectari viderem, duntaxat ad prid. NON. Mai. vide enim, quibus hominibus aures sint deditae meae. occasionem mirificam, si qui nunc, dum hi apud me sunt, emere de me fundum Formianum velit. & tamen illud probem? MAGNVM QVID AGGREDIAMVR, ET MVLTAE COGITATIONIS, ATQVE OTII. sed tamen satisfiet à nobis, neque parcetur labori.

partem
+ in ea n.
mani suffr.
ferebant
lib. 38.
+ l. Jud.
nacula
verb. sig.

CICERO ATTICO. S. XV.

VT scribis, ita video, non minus incerta in Rep. quàm in epistola tua: sed tamen ista ipsa me varietas sermonum, opinionúmque delectat. Romae enim videor esse, cùm tuas litteras lego, &, vt fit in tantis rebus, modò hoc, modò illud audire. illud tamen explicare non possum, quidnam inuenire

possit, nullo recusante, ad facultatem agrariam. Bibuli autem ista magnitudo animi in comitiorum dilatione, quid habet, nisi ipsius iudicium sine ulla correctione Reip.? nimirum in Publio spes est: fiat, fiat Tribunus plebis: si nihil aliud, vt eo citiùs tu ex Epiro reuertare. nam, vt illo tu careas, non video posse fieri; præsertim si mecum aliquid volet disputare. sed id quidem non dubium est, quin, si quid erit eiusmodi, sis aduolaturus. verùm vt hoc non sit; tamen seu ruet, seu eriget Remp. præclarum spectaculum mihi propono, modò te consessore spectare liceat. Cùm hæc maximè scriberem, ecce tibi Sebosus. nondum planè ingemueram; salue, inquit Arrius. hoc est Roma decedere? quos ego homines effugi, cùm in hos incidi? ego verò in montis patrios, & ad incunabula nostra pergam. denique, si solus non potuero, cum rusticis potiùs, quàm cum his perurbanis: ita tamen, vt, quoniam tu certi nihil scribis, in Formiano tibi præstoler vsque ad III. NON. *Maï. Terentiæ pergrata est assiduitas tua, & diligentia in controuersia Mulujana. nescit omnino, te communem caussam defendere eorum, qui agros publicos possideant. sed tamen tu aliquid Publicanus pendis; hæc etiam id recusat. ea tibi igitur, & Κικέρων, ἀριστοκρατικώτατος παῖς, salutem dicunt.*

Super agris dividendis.

alij, seruet remp. Hoc malo, quod a Bosio editum est.

Qui tibi ad forú Aureliú præstolarentur. II

l. 1 Si ager vectig. id est, emphyt. pet. Sp. Thorius agrú publicum vectigali leuauerat. Cic. in Brut.

CICERO ATTICO. S. XVI.

CENATO *mihi, & iam dormitanti, prid.*

Aurū vicesimariū in aerario sanctiore ad vltimos casus seruari solitum. Liuius lib. 27.

KAL. *Mai. epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis. quid quæris? primùm ita me pupugit, vt somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis, quam molestia. cogitanti autem hæc ferè succurrebant. primùm ex eo, quod superioribus litteris scripseras, ex familiari te illius audisse, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret; maius aliquid timueram: hoc mihi eiusmodi non videbatur. deinde, vt me ego consoler, omnis expectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum videtur esse deriuata: qui ager, vt dena iugera sint, non ampliùs hominum quinque milia potest sustinere. reliqua omnis multitudo ab illis abalienetur, necesse est. præterea, si vlla res est, quæ bonorum animos, quos iam video esse commotos, vehementiùs possit incendere, hæc certè est, & eo magis, quòd portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diuiso, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam? quæ mihi videtur vna contiuncula, clamore pedissequorum nostrorum, esse peritura. Cnæus quidem noster iam planè quid cogitet, nescio.*

φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβείας ἄτερ:

qui quidem etiam istuc adduci potuerit. nam adhuc hoc ἐσοφίζετο, se leges Cæsaris probare; actiones ipsum præstare debere: agrariam legem sibi placuisse; potuerit intercedi, nec ne, nihil ad se pertinere: de rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici; Bibulus de cælo tum seruasset, nec ne, sibi quærendum non fuisse: de Publicanis, vo-

Dio lib. 38.

Erant autem agripetae ad XX millia. Velleius. Appianus. At Caesar, vt ei incommodo occurreret, et Stellatem agrū diuisit. Suet. itaq. XX millia Dio, Velleius, Appianus.

a portoriis sublatis Dio lib. 37.

+ a tribus tribb. qui quotidie de caelo seruabant. Cic. in Vatin.

Longinus de Clitarcho. φλοιώδης γάρ ὁ ἀνήρ, καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα, σμικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς δ' ἄτερ.

luisse illi ordini commodare; quidquid futurum fuerit, si Bibulus tum in forum descendisset, se diuinare non potuisse. nunc verò Sampsicerame quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano constituisse, agri Campani abstulisse? quid, hoc quemadmodum obtinebis? oppressos vos, inquit, tenebo exercitu Cæsaris. non mehercule me tu quidem tam isto exercitu, quam ingratis animis eorum hominum, qui appellantur boni: qui mihi non modò præmiorum, sed ne sermonum quidem vmquam fructum vllum, aut gratiam retulerunt. quod si in eam me partem incitarem, profectò iam aliquam reperirem resistendi viam. nunc prorsus hoc statui, vt quoniam tanta controuersia est Dicearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo, vt ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longè omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικὸν, vtrique à me mos gestus esse videatur. puto enim me Dicæarcho affatim satisfecisse: respicio nunc ad hanc familiam, quæ mihi non modò, vt requiescam, permittit; sed reprehendit, quia non semper quierim. quare incumbamus ô noster Tite ad illa præclara studia: & eò, vnde discedere non oportuit, aliquando reuertamur. Quod de Quincti fratris epistola scribis, ad me quoque fuit πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ: quid dicam nescio. nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, vt quemuis mouere possit: ita rursus remittit, vt me roget, vt annales suos emendem, & edam. Illud tamen, quod scribit, animaduertas velim, de portorio circumuectionis; ait, se de consilij

sententia rem ad Senatũ reiecisse. nondum videlicet meas litteras legerat; quibus ad eum, re consulta, & explorata, perscripseram, non deberi. velim, si qui Græci iam Romam ex Asia de ea caussa venerunt, videas, & si tibi videbitur, his demonstres, quid ego de ea re sentiam. si possum discedere, ne caussa optima in Senatu pereat, ego satisfaciam Publicanis; εἰ δὲ μὴ, *(verè tecum loquar) in hac re malo vniuersæ Asiæ, & negotiatoribus. nam eorum quoque vehementer interest. hoc ego sentio valde nobis opus esse. sed tu id videbis. Quæstores autem, quæso, num etiam de cistophoro dubitant? nam si aliud nihil erit; cùm erimus omnia experti, ego illud ne quidem contemnam, quod extremum est. Te in Arpinati videbimus, & hospitio agresti accipiemus; quoniam maritimum hoc contempsisti.*

CICERO ATTICO. S. XVII.

PRORSVS, *vt scribis, ita sentio. turbat vi Sampsiceramus (nihil est, quod non timendum sit)* ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται. *quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid ager Campanus, quid effusio pecuniæ significant? quæ si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, vt hæc extrema esse non possint. quid enim eos hæc ipsa per se delectare possunt? numquam huc venissent, nisi ad alias res pestiferas aditus sibi compararent. verùm, vt scribis, hæc in Arpinati* A. D. VI. *circiter* ID. *Mai. non deflebimus, ne & opera,*

& oleum philologiæ nostræ perierit: sed conferemus tranquillo animo. dij immortales! neque tam me εὐελπιστία consolatur, vt antea, quàm ἀδιαφορία; qua nulla in re tam vtor, quàm in hac ciuili, & publica. quin etiam, quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον, (bellum est enim sua vitia nosse) afficitur quadam delectatione: solebat enim me pungere, ne Sampsicerami merita in patriam ad annos DC. maiora viderentur, quàm nostra: hac quidem cura certe iam vacuum est. iacet enim ille sic, vt πλῶσις Curiana stare videatur. Sed hæc coram. Tu tamen videris mihi Romæ fore ad nostrum aduentum. quod sanè facilè patiar, si tuo commodo fieri possit. sin, vt scribis, ita venies; velim è Theophane expiscere, quonam in me animo sit Alabarches. quæres scilicet, vt soles, κατὰ τὸ κηδεμονικὸν, & ad me ab eo quasi ὑποθήκας adferes, quemadmodum me geram. aliquid ex eius sermone poterimus περὶ τῶν ὅλων suspicari.

CICERO ATTICO S. XVIII.

ACCEPI aliquot epistolas tuas: ex quibus intellexi, quàm suspenso animo, & solicito scire haueres, quid esset noui. tenemur vndique: neque iam, quo minùs seruiamus, recusamus; sed mortem, & eiectionem, quasi maiora, timemus: quæ multo sunt minora, atque hic status; qui vna voce omnium gemitur, neque verbo cuiusquam subleuatur. σκοπὸς est, vt suspicor, illis qui tenent, nullam

cuiquam largitionem relinquere. vnus loquitur, & palam aduersatur adolescens Curio. huic plausus maximi, consalutatio forensis perhonorifica, signa præterea beneuolentiæ permulta à bonis impertiuntur: Fusium clamoribus, & conuiciis, & sibilis consectantur. his ex rebus non spes, sed dolor est maior; cùm videas ciuitatis voluntatem solutam, virtutem alligatam. ac ne fortè quæras κατὰ λεπτὸν *de singulis rebus, vniuersa res eò est deducta, spes vt nulla sit, aliquando non modò priuatos, verùm etiam magistratus liberos fore. hac tamen in oppressione sermo, in circulis duntaxat, & conuiuiis, est liberior, quàm fuit. uincere incipit timorem dolor, sed ita, vt omnia sint plenissima desperationis. habet etiam Campana lex execrationem in coitione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque vt ex legibus Iuliis. non dubitant iurare ceteri. Laterensis existimatur cautè fecisse, quòd Tribunatum pl. petere destitit, ne iuraret. Sed de Rep. non libet plura scribere. displiceo mihi, nec sine summo scribo dolore. me tueor, vt oppressis omnibus, non demissè; vt tantis rebus gestis, parum fortiter. à Cæsare valde liberaliter inuitor, in legationem illam sibi vt sim legatus: atque etiam libera legatio voti caussa datur. sed hæc & præsidij apud pudorem Pulchelli non habet satis, & à fratris aduentu me ablegat: illa & munitior est, & non impedit, quo minus adsim, cùm velim. hanc ego teneo, sed vsurum me non puto. neque tamen scit quisquam. non lubet fugere: haueo pugnare.*

magna ſunt hominum ſtudia. ſed nihil affirmo: tu hoc ſilebis. De Statio manumiſſo, & non nullis aliis rebus, angor quidem, ſed iam prorſus occallui. tu, vellem, egóue cuperem, adeſſes: nec mihi conſilium, nec conſolatio deeſſet. ſed ita te para, vt, ſi inclamaro, aduoles.

CICERO ATTICO S. XIX.

MVLTA *me ſolicitant, & ex Reip. tanto motu, & ex iis periculis, quæ mihi ipſi intenduntur: & ſexcenta ſunt. ſed mihi nihil eſt moleſtius, quam Statium manumiſſum.* nec meum imperium? ac mitto imperium, non ſimultatem meam revereri ſaltem? *nec, quid faciam, ſcio: neque tantum eſt in re, quantus eſt ſermo. ego autem ne iraſci poſſum quidem iis, quos valde amo: tantum doleo, ac mirificè quidem. cetera in magnis rebus; minæ Clodij, contentionéſque, quæ mihi proponuntur, modicè me tangunt. etenim vel ſubire eas videor mihi ſumma cum dignitate, vel declinare nulla cum moleſtia poſſe. Dices fortaſſe, dignitatis* ἅλις, *tanquam* δρυός: *ſaluti, ſi me amas, conſule. Me miſerum, cur non ades? nihil te profectò præteriret: ego fortaſſe* τυφλώττω, *& nimiùm* τοῦ καλοῦ προσπέπονθα. *ſcito nihil vnquã fuiſſe tam infame, tam turpe, tam peræquè omnibus generibus, ordinibus, ætatibus offenſum, quàm hunc ſtatum, qui nunc eſt: magis mehercule, quàm vellem, non modò quàm putarem. populares iſti iam etiam modeſtos homines ſibilare docuerunt.*

Bibulus in cælo eſt: nec, quare, ſcio; ſed ita laudatur, quaſi Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem. *Pompeius, noſtri amores, qui mihi ſummo dolori eſt, ipſe ſe afflixit; neminem tenet: voluntate, an metu neceſſe ſit iis vti, vereor. Ego autem neque pugno cum illa cauſſa propter illam amicitiam: neque approbo, ne omnia improbem, quæ antea geſſi: vtor via. populi ſenſus maximè theatro, & ſpectaculis perſpectus eſt. nam, gladiatoribus, qua dominus, quà aduocati ſibilis conſciſſi. ludis Apollinaribus Diphilus tragœdus in noſtrum Pompeium petulanter inuectus eſt:* Noſtra miſeria tu es Magnus, *milies coactus eſt dicere.* Eandem virtutem iſtam, veniet tempus, cùm grauiter gemes, *totius theatri clamore dixit, itemque cetera. nam & eiuſmodi ſunt ij verſus, vt in tempus ab inimico Pompeij ſcripti eſſe videantur.* Si neq; leges, neque mores cogunt, *& cetera magno cum fremitu & clamore ſunt dicta. Cæſar cùm veniſſet mortuo plauſu, Curio filius eſt inſecutus. huic ita plauſum eſt, vt ſalua Rep. Pompeio plaudi ſolebat. tulit Cæſar grauiter. litteræ Capuam ad Pompeium volare dicebantur. inimici erant Equitibus, qui Curioni ſtantes plauſerant; hoſtes omnibus. Roſciæ legi, etiam frumentariæ minitabantur. ſanè res erat perturbata. equidem malueram, quod erat ſuſceptum ab illis, ſilentio trāſire: ſed vereor, ne nō liceat. non ferūt homines, quod videtur eſſe tamen ferendū. ſed eſt iam vna vox omniū, magis odio firmata, quàm præſidio. Noſter autem Publius mihi minitatur, inimicus eſt: impendet negotium*

ad quod tu scilicet aduolabis. videor mihi nostrum illum Consularem exercitum bonorum omnium, etiam satis bonorum, habere firmissimum. Pompeius significat studium erga me non mediocre. idem affirmat, verbum de me illum non esse facturum. in quo non me ille fallit, sed ipse fallitur. Cosconio mortuo, sum in eius locum inuitatus. id erat vocari in locum mortui. nihil me turpius apud homines fuisset: neque verò, ad istam ipsam ἀσφάλειαν, quicquam alienius. sunt enim illi apud bonos inuidiosi: ego apud improbos meam retinuissem inuidiam, alienam assumpsissem. Cæsar me sibi vult esse legatum. honestior hæc declinatio periculi. sed ego hoc nunc repudio. quid ergo est? pugnare malo: nihil tamen certi. iterum dico, vtinam adesses. sed tamen, si erit necesse, arcessemus. Quid aliud? quid? hoc opinor. certi sumus perisse omnia. quid enim ἀκκιζόμεθα tandiu? Sed hæc scripsi properans, & mehercule timidè. posthac ad te, aut, si perfidelem habebo, cui dem, scribam planè omnia: aut, si obscurè scribam, tu tamen intelliges. in iis epistolis me Lælium, te Furium faciam: cætera erunt ἐν αἰνιγμοῖς. Hic Cæcilium colimus, & obseruamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te missa. iis ardet dolore, & ira noster Pompeius.

CICERO ATTICO. S. XX.

ANICATO, *vt te velle intellexeram, nullo loco defui. Numestium ex litteris tuis, studiosè*

ſcriptis, libenter in amicitiam recepi. Cæcilium, quibus rebus poſſum, tueor diligenter. Varro ſatisfacit nobis. Pompeius amat nos, caróſque habet. credis? inquies: credo: prorſus mihi perſuadet. ſed quia, vt video, pragmatici homines omnibus hiſtoricis præceptis, verſibus denique cauere iubent, & vetant credere: alterum facio, vt caueam; alterum, vt non credam, facere non poſſum. Clodius adhuc mihi denuntiat periculum: Pompeius affirmat non eſſe periculum; adiurat; addit etiam, ſe prius occiſum iri ab eo, quàm me violatum iri. tractatur res. ſimul & quid erit certi, ſcribam ad te. ſi erit pugnandum, arceſſam ad ſocietatem laboris: ſi quies dabitur, ab Amalthea te non commouebo. De R ep. breuiter ad te ſcribam. iam enim charta ipſa ne nos prodat, pertimeſco. itaque poſthac, ſi erunt mihi plura ad te ſcribenda, ἀλληγορίαις obſcurabo. Nunc quidem nouo quodam morbo ciuitas moritur: vt, cùm omnes ea, quæ ſunt acta, improbent, querantur, doleant, varietas in re nulla ſit, apertéque loquantur, & iam clarè gemant; tamen medicina nulla afferatur. neque enim reſiſti ſine internecione poſſe arbitramur: nec videmus, qui finis cedendi, præter exitium, futurus ſit. Bibulus, hominum admiratione & beniuolentia, in cælo eſt. edicta eius & contiones deſcribunt & legunt. nouo quodam genere in ſummam gloriam venit. populare nunc nihil tam eſt, quàm odium popularium. hæc quò ſint eruptura, timeo. ſed, ſi diſpicere quid cœpero, ſcribam ad te apertiùs. tu, ſi me amas tan-

hiſtorijs, ut 61

Centies efficiunt [illegible] sestertiorum. At Cicero se ducenties non amplius hereditatibus accepisse profitetur.

Centum millia erunt 4000. idque verisimilius videtur.

tùm, quantùm profectò amas; expeditus facito, vt sis; si inclamaro, vt accurras. sed do operam & dabo, ne sit necesse. Quod scripseram, te Furium scripturum; nihil necesse est tuum nomen mutare. me faciam Lælium, & te Atticum; neque vtar meo chirographo, neque signo; si modò erunt eiusmodi litteræ, quas in alienum incidere nolim. Diodotus mortuus est: reliquit nobis HS fortasse centies Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem XV. KAL. Nouemb. distulit. A Vibio libros accepi. poeta ineptus: sed tamen scit nihil: sed est non inutilis. describo & remitto.

Non est is, de quo in Bruto.

Alexandri poetae 82.

sed tamen. scit nihil: sed etc.

CICERO ATTICO. S. XXI.

DE Rep. quid ego tibi subtiliter? tota periit: atque hoc est miserior, quam reliquisti, quod tum videbatur eiusmodi dominatio ciuitatem oppressisse, quæ iucunda esset multitudini, bonis autem ita molesta, vt tamen sine pernicie; nunc repente tanto in odio est omnibus, vt quorsum eruptura sit, horreamus. nam iracundiam, atque intemperantiam illorum sumus experti, qui Catoni irati, omnia perdiderunt. sed ita lenibus vti videbantur venenis, vt posse videremur sine dolore interire. nunc verò sibilis vulgi, sermonibus honestorum, fremitu Italiæ, vereor ne exarserint. equidem sperabam, vt sæpe etiam loqui tecum solebam, sic orbem Reip. esse conuersum, vt vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus: & fuisset ita, si homines

Pompeii et Caesaris. illius quod Catonis sororem potens, repudiatus est. huius propter veteres inimicitias, et recentes iniurias. Plutarchus.

transitum tempestatis exspectare potuissent: sed cùm diu occultè suspirassent, postea iam gemere, ad extremum verò loqui omnes, & clamare cœperunt. itaque ille amicus noster, insolens infamiæ, semper in laude versatus, circumfluens gloria, deformatus corpore, fractus animo, quò se conferat nescit: progressum præcipitem, inconstantem reditum videt: bonos inimicos habet, improbos ipsos non amicos. ac vide mollitiem animi: non tenui lacrimas, cùm illum ante VIII. KAL. *Sext. vidi de edictis Bibuli contionantem, qui antea solitus esset iactare se magnificentissimè illo in loco, summo cum amore populi, cunctis fauentibus, vt ille tum humilis, vt demissus erat? vt ipse etiam sibi, non iis solùm, qui aderant, displicebat? ô spectaculum vni Crasso iucundum, ceteris non item. nam, quia deciderat ex astris, lapsus, quàm progressus, potiùs videbatur: &, vt Apelles, si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illum suum cæno oblitum videret, magnum, credo, acciperet dolorem: sic ego hunc, omnibus à me pictum & politum artis coloribus, subitò deformatum, non sine magno dolore vidi. quamquam nemo putabat, propter Clodianum negotium, me illi amicum esse debere. tamen tantus fuit amor, vt exhauriri nulla posset iniuria. itaque Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita sunt iucunda, vt eum locum, vbi proponuntur, præ multitudine eorũ, qui legunt, transire nequeant; ipsi ita acerba, vt tabescat dolore; mihi mehercule molesta, quòd & eum, quem semper dilexi, nimis*

excruciant; & timeo, tam vehemens vir, támque acer in ferro, & tam insuetus contumeliæ, ne omni animi impetu dolori, & iracundiæ pareat. Bibuli qui sit exitus futurus, nescio. vt nunc res se habet, admirabili gloria est. quin cùm comitia in mensem Octob. distulisset; quòd solet ea res populi voluntatem offendere, putarat Cæsar oratione sua posse impelli contionem, vt iret ad Bibulum; multa cùm seditiosissimè diceret, vocem exprimere non potuit. quid quæris? sentiunt, se nullam vllius partis voluntatem tenere: eo magis vis nobis est timenda. Clodius inimicus est nobis. Pompeius confirmat, eum nihil esse facturum contra me. mihi periculosum est credere: ad resistendum me paro. studia spero me summa habiturum omnium ordinum. te cùm ego desidero, tum verò res ad tempus illud vocat. plurimum consilij, animi, præsidij denique mihi, si te ad tempus videro, accesserit. Varro mihi satis facit. Pompeius loquitur diuinitus. spero nos aut certè cum summa gloria, aut sine molestia etiam discessuros. Tu, quid agas, quemadmodum te oblectes, quid cum Sicyoniis egeris, vt sciam cura.

in a. d. xv. Kal. Nouemb.

aut etiam aut certe melior impressio

CICERO ATTICO. S. XXII.

in aliis, quod misisses, impr.

QVAM vellem Romæ mansisses: mansisses profectò, si hæc fore putassemus. nam Pulchellum nostrum facillimè teneremus; aut certè, quid esset facturus, scire possemus. nunc se res sic habet; volitat, furit, nihil habet certi; multis denuntiat; quod

fors

Fidem recipere. [illegible], ut puto.

fors obtulerit, id acturus videtur. cùm videt, quo sit in odio status hic rerum, in eos, qui hæc egerunt, impetum facturus videtur. cùm autem rursus opes & vim exercitus recordatur, conuertit se in nos. nobis autem ipsis cùm vim, tum iudicium minatur. cum hoc Pompeius egit, &, vt ad me ipse referebat, (alium enim habeo neminem testem) vehementer egit, cùm diceret, in summa se perfidia, & sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, cùm plebeium fieri passus esset: sed fidem recepisse sibi & ipsum, & Appium de me. hanc si ille non seruaret, ita laturum, vt omnes intelligerent, nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. hæc, & in eam sententiam cùm multa dixisset, aiebat illum primò sanè diu multa contra: ad extremum autem manus dedisse, & affirmasse nihil se contra eius voluntatem esse facturum. sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui. quod si non faceret, tamen ei nihil crederemus: atque omnia, sicut facimus, pararemus. nunc ita nos gerimus, vt in dies singulos & studia in nos hominum, & opes nostræ augeantur. Remp. nulla ex parte attingimus. in caussis, atque in illa opera nostra forensi summa industria versamur. quod egregiè non modo iis, qui vtuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus. domus celebratur: occurritur: renouatur memoria Consulatus: studia significantur: in eam spem adducimur, vt nobis ea contentio, quæ impendet, interdum non fugienda videatur. nunc mihi & consiliis opus est tuis, &

Publii fratrem. + Sunt, quæ dixeram, fidem dedisse, relatio ad causas, ut [illegible] Clodius V.C. Cn. Pompeius omni cautione, fœdere, exsecratione devinxerat, nihil in tribunatu contra me esse facturum. Pro Sestio.

amore, & fide. quare aduola. expedita mihi erunt omnia, si te habebo. multa per Varronem nostrum agi possunt, quæ te urgente erunt firmiora; multa ab ipso Publio elici, multa cognosci, quæ tibi occulta esse non poterunt: multa etiam; sed absurdum est singula explicare: tum ego requiram te ad omnia. Cum unum illud tibi persuadeas velim, omnia mihi fore explicata, si te videro: sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum. Puto, Pompeium Crasso vrgente, si tu aderis, qui per βοῶπιν ex ipso intelligere possis qua fide ab illis agatur, nos aut sine molestia, aut certè sine errore futuros. precibus nostris & cohortatione non indiges. quid mea voluntas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet, intelligis. De Rep. nihil habeo ad te scribere, nisi summum odium omnium hominum in eos, qui tenent omnia. mutationis tamen spes nulla. sed, quod facilè sentias, tædet ipsum Pompeium, vehementérque pænitet. non prouideo satis, quem exitum futurum putem. sed certè videntur hæc aliquò eruptura. Libros Alexandri, negligentis hominis, & non boni poëtæ, sed tamen non inutilis, tibi remisi. N. Numestium libenter accepi in amicitiam; & hominem grauem, & prudentem, & dignum tua commendatione cognoui.

CICERO ATTICO S. XXIII.

NVMQVAM ante arbitror te epistolam meam legisse, nisi mea manu scriptam. ex eo colligere po-

teris, quanta occupatione distinear. nam, cùm vacui temporis nihil haberem, & cùm, recreandæ voculæ caussa, necesse esset mihi ambulare, hac dictaui ambulans. Primùm igitur illud te scire volo, Sampsiceramum, nostrum amicum, vehementer sui status pœnitere: restituique in eum locum cupere, ex quo decidit: doloremque suum impertire nobis, & medicinam interdum apertè quærere; quam ego posse inueniri nullam: post deinde omnes illius partis auctores ac socios, nullo aduersario, consenescere; consensionem vniuersorum nec voluntatis, nec sermonis maiorem vmquam fuisse. Nos autem (nam, id te scire cupere, certò scio) publicis consiliis nullis intersumus, totósque nos ad forensem operam, laborémque cõtulimus. ex quo, quod facilè intelligi possit, in multa commemoratione earum rerum, quas gessimus, desiderióque versamur. sed Βοώπιδος nostræ consanguineus non mediocris terrores iacit atque denunciat; & Sampsiceramo negat; ceteris præ se fert, & ostentat. quamobrem, si me amas tantum, quantum profectò amas; si dormis, expergiscere; si stas, ingredere; si ingrederis, curre; si curris, aduola. credibile non est, quantum ego in consiliis, & prudentia tua, quod maximũ est, quantum in amore & fide ponam. magnitudo rei longam orationem fortasse desiderat: coniunctio verò nostrorum animorum breuitate contenta est. permagni nostra interest, te, si comitiis non potueris, at, declarato illo, esse Romæ. Cura, vt valeas.

CICERO ATTICO S. XXIIII.

QVAS *Numestio litteras dedi, sic te iis euocabam, vt nihil acrius, neque incitatius fieri posset. ad illam* κέλευσιν *adde etiam si quid potes. ac ne sis perturbatus; noui enim te; & non ignoro, quam sit amor omnis solicitus, atque anxius: sed res est, vt spero, non tam exitu molesta, quam auditu. Vettius ille, ille noster index, Cæsari, vt perspicimus, pollicitus est; se se curaturum, vt in aliquam suspicionem facinoris Curio filius adduceretur. itaque insinuatus in familiaritatem adolescentis, & cum eo, vt res indicat, sæpe congressus, rem in eum locum deduxit, vt diceret sibi certum esse cum suis seruis in Pompeium impetum facere, eúmque occidere. hoc Curio ad patrem detulit, ille ad Pompeium. res delata ad Senatum est. introductus Vettius primò negabat se vmquam cum Curione restitisse; neque id sane diu. nam statim fidem publicam postulauit. haud reclamatum est. tum exposuit, manum fuisse iuuentutis duce Curione, in qua Paullus initio fuisset, & Cn. Cæpio hic Brutus, & Lentulus, flaminis filius, conscio patre. postea C. Septimium, scribam Bibuli, pugionem sibi a Bibulo attulisse: quod totum irrisum est; Vettio pugionem defuisse, nisi ei Consul dedisset; eóque magis id eiectum est, quòd* A. D. III. ID. *Mai. Bibulus Pompeium fecerat certiorem vt caueret insidias. in quo ei Pompeius gratias egerat. introductus Curio filius, dixit ad*

aditu Vitorius

vt vim in maiorē suspicionem adduceret.

L. Aemilius, qui in Macedonia quaestor erat. In Vatin.

Q. Manlius ... M. Brutus, qui postea Caesarem interfecit, ad Q. Servilio Caepione auunculo adoptatus, vocatus est Q. Servilius Caepio Junianus Brutus.

Hanc historiam aliter Suetonius, aliter Dio lib. 38.

V. L. Lentulus L. flaminis Martialis filius. In Vatin. et de resp. har.

ea, quæ Vettius dixerat: maximèque in eo tum quidem Vettius est reprehensus, quòd dixerat adolescentium consilium, ut in foro cum gladiatoribus Gabinij Pompeium adorirentur; in eo principem Paullum fuisse; quem constabat eo tempore in Macedonia fuisse. fit S. C. vt Vettius, quod confessus esset se cum telo fuisse, in vincula coniiceretur: qui eum emisisset, contra Remp. esse facturum. res erat in ea opinione, vt putarent id esse actum, vt Vettius in foro cum pugione, & item serui eius comprehenderentur cum telis: deinde ille se diceret indicaturum; idque ita actum esset, nisi Curiones rem ante ad Pompeium detulissent. tum S. C. in contione recitatum est. postero autem die Cæsar, is, qui olim, Prætor cùm esset, Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, Vettium in rostra produxit; eúmque in eo loco constituit, quò Bibulo Consuli aspirare non liceret. hic ille omnia, quæ voluit, de Rep. dixit; &, qui illuc factus, institutúsque venisset, primùm Cæpionem de oratione sua sustulit, quem in Senatu acerrimè nominarat; vt appareret noctem, & nocturnam deprecationem intercessisse; deinde, quos in Senatu ne tenuissima quidem suspicione attigerat, eos nominauit, Lucullum, à quo solitum esse ad se mitti C. Fannium, illum, qui in P. Clodium subscripserat; L. Domitium, cuius domum constitutam fuisse, vnde eruptio fieret: me non nominauit: sed dixit, Consularem disertum, vicinum Consulis, sibi dixisse, Ahalam Seruilium aliquem, aut Brutum opus esse.

de refectione Capitolij.

Seruiliae Bruti matris, quam Cæsar ...

de religione.

qui Q. Melium occiderat Liuius lib. 4.

qui T. in reges execrat.

Dicta Considii, et simile Solonis.

reperiri. addidit ad extremum, cùm, iam dimissa contione, reuocatus a Vatinio fuisset, se audisse à Curione, his de rebus conscium esse Pisonem generum meum, & M. Laterensem. nunc reus erat apud Crassum Diuitem Vettius de vi: &, cùm esset damnatus, erat indicium postulaturus: quod si impetrasset, iudicia fore videbantur. ea nos, vt pote qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus. hominum quidem summa erga nos studia significabantur: sed prorsus vitæ tædet, ita sunt omnia omnium miseriarum plenissima. modò cædem timueramus, quam oratio fortissimi senis Q. Considij discusserat: ea, quam quotidie timere potueramus, subito exorta est. quid quæris? nihil me infortunatius, nil fortunatius est Catulo, cùm splendore vitæ, tum hoc tempore. nos tamen in his miseriis erecto animo, & minimè perturbato sumus: honestissiméque, & dignitatem nostram magna cura tuemur. Pompeius de Clodio iubet nos esse sine cura, & summam in nos beneuolentiam omni oratione significat. Te habere consiliorum auctorem, solitudinum socium, omni in cogitatione coniunctum, cupio. quare, vt Numestio mandaui, tecum vt ageret, item, atque eò, si potest acriùs, te rogo, vt planè ad nos aduoles. respiraro, si te videro.

Hisce

Lent. quq. illi illud, &c.

+ aduersus me et propter Vettium, et propter Clodium

ea quam nunquam timueramus,

Sollici

CICERO ATTICO. S. XXV.

CVM aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te, me id fecisse; vt

nuper me ſcis ſcripſiſſe ad te de Varronis erga me officio, te ad me recripſiſſe, eam rem ſummæ ſibi voluptati eſſe. ſed ego mallem, ad illum ſcripſiſſes, mihi illum ſatisfacere, non quo faceret, ſed vt faceret. mirabiliter enim moratus eſt, ſicut noſti, ἑλικτὰ, καὶ οὐδέν. nos tenemus præceptum illud, τὰς τῶν κρατούντων. at hercule alter, tuus familiaris, Hortalus quam plena manu, quàm ingenuè, quàm ornate noſtras laudes in aſtra ſuſtulit, cùm de Flacci Prætura, & de illo tempore Allobrogum diceret? ſic habeto, nec amantiùs, nec honorificentiùs, nec copioſiùs potuiſſe dici. ei te hoc ſcribere à me tibi eſſe miſſum, ſanè volo. ſed quid tu ſcribas? quem iam ego venire, atque adeſſe arbitror. ita enim egi tecum ſuperioribus litteris. valde te exſpecto, valde deſidero; neque ego magis, quam ipſa res & tempus poſcit. His de negotiis quid ſcribam ad te, niſi idem, quod ſæpe? Rep. nihil deſperatius: iis, quorum opera, nihil maiore odio. Nos, vt opinio, & ſpes, & coniectura noſtra fert, firmiſſima beneuolentia hominum muniti ſumus. quare aduola. aut expedies nos omni moleſtia, aut eris particeps. Ideo ſum breuior, quòd, vt ſpero, coram breui tempore conferre, quæ volumus, licebit. Cura, vt valeas.

ſ tibi

4-80. 141.

ἑλικτὰ, κ'οὐδὲν ὑγιές, ἀλλὰ πᾶν πέριξ
φρονοῦντες ἀδίκως, εὐτυχεῖ' ἂν Ἑλλάδα.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM LIBER III.

CICERO ATTICO S. I.

CVM antea maximè nostra interesse arbitrabar, te esse nobiscum; tum verò, vt legi rogationem, intellexi, ad iter id, quod constitui, nihil mihi optatius cadere posse, quam vt tu me quamprimum consequare; vt, cùm ex Italia profecti essemus, siue per Epirum iter esset faciendum, tuo tuorúmque præsidio vteremur; siue aliud quid agẽdum esset, certum consilium de tua sententia capere possemus: quamobrem, te oro, des operam, vt me statim consequare. faciliùs potes; quoniam de prouincia Macedonia perlata lex est. Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur.

CICERO ATTICO S. II.

ITINERIS nostri caussa fuit, quòd non habebam locum, vbi pro meo iure diutius esse possem quam in fundum Sicæ; præsertim non dum rogatione correcta: & simul intelligebam, ex eò loco, si te haberem, posse me Brundisium referre; sine te autem non esse nobis illas partes tenendas propter

qui in Acaia videtur fuisse.

Autronium. nunc, vt ad te antea scripsi, si ad nos veneris, consilium totius rei capiemus. iter esse molestum scio; sed tota calamitas omnes molestias habet. Plura scribere non possum, ita sum animo perculso & abiecto. Cura vt valeas. Dat. VI. ID. *Apr. in oris Luc.* l. v. nota ego, nostra

CICERO ATTICO S. III.

VTINAM *illum diem videam, cùm tibi agam gratias, quòd me viuere coegisti. adhuc quidem valde me pœnitet. sed te oro, vt ad me Vibonem statim venias, quò ego multis de caussis conuerti iter meum. sed eò si veneris, de toto itinere, ac fuga mea consilium capere potero. si id non feceris, mirabor, sed confido te esse facturum.* I. — al. equidem male

CICERO ATTICO S. IIII.

MISERIAE *nostræ potius velim, quàm inconstantiæ, tribuas, quòd à Vibone, quò te arcessebamus, subito discessimus. allata est enim nobis rogatio de pernicie mea; in qua, quod conrectum esse audieramus, erat eiusmodi, vt mihi vltra quadringenta millia liceret esse. illò cùm peruenire non liceret, statim iter Brundisium versus contuli ante diem rogationis, ne & Sica, apud quem eram, periret; & quòd Melitæ esse non licebat. nunc tu propera, vt nos consequare, si modò recipiemur. adhuc inuitamur benignè. sed, quod superest, timemus. me.* IIII.

mi Pomponi valde pœnitet viuere. qua in re apud me tu plurimùm valuisti. Sed hæc coram. fac modò, vt venias.

CICERO ATTICO. S. V.

TERENTIA *tibi & sæpe, & maximas agit gratias. id est mihi gratissimum. ego viuo miserrimus, & maximo dolore cõficior. ad te quid scribam nescio. si enim es Romæ, iam me assequi non potes: sin es in via, cùm eris me assequutus, coram agemus, quæ erunt agenda. tantum te oro, vt, quoniam me ipsum semper amasti, vt eodem amore sis. ego enim idem sum. inimici mei mea mihi, nõ me ipsum, ademerũt. Cura, vt valeas. Dat. VIII. ID. Apr. Thurij.*

CICERO ATTICO S. VI.

NON *fuerat mihi dubium, quin te Tarenti, aut Brundisii visurus essem: idque ad multa pertinuit; in eis, & vt in Epiro consisteremus, & de reliquis rebus tuo consilio vteremur. quoniam id non contigit, erit hoc quoque in magno numero nostrorum malorum. nobis iter est in Asiam maximè Cyzicum. meos tibi commendo. me vix miseréque sustento. Dat. XIIII. KAL. Mai. De Tarentino.*

CICERO ATTICO S. VII.

BRVNDISIVM *veni* A. D. XIIII. KAL.

Mai. eo die pueri tui mihi à te litteras reddiderunt: & alij pueri post diem tertium eius diei alias litteras attulerunt. Quod me rogas & hortaris, vt apud te in Epiro sim, voluntas tua mihi valde grata est, & minime noua: sed & consilium mihi quidem optatum, si liceret ibi omne tempus consumere. odi enim celebritatem; fugio homines; lucem aspicere vix possum. esset mihi ista solitudo, præsertim tam familiari in loco, non amara. sic itineris caussa, vt deuorterem, primùm est deuium; deinde ab Autronio, & ceteris quatriduo; deinde sine te. nam castellum munitum habitanti mihi prodesset; transeunti, non est necessariũ. quòd si auderẽ, Athenas peterem: sanè ita cadebat, vt vellem. nunc & nostri hostes ibi sunt; & te non habemus; & veremur, ne interpretentur, illud quoque oppidum ab Italia non satis abesse: nec scribis, quam ad diem te expectemus. Quod me ad vitam vocas, vnum efficis, vt à me manus abstineam; alterum non potes, vt me nõ nostri cõsilij vitæq; pæniteat. quid enim est, quod me retineat, præsertim si spes ea non est, quæ nos proficiscentis prosequebatur? non faciam, vt enumerẽ miserias omnes, in quas incidi per summã iniuriam, & scelus non tam inimicorũ meorũ, quam inuidorum, ne & meum mœrorem exagitem, & te in eundem luctum vocem. hoc affirmo, neminem vmquam tanta calamitate esse affectũ; nemini mortem magis optãdam fuisse: cui us oppetendæ tempus honestissimum prætermissum est. reliqua tempora non sunt iam ad medicinam, sed ad finem doloris. De Rep. video

te colligere omnia, quæ putes aliquam spem mihi posse adferre mutandarum rerum: quæ quamquam exigua sunt; tamen, quoniam placet, exspectemus. Tu nihilo minus, si properaris, nos consequere. nam aut accedemus in Epirum; aut tardè per Candauiam ibimus. Dubitationem autem de Epiro non inconstantia nostra afferebat, sed quòd de fratre, vbi eum visuri essemus, nesciebamus. quem quidem ego nec quomodo visurus, nec vbi dimissurus sim, scio. id est maximum & miserrimum mearum omnium miseriarum. Ego & sæpius ad te, & plura scriberem, nisi mihi dolor meus cùm omnis partis mentis, tum maximè huius generis facultatem ademisset. Videre te cupio. Cura vt valeas. [illegible] prid. KAL. Mai Brundisii proficiscens.

CICERO ATTICO S. VIII.

BRVNDISII proficiscens scripseram ad te, quas ob caussas in Epirum non essemus profecti; quòd & Achaia prope esset plena audacissimorum inimicorum, & exitus difficilis haberet, cùm inde proficisceremur. accessit, cùm Dyrrachij essemus, vt duo nuntij afferrentur; vnus, classe fratrem Epheso Athenas; alter, pedibus per Macedoniam venire. itaque illi obuiam misimus Athenas, vt inde Thessalonicam veniret. ipsi processimus, & Thessalonicam A. D. X. KAL. Iun. venimus; neque de illius itinere quicquam certi habebamus, nisi eum ab Ephesо ante aliquanto profectum. nunc, istic quid

agatur, magno opere timeo. quamquam tu altera epistola scribis ID. *Mai. audiri, fore, vt acriùs postularetur; altera, iam esse mitiora. sed hæc est pridie data, quàm illa: quo conturbor magis. itaque, cùm meus me mœror quotidianus lacerat & conficit, tum verò hæc addita cura vix mihi vitam reliquam facit. sed & nauigatio perdifficilis fuit: & ille incertus, vbi ego essem, fortasse alium cursum petiuit. nam Phaëto libertus eum non vidit; vento reiectus ab illo in Macedoniam, Pellæ mihi præsto fuit. reliqua quàm mihi timenda sint video, nec, quid scribam, habeo, & omnia timeo: nec tam miserum est quicquam, quod non in nostram fortunam cadere videatur. equidem adhuc miser in maximis meis ærumnis & luctibus, hoc metu adiecto, maneo Tessalonicæ suspensus. nec audeo quicquam. Nunc ad ea, quæ scripsisti. Tryphonem Cæcilium non vidi. Sermonem tuum, & Pompeij cognoui ex tuis litteris. Motum in Rep. non tantum ego impendere video, quantum tu aut vides, aut ad me consolandum affers. Tigrane enim neglecto, sublata sunt omnia. Varroni me iubes agere gratias: faciam: item Hypsæo. Quod suades, ne longiùs discedamus, dum acta mensis Maij ad nos perferantur: puto me ita esse facturum; sed vbi, nondum statui. atque ita perturbato sum animo de Quincto, vt nihil queam statuere. sed tamen statim te faciam certiorem. Ex epistolarum mearum inconstantia puto te mentis meæ motum videre; qui, etsi incredibili & singulari calamitate afflictus sum,*

tamen non tam est ex miseria, quam ex culpæ nostræ recordatione, commotus. cuius enim scelere impulsi, ac proditi simus, iam profectò vides: atque vtinam iam ante vidisses; neque totum animum tuum mærori mecum simul dedisses. quare, cùm me afflictum, & confectum luctu audies, existimato me stultitiæ meæ pœnam ferre grauiùs, quàm euenti; quòd ei crediderim, quem esse nefarium non putarim. Me & meorum malorum memoria, & metus de fratre in scribendo impedit. tu ista omnia vide & guberna. Terentia tibi maximas gratias agit. Litterarum exemplum, quas ad Pompeium scripsi, misi tibi. Dat. IIII. KAL. *Iun. Thessalonicæ.*

CICERO ATTICO. S. IX.

QVINCTVS *frater cùm ex Asia discessisset ante* KAL. *Mai. & Athenas venisset Idib. valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis, si quis fortè fuisset, qui contentus nostris malis non esset. itaque eum malui properare Romam, quàm ad me venire: & simul (dicam enim, quod verum est; ex quo magnitudinem miseriarum mearum perspicere possis) animum inducere non potui, vt aut illum, amantissimum mei, mollissimo animo, tanto in mærore aspicerem; aut meas miserias, luctu adflictas & perditam fortunam, illi offerrem; aut ab illo aspici paterer. atque etiam illud timebam, quod profectò accidisset, ne à me digredi non posset. versabatur mihi tempus illud ante ocu-*

los, cùm ille aut lictores dimitteret, aut vi auelleretur ex complexu meo. huius acerbitatis euentum altera acerbitate non videndi fratris vitaui. in hūc me casum vos, viuendi auctores, impulistis. itaque mei peccati luo pœnas. quanquam me tuæ litteræ sustentant: ex quibus, quantum tu ipse speres, facilè perspicio. quæ quidem tamen aliquid habebant solatij ante, quàm eò venisti, A POMPEIO. NVNC HORTENSIVM ALLICE, ET EIVSMODI VIROS. *obsecro, mi Pomponi, non dum perspicis, quorum opera, quorum insidiis, quorum scelere perierimus? sed tecum hæc coram agemus. tantùm dico, quod scire te puto, nos non inimici, sed inuidi perdiderunt. nunc, si ita sunt, quæ speras, sustinebimus nos, & spe, qua iubes, nitemur. sin, vt mihi videntur, firma sunt; quod optimo genere facere non licuit, minùs idoneo fiet. Terentia tibi sæpe agit gratias. Mihi etiam vnum de malis in metu est, fratris miseri negotium; quod, si sciam, cuiusmodi sit; sciam, quid agendum mihi sit. Me etiam nunc illorum beneficiorum, & litterarum exspectatio, vt tibi placet, Thessalonicæ tenet. si quid erit noui allatum, sciam de reliquo quid agendum sit. Tu si, vt scribis,* KAL. *Iun. Roma profectus es, propediem nos videbis. Litteras, quas ad Pompeium scripsi, tibi misi. Dat.* ID. *Iun. Thessalonicæ.*

a Pompeio a p.

ista
temporre
infirma

CICERO ATTICO. S.

ACTA *quæ essent vsque ad* VIII. KAL.

Iun. cognoui ex tuis litteris. reliqua exſpectabam, vt tibi placebat, Theſſalonicæ: quibus allatis, faciliùs ſtatuere potero vbi ſim. nam, ſi erit cauſſa, ſi quid agetur, ſi ſpem videro, aut ibidem operiar, aut me ad te conferam: ſin, vt tu ſcribis, iſta euanuerint, aliquid aliud videbimus. omnino adhuc nihil mihi ſignificatis, niſi diſcordiam iſtorum; quæ tamen inter eos de omnibus potiùs rebus eſt, quàm de me. itaque, quid ea mihi proſit, neſcio. ſed tamen, quoad me vos ſperare vultis, vobis obtemperabo. Nam quòd me tam ſæpe, & tam vehementer obiurgas, & animo infirmo eſſe dicis: quæſo, ecquod tantum malum eſt, quod in mea calamitate non ſit? ecquis vmquam ex tam amplo ſtatu, in tam bona cauſſa, tantis facultatibus, ingenij, conſilij, gratiæ, tantis præſidiis bonorum omnium concidit? poſſum obliuiſci, qui fuerim? non ſentire, qui ſim? quo caream honore? qua gloria? quibus liberis? quibus fortunis? quo fratre? quem ego (vt nouum calamitatis genus attendas) cùm pluris facerem, quàm me ipſum, ſempérque feciſſem, vitaui, ne viderem; ne aut illius luctum, ſqualorémque aſpicerem, aut me, quem ille florentiſſimum reliquerat, perditum illi, afflictúmque offerrem. Mitto cetera intolerabilia. etenim fletu impedior. Hîc vtrum tandem ſum accuſandus, quòd doleo; an, quòd commiſi, vt hæc aut non retinerem, (quod facile fuiſſet, niſi intra parietes meos de mea pernicie conſilia inirentur) aut certe viuus nunc amitterem? Hæc eo ſcripſi vt potiùs releuares me, quod facis, quàm aut caſtiga-

tione

tione, aut obiurgatione dignum putares: eóque ad te minùs multa scribo; quod & mœrore impedior; & quid exspectem istinc, magis habeo, quam quid ipse scribam. quæ si erunt allata, faciam te consilij nostri certiorem. Tu, vt adhuc fecisti, quam plurimis de rebus ad me velim scribas; vt prorsus ne quid ignorem. Dat. XIIII. KAL. *Quinct. Thessalonica.*

CICERO ATTICO S. XI.

ME *& tuæ litteræ, & quidam boni nuntij, non optimis tamen auctoribus, & exspectatio vestrarum litterarum, & quod tibi ita placuerat, adhuc Thessalonicæ tenebat. si accepero litteras, quas exspecto; si spes erit ea, quæ rumoribus afferebatur; ad te me conferam; si non erit, faciam te certiorem, quid egerim. Tu me, vt facis, opera, consilio, gratia iuua: consolari iam desine: obiurgare verò noli: quod cùm facis, vt ego tuum amorem, & dolorem desidero! quem ita adfectum mea ærumna esse arbitror, vt te ipsum consolari nemo possit. Quinctum fratrem optimum humanissimúmque sustenta. Ad me, obsecrò te, vt omnia certa perscribas. Dat.* IIII. KAL. *Quinct.*

CICERO ATTICO. S. XII.

TV *quidem sedulo argumentaris, quid sit sperandum, & maximè per Senatum: idémque caput*

rogationis proponi ſcribis, quare in Senatu dici nihil liceat, itaque ſiletur. Hic tu me accuſas, quòd me affliĉtem; cùm ita ſim afflictus, vt nemo vmquam: quod tu te intelligis. Spem oſtendis ſecundum comitia. quæ iſta eſt, eodem Tribuno pl. & inimico Conſule deſignato? Percuſſiſti autem me etiam de oratione prolata. cui vulneri, vt ſcribis, medere, ſi quid potes. ſcripſi equidem olim iratus, quòd ille prior ſcripſerat; ſed ita compreſſeram, vt numquam manaturam putarem. quo modo exciderit, neſcio. ſed quia numquam accidit, vt cum eo verbo vno concertarem; & quia ſcripta mihi videtur negligentiùs, quàm cetera; puto poſſe probari, non eſſe meam. id, ſi putas me poſſe ſanari, cures velim: ſin planè perij, minùs laboro. Ego etiam nunc eodem in loco iaceo, ſine ſermone vllo, ſine cogitatione vlla. Licet tibi, vt ſcribis, ſignificarim, vt ad me venires Dodona; tamen intelligo te re iſtic prodeſſe, hîc ne verbo quidem leuare me poſſe. Non queo plura ſcribere: nec eſt, quod ſcribam: veſtra magis exſpecto. Dat. XVI. KAL. Sext. Theſſalonicæ.

silēri

emanaturā

CICERO ATTICO. S. XIII.

Sequi debuit illud, EX TVIS LITTERIS.

QVOD ad te ſcripſeram, me in Epiro futurum: poſtea quam extenuari ſpem noſtram, & euaneſcere vidi, mutaui conſilium; nec me Theſſalonica commoui, vbi eſſe ſtatueram, quoad aliquid ad me de eo ſcriberes, quod proximis litteris ſcripſeras, fore, vti ſecundum comitia aliquid de no-

bis in Senatu ageretur; id tibi Pompeium dixisse, qua de re, quoniam comitia habita sunt, túque nihil ad me scribis; proinde habebo, ac si scripsisses nihil esse; neque temporis non longinqui spe ductum esse molestè feram. Quem autem motum te videre scripseras, qui nobis vtilis fore videretur, eum nuntiant, qui veniunt, nullum fore. In Tribunis pl. designatis reliqua spes est: quam si exspectaro, non erit, quòd putes me caussa meæ, voluntati meorum defuisse. Quòd me sæpe accusas, cur hunc meum casum tam grauiter feram, debes ignoscere; cùm ita me adflictum videas, vt neminem vmquam nec videris, nec audieris. nam quòd scribis te audire, me etiā mentis errore ex dolore affici: mihi verò mens integra est; atque vtinam tam in periculo fuisset, cùm ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimísque vsus sum: qui, vt me paululum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, vt omni suo scelere & perfidia abuterentur ad exitium meum. nunc, quoniam est Cyzicum nobis eundum, quò rariùs ad me litteræ perferentur, hoc velim diligentiùs omnia, quæ putaris me scire opus esse, perscribas. Quinctum fratrem meum fac diligas: quem ego miser si incolumem relinquo, non me totum periisse arbitrabor. Dat. NON. Sext.

CICERO ATTICO S. XIIII.

Ex *tuis litteris plenus sum exspectatione de*

Pompeio, quidnam de nobis velit, aut ostendat. comitia enim credo esse habita: quibus absolutis, scribis illi placuisse agi de nobis. si tibi stultus esse videor, qui sperem; facio tuo iussu; etsi scio te me iis epistolis potiùs & meas spes solitum esse remorari. nunc velim, mihi planè perscribas, quid videas. scio nos nostris multis peccatis in hanc ærumnam incidisse. ea si qui casus aliqua ex parte correxerint; minùs molestè feremus nos vixisse, & adhuc viuere. Ego, proter viæ celebritatem, & quotidianam exspectationem rerum nouarum, non commoui me adhuc Thessalonica. sed iam extrudimur, non à Plancio, (nam is quidem retinet) verùm ab ipso loco, minimè apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. In Epirum ideo, ut scripseram, non veni, quòd subito mihi uniuersi nuntij venerant & litteræ, quare nihil esset necesse quamproximè Italiam esse. hinc, si aliquid à comitiis audierimus, nos in Asiam conuertemus: neque adhuc stabat, quò potissimum: sed scies. Dat. XII. KAL. Sext. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO. S. XV.

ACCEPI ID. *Sext. quatuor epistolas à te missas; unam, qua me obiurgas, ut sim firmior; alteram, qua Crassi libertum ais tibi de mea solicitudine maciéque narrasse; tertiam, qua demonstras acta in Senatu; quartam de eo, quod à Varrone scribis tibi esse confirmatum de voluntate Pompeij.*

Ad primam tibi hoc scribo; me ita dolere, vt non modò à mente non deserar, sed id ipsum doleam, me, tam firma mente vbi vtar, & quibuscum, non habere. nam si tu me vno non sine mærore cares, quid me censes, qui & te, & ômnibus? & si tu incolumis me requiris; ecquo modo à me ipsam incolumitatem desiderari putas? nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, non solùm quia non ignoras, sed etiam ne scindam ipse dolorem meum. hoc confirmo, neque tantis bonis esse priuatum quemquam, neque in tantas miserias incidisse. dies autem non modò non leuat luctum hunc, sed etiam auget. nam ceteri dolores mitigantur vetustate; hic non potest non & sensu præsentis miseriæ, & recordatione præteritæ vitæ quotidie augeri. desidero enim non mea solùm, neque meos, sed me ipsum. quid enim sum? sed non faciam, vt aut tuum ânimum angam querelis, aut meis vulneribus sæpius manus adferam. Nam quòd purgas eos quos ego mihi scripsi inuidisse, & in eis Catonem: ego verò tantùm illum puto ab isto scelere afuisse, vt maximè doleam, plus apud mè simulationem aliorum, quam istius fidem, valuisse. ceteros quòd purgas, debent mihi probati esse, tibi si sunt. Sed hæc serò agimus. Crassi libertum nihil puto sincerè locutum. In Senatu rem probè scribis actam. sed quid Curio? an illam orationem non legit? quæ vnde sit prolata, nescio. sed Axius, eiusdem diei scribens ad me acta, non ita laudat Curionem. at potest ille aliquid prætermittere: tu, nisi quod erat, profectò non scripsisti. Varronis sermo

facit exspectationem Cæsaris: atque vtinam ipse Varro incumbat in caussam: quòd profectò cùm sua sponte, tum te instante faciet. ego, si me aliquando vestri & patriæ compotem fortuna fecerit, certè efficiam, vt maximè lætere vnus ex omnibus amicis; meáque officia, & studia, quæ parum antea luxerunt, (fatendum est enim) sic exequar, vt me æquè tibi, ac fratri, & liberis nostris, restitutum putes. si quid in te peccaui, ac potius quoniam peccaui, ignosce. in me enim ipsum peccaui vehementiùs. neque hoc eò scribo, quòd te non meo casu maximo dolore esse affectum sciam: sed profectò, si, quantùm me amas & amasti, tantùm amare deberes, ac debuisses, numquam esses passus me, quo tu abũdabas, egere cõsilio; nec esses passus mihi persuaderi, vtile nobis esse legem de collegiis perferri. sed tu tantùm lacrimas præbuisti dolori meo, quod erat amoris, tanquam ipse ego: quod meritis meis perfectum esse potuit, vt dies & noctes, quid mihi faciendum esset, cogitares, id abs te, meo, non tuo scelere prætermissum est. quòd si non modò tu, sed quisquam fuisset, qui me Pompeij minùs liberali responso perterritum a turpissimo consilio reuocaret, quod vnus tu facere maximè potuisti: aut occubuissem honestè, aut victores hodie viueremus. Hîc mihi ignosces. me enim ipsum multo magis accuso; deinde te, quasi me alterum: & simul meæ culpæ socium quæro [illegible] si restituor, etiam minùs videbimur deliquisse; abs téque certè, quoniam nullo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur. Quod te

cum Culeone scribis de priuilegio locutum; est aliquid; sed multò est melius abrogari. si enim nemo impediet, quid est firmius? sin erit, qui ferri non sinat; idem S. C. intercedet. nec quicquam aliud opus est, quàm abrogari. nã prior lex nos nihil lædebat. quam si, vt est promulgata, laudare voluissemus, aut, vt erat negligenda, negligere; nocere omnino nobis non potuisset. hîc mihi primùm meum consilium defuit, sed etiam obfuit. cæci, cæci, inquam, fuimus in vestitu mutando, in populo rogãdo. quod, nisi nominatim mecum agi cœptum esset, fieri perniciosum fuit. sed pergo præterita. verũtamen ob hanc caussam, vt, si quid agetur, legem illam, in qua popularia multa sunt, ne tangatis. verùm est stultum, me præcipere, quid agatis, aut quo modò. vtinam modò agatur aliquid: in quo ipso multa occultant tuæ litteræ, credo, ne vehementiùs desperatione perturber. quid enim vides agi posse, aut quo modo? per Senatúmne? ast tute scripsisti ad me, quoddam caput legis Clodium in Curiæ poste fixisse, ne referri, néue dici liceret. quo modo igitur Domitius se dixit relaturum? quo modo autem iis, quos tu scribis, & de re dicentibus, &, vt referretur, postulantibus, Clodius tacuit? at, si per populum, poterítne, nisi de omnium Tribunorum pl. sententia? quid de bonis? quid de domo? poterítne restitui? aut, si non poterit, egomet quo modo potero? hæc nisi vides expediri, quam in spem me vocas? sin autem spei nihil est, quæ est mihi vita? itaque exspecto Thessalonicæ acta KAL. Sext. ex quibus statuam,

in tuósne agros confugiam, vt neque videam homines, quos nolim; & te, vt scribis, videam; & propius sim, si quid agatur; idque intellexi cùm tibi, tum Quincto fratri placere; an abeam Cyzicum. Nunc Pomponi, quoniam nihil impertisti tuæ prudentiæ ad salutem meam, quòd aut in me ipso satis esse consilij decreras, aut te nihil plus mihi debere, quam vt præsto esses; quoniamque ego proditus, inductus, coniectus in fraudem, omnia mea præsidia neglexi; totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, destitui & reliqui; me, meos, meis tradidi inimicis, inspectante & tacente te; qui si non plus ingenio valebas, quam ego, certè timebas minus: si potes, erige adflictos, & in eo nos iuua: sin omnia sunt obstructa, id ipsum fac vt sciamus: & nos aliquando aut obiurgare, aut comiter consolari desine. Ego si tuam fidem accusarem; non me potissimum tuis tectis crederem: meam amentiam accuso, quod a te tantùm amari, quantum ego vellem, putaui: quod si fuisset, fidem eandem, curam maiorem adhibuisses; me certè ad exitium præcipitantem retinuisses; istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis, non subisses. quare fac, vt omnia ad me perspecta & explorata perscribas; méque, vt facis, velis esse aliquem; quoniam, qui fui, & qui esse potui, iam esse non possum; & vt his litteris non te, sed me ipsum a me esse accusatum putes. Si qui erunt, quibus putes opus esse meo nomine litteras dari, velim conscribas, curésque dandas. Dat. XIIII. KAL. Sept.

CICERO ATTICO. S. XVI.

TOTVM iter mihi incertum facit exspectatio litterarum nostrarum KAL. Sext. datarum, non aliud assequid, si spes erit, Epirum; sin minus, Cyzicum; aut aliud quid sequemur. tuæ quidem litteræ, quo sæpius a me leguntur, hoc spem faciunt minorem; quod cum lectæ sunt, tum id, quod attulerunt ad spem, infirmant; vt facile appareat, te & consolationi seruire & veritati; idque te rogo plane, vt ad me, quæ scis, vt erunt; quæ putabis, ita scribas, vt putabis. Dat. XII. KAL. Sept.

CICERO ATTICO. S. XVII.

DE Quincto fratre nuntij nobis tristes, nec varij venerant ex ante diem NON. Iun. vsque ad prid. KAL. Sep. eo autem die Liuineius, M. Reguli libertus ad me à Regulo missus venit. is omnino mentionem nullam factam esse nuntiauit: sed fuisse tamen sermonem de C. Clodij filio, isque mihi tum à fratre litteras attulit. sed postridie Sestij pueri venerunt, qui a te litteras attulerunt, non tam exploratas à timore, quàm sermo Liuiney fuerat. sanè sum in meo infinito mærore solicitus, & eò magis, quòd Appij Quæstio est. Cetera, quæ ad me eisdem litteris scribis de nostra spe, intelligo esse languidiora, quam alij ostendunt. ego autem, quoniam non longè ab eo tempore absumus, in quo res diiudica-

bitur, aut ad te conferam me, aut etiam nunc circum hæc loca commorabor. Scribit ad me frater, omnia ſua per te vnum ſuſtineri. quid te aut horter? quòd facis; aut agam gratias, quòd non exſpectas? tantùm velim, fortuna det nobis poteſtatem, vt incolumes amore noſtro perfruamur. Tuas litteras ſemper maximè exſpecto: in quibus caue vereri, ne aut diligentia tua mihi moleſta, aut veritas acerba ſit. Dat. prid. NON. *Sept.*

CICERO ATTICO S. XVIII.

EXPECTATIONEM *nobis non paruam attuleras, cùm ſcripſeras, Varronem tibi pro amicitia confirmaſſe, cauſſam noſtram Pompeium certè ſuſcepturum: & , ſimul à Cæſare ei litteræ, quas exſpectaret, remiſſæ eſſent, actorem etiam daturum. vtrum id nihil fuit, an auerſatæ ſunt Cæſaris litteræ? an eſt aliquid in ſpe? etiam illud ſcripſeras, eundem, ſecundum comitia, dixiſſe. fac (ſi vides, quantis in malis iaceam, & , ſi putas eſſe humanitatis tuæ) me fac de tota cauſſa noſtra certiorem. nam Quinctus frater, homo mirus, qui me tam valde amat, omnia mittit ſpei plena, metuens, credo, defectionem animi mei. tuæ autem litteræ ſunt variæ. neque enim me deſperare vis, nec temere ſperare. fac obſecro te, vt omnia, quæ perſpici à te poſſunt, ſciamus.*

CICERO ATTICO. S. XIX.

QVOAD eiusmodi mihi litteræ à vobis adferebantur, vt aliquid ex iis esset expectandum; spe & cupiditate Thessalonicæ retentus sum. posteaquàm omnis actio huius anni confecta nobis videbatur, in Asiam ire nolui: quòd & celebritas mihi odio est: &, si fieret aliquid à nouis magistratibus, abesse longè nolebam. itaque in Epirum ad te statui me conferre; non quò mea interesset loci natura, qui lucem omnino fugerem: sed & ad salutem libentissimè ex tuo portu proficiscar: &, si ea præcisa erit, nusquam faciliùs hanc miserrimam vitam vel sustentabo, vel, quod multo est melius, abiecero. ero cum paucis; multitudinem dimittam. Me tuæ litteræ numquam in tantam spem adduxerunt, quantam aliorum. attamen mea spes etiam tenuior semper fuit, quàm tuæ litteræ. sed tamen, quoniam cœptum est, ego, quoquo modo cœptum est, & quacunque de caussa, non deseram neque optimi, atque vnici fratris miseras ac luctuosas preces; nec Sestij, ceterorúmque promissa; nec spem ærumnosissimæ mulieris Terentiæ; nec miserrimæ mulieris Tulliolæ obsecrationem, & fideles litteras tuas. mihi Epirus aut iter ad salutem dabit; aut, quod scripsi supra. te oro & obsecro T. Pomponi, si me omnibus amplissimis, carissimis, iucundissimísque rebus perfidia hominum spoliatum; si me à meis consiliariis proditum & proiectum vides; si intelligis

me coactum, vt ipſe me, & meos perderem; vt me tua miſericordia iuues: & Quinctum fratrem, qui poteſt eſſe saluus, ſuſtentes: Terentiam, liberóſque meos tueare; me, ſi putas te iſtic viſurum, expectes; ſi minùs, inuiſas, ſi potes, mihíque ex agro tuo tantum aſſignes, quantum meo corpore occupari poteſt; & pueros ad me cum litteris quamprimum, & quamſæpiſſimè mittas. Dat. XVI. KAL. *Octob.*

CICERO S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO. XX.

Varro 2. de re rustica. Atticus, qui fuit T. Pomponius, [illegible]

QVOD *quidem ita eſſe, & auunculum tuum functum eſſe officio, vehementiſſimè probo: gaudere me tum dicam, ſi mihi hoc verbo licebit vti. Me miſerum, quàm omnia eſſent ex ſententia, ſi nobis animus, ſi conſilium, ſi fides eorum, quibus credidimus, non defuiſſet: quæ colligere nolo, ne augeam mærorem. ſed tibi venire in mentem certè ſcio, quæ vita eſſet noſtra, quæ ſuauitas, quæ dignitas ad quæ recuperanda per fortunas incumbe, vt facis, diémque natalem reditus mei, cura, vt in tuis ædibus amœniſſimis agam tecum & cum meis. Ego huic ſpei & expectationi, quæ nobis proponitur, maximè tamen volui præſtolari apud te in Epiro: ſed ita ad me ſcribitur, vt putem eſſe commodius, nos eiſdem in locis eſſe. De domo & Curionis oratione, vt ſcribis, ita eſt. in vniuerſa ſalute, ſi ea modò nobis reſtituetur, inerunt omnia; ex quibus nihil malo,*

quàm domum. sed tibi nihil mando nominatim: totum me tuo amori fideique commendo. Quòd te, in tanta hereditate, ab omni occupatione expediſti, valde mihi gratum eſt. Quòd facultates tuas ad meam ſalutem polliceris, vt omnibus rebus à te præter ceteros iuuer: id quantum ſit præſidium, video; intelligóque, te multas partis meæ ſalutis & ſuſcipere, & poſſe ſuſtinere: neque, vt tu facias, rogandum eſſe. Quod me vetas quicquam ſuſpicari accidiſſe ad animum tuum, quod ſecus à me erga te commiſſum, aut prætermiſſum videretur, geram tibi morem, & liberabor iſta cura: tibi tamen eò plus debebo, quò tua in me humanitas fuerit excelſior, quàm in te mea. Velim, quid videas, quid intelligas, quid agatur ad me ſcribas: tuóſque omnis ad noſtram ſalutem adhortere. Rogatio Seſtij neque dignitatis ſatis habet, nec cautionis. nam & nominatim ferre oportet, & de bonis diligentiùs ſcribi: & id animaduertas velim. Dat. IIII. NON. Octob. Theſſalonicæ.

CICERO ATTICO. S. XXI.

TRIGINTA dies erant ipſi, cùm has dabam litteras, per quos nullas à vobis acceperam. mihi autem erat in animo, iam, vt antea ad te ſcripſi, ire in Epirum: & ibi omnem caſum potiſſimùm exſpectare. Te oro, vt, ſi quid erit, quod perſpicias, quamcunque in partem, quam planiſſimè ad me ſcribas: & meo nomine, vt ſcribis, litteras, qui-

Nepos.

bus putabis opus esse, ut des. Dat. V. KAL. *Nouemb.*

CICERO ATTICO. S. XXII.

ETSI *diligenter ad me Quinctus frater & Piso, quæ essent acta, scripserant: tamen vellem, tua te occupatio non impedisset, quò minùs, vt consuesti, ad me, quid ageretur & quid intelligeres, perscriberes. Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet, iam aliquoties conatum ire in Epirum. spes homini est iniecta, non eadem, quæ mihi, posse nos vna decedere: quam rem sibi magno honori sperat fore. sed iam, cùm aduentare milites dicentur, faciendum nobis erit, vt ab eo discedamus. quod cùm faciemus, ad te statim mittemus; vt scias, vbi simus. Lentulus suo in nos officio, quod & re, & promissis, & litteris declarat, spem nobis non nullam affert Pompeij voluntatis. sæpe enim tu ad me scripsisti, eum totum esse in illius potestate. De Metello scripsit ad me frater, quantum speraret, profectum esse per te. Mi Pomponi pugna, vt tecum & cum meis mihi liceat viuere; & scribe ad me omnia. premor cùm luctu, tum desiderio meorum omnium, tum eorum, qui mihi me cariores semper fuerunt. Cura, vt valeas. Ego, quòd, per Thessaliam si irem in Epirum, perdiu nihil eram auditurus, & quòd mei studiosos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi, cùm illa superiora Thessalonicæ scripsissem. inde cùm ad te me conuertam, faciam vt*

ſcias. túque ad me velim omnia quam diligentiſſime, cuiuimodi ſunt, ſcribas. ego iam aut rem, aut ne ſpem quidem exſpecto. Dat. VI. KAL. *Decemb. Dyrrachij.*

CICERO ATTICO. S. XXIII.

A.D. V. KAL. *Decemb. tres epiſtolas à te accepi, vnam datam* A.D. VIII. KAL. *Nouem. in qua me hortaris, vt forti animo menſem Ianuarium exſpectem: eáque, quæ ad ſpem putas pertinere, de Lentuli ſtudio, de Metelli voluntate, de tota Pompeij ratione, perſcribis. in altera epiſtola, præter conſuetudinem tuam, diem non adſcribis: ſed ſatis ſignificas tempus. lege enim ab octo Tribunis pleb. promulgata, ſcribis te eas litteras eo ipſo die dediſſe, id eſt* A.D. IIII. KAL. *Nouemb. &, quid putes vtilitatis eam promulgationem attuliſſe, ſcribis. in quo ſi iam hæc noſtra ſalus cum hac lege deſperata erit, velim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam, miſerabilem potiùs, quàm ineptam, putes: ſin eſt aliquid ſpei, des operam, vt maiore diligentia poſthac à noſtris magiſtratibus defendamur. nam ea veterum Tribunorum pleb. rogatio tria capita habuit; vnum de reditu meo, ſcriptum incautè. nihil enim reſtituitur, præter ciuitatem & ordinem: quod mihi pro meo caſu ſatis eſt. ſed, quæ cauenda fuerint, & quo modo, te non fugit. alterum caput eſt tralaticium de impunitate, ſi quid contra alias leges eius legis*

ergo factum sit. tertium caput, mi Pomponi, quo consilio, & a quo sit inculcatum, vide. scis enim Clodium sanxisse, vt vix, aut omnino non posset nec per Senatum, nec per populum infirmari sua lex. sed vides, numquam esse obseruatas sanctiones earum legum, quæ abrogarentur. nam si id esset, nulla ferè abrogari posset: (neque enim vlla est, quæ non ipsa se sæpiat difficultate abrogationis) sed, cum lex abrogatur, illud ipsum abrogatur, quo non eam abrogari oporteat. hoc cùm re vera ita sit; cùm semper ita habitum obseruatúmque sit, octo nostri Tribuni pleb. caput posuerunt hoc: SI QVID IN HAC ROGATIONE SCRIPTVM EST, QVOD PER LEGES, PLEB. VE SC. HOC EST, QVOD PER LEGEM CLODIAM PROMVLGARE, ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE S. F. SVA NON LICEAT, NON LICVERIT; QVOD VE EI QVI PROMVLGAVIT, ABROGAVIT, DEROGAVIT, OBROGAVIT, OB EAM REM PAENAE, MVLTAE VE SIT E. H. L. N. R. *atque hoc in illis Tribunis pleb. non lædebat. lege enim collegij sui non tenebantur: quo maior est suspicio maliciæ alicuius; cùm id, quod ad ipsos nihil pertinebat, erat autem contra me, scripserunt: vt noui Tribuni pl. si essent timidiores, multo magis sibi eo capite vtendum putarent. neque id a Clodio prætermissum est. dixit enim in contione* A. D. III. NON. *Nou. hoc capite designatis Tribunis pl. præscriptum esse, quid liceret:*

liceret: tamen, in lege nulla esse eiusmodi caput, te non fallit. quod si opus esset, omnes in abrogando uterentur. Vt Ninnium, aut ceteros fugerit, inuestiges, velim: & , quis attulerit; & , quare octo Tribuni pl. ad Senatum de me referre non dubitarint; (sitne quòd obseruandum illud caput non putabant) iidem in abrogando tam cauti fuerint, ut id metuerent, soluti cùm essent; quod ne iis quidem, qui lege tenentur, est curandum. id caput sanè nolim nouos Tribunos pl. ferre: sed perferant, modò quidlibet. uno capite, quo reuocabor, (modò res conficiatur) ero contentus. Iam dudum pudet tam multa scribere. vereor enim, ne re iam desperata legas; ut hac mea diligentia miserabilis tibi, aliis irridenda videatur. sed si est aliquid in spe, vide legem, quam T. Fadio scripsit Visellius: ea mihi perplacet. nam Sextij nostri, quam tu tibi probari, scribis, mihi non placet. Tertia est epistola prid. ID. Nouemb. data: in qua exponis prudenter & diligenter, quæ sint, quæ rem distinere videantur, de Crasso, de Pompeio, de ceteris. quare oro te, ut, si qua spes erit, posse studiis bonorũ, auctoritate, multitudine comparata rem confici, des operam, ut uno impetu perfringatur; in eam rem incumbas, ceteró sque excites. sin, ut ego perspicio cùm tua coniectura, tum etiam mea, spei nihil est; oro obtestórque te, ut Quinctum fratrem ames, quem ego miserum miserè perdidi; néue quid eum patiare grauiùs consulere de se, quàm expediat sororis tuæ filio; meum Ciceronem, cui nihil misello relinquo

præter inuidiam & ignominiam nominis mei, tuere, quoad poteris; Terentiam, vnam omnium ærumnosissimam, sustentes tuis officiis. Ego in Epirum proficiscar, cùm primorum dierum nuntios excepero. Tu ad me, velim, proximis litteris, vt se initia dederint, perscribas. Dat. prid. KAL. *Decemb.*

CICERO ATTICO. S. XXIIII.

ANTEA, *cùm ad me scripsissetis, vestro consensu Consulum prouincias ornatas esse; etsi verebar, quorsum id casurum esset, tamen sperabam vos aliquid aliquando vidisse prudentiùs: posteaquam mihi & dictum est, & scriptum, vehementer consilium vestrũ reprehendi, sum grauiter cõmotus; quòd illa ipsa spes exigua, quæ erat, videtur esse sublata. nam si Tribuni pl. nobis suscensent, quæ potest spes esse? ac videntur iure suscensere: cùm & expertes consilij fuerint, qui caussam nostram susceperant; & nostra concessione omnem vim sui iuris amiserint: præsertim cùm ita dicant, se nostra caussa voluisse suam potestatem esse de Consulibus ornandis, non vt eos impedirent, sed vt ad nostram caussam adiungerent. nunc si Consules à nobis alieniores esse velint, posse id liberè facere; sin vellent nostra caussa, nihil posse se inuitis. Nam quod scribis; ni ita vobis placuisset, illos hoc idem per populum assecuturos fuisse; inuitis Tribunis pleb. fieri nullo modo potuit. ita vereor, ne & studia Tribunorum amiserimus: &, si studia maneant,*

vinclum illud adiungendorum Consulum amissum sit. Accedit aliud non paruum incommodum, quod grauis illa opinio, vt quidem ad nos perferebatur, Senatum nihil decernere ante, quàm de nobis actum esset, amissa est; præsertim in ea caussa, quæ non modò necessaria non fuit, sed etiam inusitata ac noua. neque enim vmquam arbitror ornatas esse prouincias designatorum: vt, cùm in hoc illa constantia, quæ erat mea caussa suscepta, imminuta sit, nihil iam possit non decerni. iis, ad quos relatum est, amicis placuisse, non mirum est. erat enim difficile reperire, qui contra tanta commoda duorum Consulum palam sententiam diceret. fuit omnino difficile non obsequi, vel amicissimo homini, Lentulo, vel Metello, qui simultatem humanissimè deponeret. sed vereor, ne hos tamen tenere potuerimus; Tribunos pl. amiserimus. hæc res quemadmodum ceciderit, & tota res quo loco sit, velim ad me scribas; & ita, vt instituisti. nam ista veritas, etiam si iucunda non est, mihi tamen grata est. Dat. IIII. ID. Decemb.

CICERO ATTICO. S. XXV.

POST tuum à me discessum litteræ mihi Roma allatæ sunt: ex quibus perspicio nobis in hac calamitate tabescendum esse: neque enim, (sed bonam in partem accipies) si vlla spes saluti nostræ subesset, tu, pro tuo amore in me, hoc tempore discessisses. sed ne ingrati, aut ne omnia velle nobiscum

una interire videamur, hoc omitto: illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante KAL. *Ianu. ubicunque erimus, sistas.*

CICERO ATTICO. S. XXVI.

LITTERAE *mihi à Quincto fratre cum* S. C. *quod de me est factum, allata sunt. mihi in animo est, legum lationem exspectare; & si obtrectabitur, utar auctoritate Senatus, & potius vita, quam patria, carebo. Tu, quæso, festina ad nos venire.*

CICERO ATTICO. S. XXVII.

EX TUIS *litteris, & ex re ipsa nos funditus perisse video. Te oro, ut, quibus in rebus mei tui indigebunt, nostris miseriis ne desis. ego te, ut scribis, citò videbo.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER IIII.

CICERO ATTICO S. I.

pr. de Non. Sept.

CVM *primùm Romam veni, fuítque, cui rectè ad te litteras darem, nihil prius faciendum mihi putaui, quàm vt tibi absenti de reditu nostro gratularer. cognoram enim, (vt verè scribam) te in consiliis mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem, quàm me ipsum: nec etiam pro præterita mea in te obseruantia, nimiùm in custodia salutis meæ diligentem; eundémque te, qui primis temporibus erroris nostri, aut potiùs furoris particeps, & falsi timoris socius fuisses, acerbissimè discidium nostrum tulisse, plurimúmque operæ, studij, diligentiæ, laboris ad conficiendum reditum meum contulisse. itaque hoc tibi verè affirmo, in maxima lætitia, & exoptatissima gratulatione vnum ad cumulandum gaudium conspectum, aut potiùs complexum mihi tuum defuisse; quem semel nactus numquam dimisero: ac, nisi etiam prætermissos fructus tuæ suauitatis præteriti temporis omnes exegero, profectò hac restitutione fortunæ me ipse non satis dignum iudicabo. Nos adhuc in nostro statu, quod difficillimè recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem, & in Senatu*

auctoritatem, & apud viros bonos gratiam magis, quam optaramus, consecuti sumus. in re autem familiari, quae quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras, valde laboramus: tuarumque non tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quam cōsiliorum ad colligendas & constituendas reliquias nostras indigemus. nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror, aut etiam nuntiis, ac rumore perlata: tamen ea inscribam breui, quae te puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere. Pridie Nonas Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundisium veni Nonis Sext. ibi mihi Tulliola mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat & Brundisinae coloniae, & tuae vicinae Salutis. quae res animaduersa a multitudine, summa Brundisinorum gratulatione celebrata est. ante diem VI. ID. Sext. cognoui, cùm Brundisii essem, litteris Quincti fratris, mirifico studio omnium aetatum atque ordinum, incredibili concursu Italiae, legem comitiis Centuriatis esse perlatam. inde a Brundisinis honestissimis ornatus, iter ita feci, vt vndique ad me cum gratulatione legati conuenerint. ad vrbem ita veni, vt nemo vllius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non venerit, praeter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret aut dissimulare, aut negare. Cùm venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant: à qua plausu maximo cùm esset mihi gratulatio significata; similis & frequen-

tia, & plausus me vsque ad Capitolium celebrauit: in foróque, & in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. postridie in Senatu, qui fuit dies NON. Septemb. Senatui gratias egimus. eo biduo cùm esset annonæ summa caritas, & homines ad theatrum primò, deinde ad Senatum concurrissent, impulsu Clodij; mea opera frumenti inopiam esse clamarent; cùm per eos dies Senatus de annona haberetur; & ad eius procurationem sermone non solum plebis, verumetiam bonorum Pompeius vocaretur, idque ipse cuperet; multitudóque à me nominatim, vt id decernerem, postularet; feci; & accuratè sententiam dixi; cùm abessent Consulares, quòd tutò se negarent posse sententiam dicere, præter Messallam & Afranium. factum est S.C. in meam sententiam, vt cum Pompeio ageretur, vt eam rem susciperet, léxque ferretur: quo S.C. recitato cùm continuo, more hoc insulso & nouo, plausum, meo nomine recitando, dedisset; habui contionem: omnes magistratus præsentes, præter vnum Prætorem, & duos Tribunos pleb. dederunt. postridie Senatus frequens, & omnes Consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. ille legatos quindecim cùm postularet, me principem nominauit; & ad omnia me alterum se fore dixit. legem Consules conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur: alteram Messius, qui omnis pecuniæ dat potestatem, & adiungit classem & exercitũ, & maius imperium in prouinciis, quam sit eorum, qui eas

obtineant. illa nostra lex Consularis nunc modesta videtur, hæc Messii non ferenda. Pompeius illam velle se dicit, familiares hanc. Consulares, duce Fauonio, fremunt; nos tacemus, & eo magis, quòd de domo nostra nihil adhuc Pontifices responderant. qui si sustulerint religionem, aream præclaram habebimus; superficiem Consules ex S.C. æstimabunt: sin aliter, demolientur; suo nomine locabunt; rem totam æstimabunt. Ita sunt res nostræ; vt in secundis, fluxæ; vt in aduersis, bonæ. In re familiari valde sumus, vt scis, perturbati. præterea sunt quædam domestica, quæ litteris non committo. Quinctum fratrem, insigni pietate, virtute, fide præditum, sic amo, vt debeo. Te expecto; & oro, vt matures venire; eóque animo venias, vt me tuo consilio egere non sinas. alterius vitæ quoddam initium ordimur. iam quidam, qui nos absentis defenderunt, incipiunt præsentibus occulte irasci; apertè inuidere. vehementer te requirimus.

CICERO ATTICO. S. II.

SI FORTE rariùs tibi à me, quàm à ceteris, litteræ redduntur; peto à te, vt id non modò non negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidem tribuas: quæ etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta, vt interrumpat iter amoris nostri & officij mei. nam vt veni Romam, iterum nunc sum certior factus, esse, cui darem litteras. itaque has alteras dedi. prioribus tibi declaraui, aduentus noster

qualis fuisset, & quis esset status, atque omnes res nostræ quemadmodum essent, vt in secundis, fluxæ, vt in aduersis, bonæ. Post illas datas litteras, secuta est summa contentio de domo. diximus apud Pontifices pridie KAL. *Octobres. acta res est accuratè à nobis: & si vmquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si vmquam alias fuimus, tum profectò dolor & magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. itaque oratio iuuentuti nostræ deberi non potest: quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito. Cùm pontifices decreuissent, ita,* SI NEQVE POPVLI IVSSV, NEQVE PLEBIS SCITV, QVI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRAEFECTVS ESSET, NEQVE POPVLI IVSSV, AVT PLEBIS SCITV ID FACERE IVSSVS ESSET; VIDERI, POSSE SINE RELIGIONE EAM PARTEM AREAE MI RESTITVI; *mihi facta statim est gratulatio. nemo enim dubitabat, quin domus nobis esset adiudicata. tum subito ille in contionem ascendit, quam Appius ei dedit. nuntiat inani populo, Pontifices secundum se decreuisse; me autem vi conari in possessionem venire. hortatur, vt se, & Appium sequantur, & suam Libertatem vt defendant. hîc cùm etiam illi infimi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam; ego statueram illuc non accedere, nisi cùm Consules ex* S. C. *porticum Catuli restituendam locassent.* KAL. *Octob. habetur Senatus frequens. adhibentur omnes Pontifices,*

qui erant Senatores: a quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quæsiuit, quid essent in decernendo secuti. tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis iudices Pontifices fuisse, legis Senatum: se, & collegas suos de religione statuisse, in Senatu de lege statuturos. quisque horum, loco sententiam rogatus, multa secūdum caussam nostram disputauit. cùm ad Clodium ventum est, cupiit diem consumere: neque ei finis est factus: sed tamen, cùm horas tris ferè dixisset, odio & strepitu Senatus coactus est aliquando perorare. cùm fieret S. C. *in sententiam Marcellini; omnibus præter vnum assentientibus, Serranus intercessit. de intercessione statim ambo Consules referre cœperunt. cùm sententiæ grauissimæ dicerentur; Senatui placere, mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi; si qua vis esset facta, Senatum existimaturum, eius opera factum esse, qui* S. C. *intercessisset: Serranus pertimuit; & Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit: abiecta toga, se ad generi pedes abiecit. ille noctem sibi postulauit: non concedebant. reminiscebantur enim* KAL. *Ianuarium. vix tamen sibi de mea voluntate concessum est. postridie* S. C. *factum est id, quod ad te misi. deinde Consules porticum Catuli restituendam locarunt: illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. nobis superficiem ædium Consules de consilij sententia æstimarunt* HS *vicies; cetera valde illiberaliter;*

tandem sed

partem

Tusculanam villam quingentiis millib; Formianum HS ducentis quinquaginta millib. quæ æstimatio non modò vehementer ab optimo quoque, sed etiam à plebe reprehenditur. dices, quid igitur caussæ fuit? dicunt illi quidem, pudorem meum; quod neque negarim, neque vehementiùs postularim. sed non est id. nam hoc quidem etiam profuisset. verùm iidem, mi T. Pomponi, iidem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci: sed, vt spero, iam renascuntur. tu modò ad nos veni: quod vereor ne tardiùs interuentu Varronis tui nostrique facias. Quoniam acta quæ sint, habes: de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me a Pompeio legari ita sum passus, vt nulla re impedirer, quod ne, si vellem, mihi esset integrum, aut, si comitia Censorum proximi Consules haberent, petere posse, aut votiuam legationem sumpsisse prope omnium fanorum, ~~lucorum~~. sic enim nostræ rationes postulabant. sed volui meam potestatem esse vel petendi, vel ineunte æstatem exeundi: &, interea me esse in oculis ciuium, de me optime meritorum, non alienum putaui. Ac forensium quidem rerum hæc nostra consilia sunt: domesticarum autem valde impedita. Domus ædificatur. scis, quo sumptu, qua molestia reficiatur Formianum; quod ego nec relinquere possum, nec videre. Tusculanum proscripsi: suburbano ~~non~~ facile careo. amicorum benignitas exhausta est in ea re, quæ nihil habuit præter dedecus: quod sensisti tu absens; præsentes, quorum studiis ego,

& copiis, si esset per meos defensores licitum, facile essem omnia consecutus. quo in genere nunc vehementer laboratur. Cetera, quæ me solicitant, μυστικώτερα sunt. amamur à fratre, & à filio. te exspectamus.

CICERO ATTICO. S. III.

HAVERE te certo scio, cùm scire, quid hîc agatur, tum id à me scire; non quo certiora sint ea, quæ in oculis omnium geruntur, si à me scribantur, quam cùm ab aliis aut scribuntur tibi, aut nuntiantur; verùm vt perspicias ex meis litteris, quo animo ea feram, quæ geruntur: & qui sit hoc tempore aut mentis meæ sensus, aut omnino vitæ status. Armatis hominibus ante diem tertium NON. Nouemb. expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus Catuli, quæ ex S.C. Consulum locatione reficiebatur, & ad tectum penè peruenerat. Quincti fratris domus primò fracta coniectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata iussu Clodij, inspectante vrbe, coniectis ignibus, magna querela & gemitu, non dicam bonorum omnium, qui, nescio, an vlli sint, sed plane hominum omnium. ille vehemens ruere: post hunc furorem nihil nisi cædem inimicorum cogitare; vicatim ambire; seruis apertè spem libertatis ostendere. etenim antea, cùm iudicium nolebat, habebat ille quidem difficilem, manifestamque caussam, sed tamen caussam: sed poterat inficiari; poterat in alios deriuare; poterat etiam

aliquid iure factum defendere. post has ruinas incendia, rapinas, desertus à suis, vix iam Decimum designatorem, vix Gellium retinet: seruorum consiliis vtitur: videt, si omnis, quos vult, palam occiderit, nihilo suam causam difficiliorem, quàm adhuc sit, in iudicio futuram. itaque ante diem tertium Idus Nouemb. cùm Sacra via descenderem, insecutus est me cum suis. clamor, lapides, fustes, gladij, hæc improuisa omnia. discessimus in vestibulum Tettij Damionis. qui erant mecum, facilè operas aditu prohibuerunt. ipse occidi potuit. sed ego diæta curari incipio: chirurgiæ tædet. ille omnium vocibus cùm se non ad iudicium, sed ad supplicium præsens trudi videret, omnis Catilinas, Acidinos postea reddidit. nam Milonis domum, eam quæ Germalo, pridie Idus Nouemb. expugnare & incendere ita conatus est, vt palàm hora v. cum scutis homines, eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. ipse domum P. Sullæ pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acris; occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos: ipsum cupiuit; sed ille se interiora in ædium Sullæ. in Senatu postridie Idus (domi Clodius) egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit, adiuuante Oppio, etiam hercule familiari tuo; de cuius constantia, inuita tuæ verissimæ litteræ. Sestius furere. ille postea, si comitia sua non fierent, vrbi minari. proposita Marcellini sententia, quam ille de

scripto ita dixerat, vt totam nostram caussam areæ, incendiorum, periculi mei, iudicio complecteretur, eáque omnia comitiis anteferret: proscripsit, se per omnes dies comitialis de cælo seruaturum. contiones turbulentæ Metelli, temerariæ Appij, furiosissimæ Publij. hæc tamen summa; nisi Milo in campum obnũtiasset, comitia futura. ante diem XII. KAL. *Decemb. Milo media nocte cum magna manu in campum venit. Clodius, cùm haberet fugitiuorum delectas copias, in campum ire non est ausus. Milo permansit ad meridiem mirifica hominum lætitia, summa cum gloria. contentio fratrum trium turpis, fracta vis, contemptus furor. Metellus tamen postulat, vt sibi postero die in foro obnuntietur: nihil esse, quod in campum nocte veniretur: se hora prima in Comitio fore. itaque ante diem* XI. KAL. *in Comitium Milo de nocte venit. Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deuiis currebat: assequitur inter lucos hominem Milo; obnuntiat. ille se recepit, magno & turpi Q. Flacci conuicio. ante diem* X. KAL. *nundinæ. contio biduo nulla. ante diem* VIII. KAL. *hæc ego scribebam, hora noctis nona. Milo campum iam tenebat. Marcellus candidatus ita stertebat, vt ego vicinus audirem. Clodij vestibulum vacuum sanè mihi nuntiabatur. pauci pannosi linea laterna. meo consilio omnia illi fieri querebantur, ignari quantum in illo heroe esset animi, quantum etiam consilij. miranda virtus est. noua quædam diuina mitto. sed hæc summa est. comitia fore non arbitror. reum Publium,*

nisi ante occisus erit, fore à Milone puto. si se ut it urbe iam obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video. non dubitat facere; prae se fert; casum illum nostrum non extimescit. numquam enim cuiusquam inuidi, & perfidi consilio est vsus: nec inerti nobili crediturus. Nos animo duntaxat vigemus, etiam magis, quàm cùm florebamus: re familiari comminuti sumus, Q uincti fratris tamen liberalitati pro facultatibus nostris, ne omnino exhaustus esset, illo recusante, subsidiis amicorum respondimus. quid consilij de omni nostro statu capiamus, te absente nescimus. quare appropera.

CICERO ATTICO S. IIII.

PERIVCVNDVS mihi Cincius fuit ante diem tertium KAL. Febr. ante lucem. dixit enim mihi, te esse in Italia, seséque ad te pueros mittere: quos sine meis litteris ire nolui: non quò haberem, quod tibi, præsertim iam prope præsenti, scriberem: sed vt hoc ipsum significarem mihi tuum aduentum suauissimum exspectatissimúmque esse. quare aduola ad nos, eo animo, vt nos ames, te amari scias. cetera coram agemus. hæc properantes scripsimus. quo die venies, vtique cum tuis apud me sis. perbellè feceris, si ad nos veneris. offendes designationem Tyrannionis mirificam in librorum meorum bibliothecam; quorum reliquiæ multo meliores sunt, quàm putaras. etiã vellem mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtatur

cio videatur ex eius incendio esse ereptus. nam quid fœdiùs nostra vita? præcipuè mea? nam tu quidem, etsi es natura πολιτικός, tamen nullam habes propriam seruitutem: communi frueris nomine. ego verò, qui, si loquor de Rep. quod oportet, insanus; si, quod opus est, seruus existimor; si taceo, oppressus & captus; quo dolore esse debeo? quo sum scilicet, hoc etiam acriore, quòd ne dolere quidem possum, ut non ingratus videar. quid, si cessare libeat, & in otij portum confugere? ne quicquam. immo etiam in bellum & in castra. ergo erimus ὀπαδοί, qui ταγοὶ esse noluimus? sic faciendum est. tibi enim ipsi, cui vtinam semper paruissem, sic video placere. reliqui est σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει: non mehercule possum; & Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit. veruntamen id ipsum mecum in his locis commentor, vt ista improbem; ídque tu, cùm vna erimus, confirmabis. A te litteras crebrò ad me scribi video; sed omnis vno tempore accepi. quæ res etiam auxit dolorem meum. casu enim trinas ante legeram, quibus, meliusculè Lentulo esse, scriptum erat. ecce quarta fulmen. sed ille, vt scripsi, non miser; nos verò ferrei. Quòd me admones, vt scribam illa Hortensiana: in alia incidi, non immemor istius mandati tui. sed mehercule incipiendo refugi; ne, quòd videor stultè illius amici intemperiem non tulisse, rursus stultè iniuriam illius faciam illustrem, si quid scripsero; & simul, ne βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in scribendo sit oculatior; & aliquid satisfa-

ctio leuitatis habere videatur. Sed viderimus. tu modò quam sæpissime ad me aliquid. Epistolam, Lucceio nunc quam misi, qua, meas res vt scribat, rogo, fac vt ab eo sumas: valde bella est: eúmque, vt approperet, adhorteris: & quòd mihi se ita facturum rescripsit, agas gratias. Domum nostram, quoad poteris, inuisas. Vestorio aliquid significes: valde enim est in me liberalis.

CICERO ATTICO. S. VII.

NIHIL εὐχαρότερον *epistola tua, que me solicitum de Quincto nostro, puero optimo, valde leuauit. venerat horis duabus ante Charippus; mera monstra nuntiarat. De Apollonio quòd scribis, qui illi dij irati, homini Græco, qui conturbare quidem putat sibi licere; quod Equitibus Romanis? nam Terentius suo iure. De Metello,* οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν. *sed tamen multis annis ciuis nemo erat mortuus, qui quidem. tibi nummi meo periculo sint. quid enim vereris, quemcunque heredem fecit? nisi Publium fecit. verùm fecit non improbè; quamquam fuit ipse. quare in hoc thecam nummariam non retexeris: in aliis eris cautior. Mea mandata de domo curabis: prædia locabis: Milonem admonebis. Arpinatium fremitus est incredibilis de Laterio. quid quæris? equidem dolui.* ὁ δὲ οὐκ ἐμπάζετο μύθων. *Quòd superest, etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis, vt facis.*

vna interire videamur, hoc omitto: illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, vt te ante KAL. *Ianu. vbicunque erimus, sistas.*

CICERO ATTICO. S. XXVI.

LITTERAE *mihi à Quincto fratre cum* S. C. *quod de me est factum, allata sunt. mihi in animo est, legum lationem exspectare; & si obtrectabitur, vtar auctoritate Senatus, & potiùs vita, quam patria, carebo. Tu, quæso, festina ad nos venire.*

CICERO ATTICO. S. XXVII.

EX TVIS *litteris, & ex re ipsa nos funditus perisse video. Te oro, vt, quibus in rebus mei tui indigebunt, nostris miseriis ne desis. ego te, vt scribis, citò videbo.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER IIII.

CICERO ATTICO S. I.

prid. Non. Sept.

CVM primùm Romam veni, fuítque, cui rectè ad te litteras darem, nihil prius faciendum mihi putaui, quàm vt tibi absenti de reditu nostro gratularer. cognoram enim, (vt verè scribam) te in consiliis mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem, quàm me ipsum: nec etiam pro præterita mea in te obseruantia, nimiùm in custodia salutis meæ diligentem; eundémque te, qui primis temporibus erroris nostri, aut potiùs furoris particeps, & falsi timoris socius fuisses, acerbissimè discidium nostrum tulisse, plurimúmque operæ, studij, diligentiæ, laboris ad conficiendum reditum meum contulisse. itaque hoc tibi verè affirmo, in maxima lætitia, & exoptatissima gratulatione vnum ad cumulandum gaudium conspectum, aut potiùs complexum mihi tuum defuisse; quem semel nactus numquam dimisero: ac, nisi etiam prætermissos fructus tuæ suauitatis præteriti temporis omnes exegero, profectò hac restitutione fortunæ me ipse non satis dignum iudicabo. Nos adhuc in nostro statu, quod difficillimè recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem, & in Senatu

auctoritatem, & apud viros bonos gratiam magis, quam optaramus, consecuti sumus. in re autem familiari, quæ quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras, valde laboramus: tuarumq; non tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quam cõsiliorum ad colligendas & constituendas reliquias nostras indigemus. nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror, aut etiam nuntiis, ac rumore perlata: tamen ea inscribam breui, quæ te puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere. Pridie Nonas Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundisium veni Nonis Sext. ibi mihi Tulliola mea fuit præsto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat & Brundisinæ coloniæ, & tuæ vicinæ Salutis. quæ res animaduersa a multitudine, summa Brundisinorum gratulatione celebrata est. ante diem VI. ID. Sext. cognoui, cùm Brundisii essem, litteris Quincti fratris, mirifico studio omnium ætatum atque ordinum, incredibili concursu Italiæ, legem comitiis Centuriatis esse perlatam. inde a Brundisinis honestissimis ornatus, iter ita feci, vt vndique ad me cum gratulatione legati conuenerint. ad vrbem ita veni, vt nemo vllius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non venerit, præter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret aut dissimulare, aut negare. Cùm venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant: à qua plausu maximo cùm esset mihi gratulatio significata; similis & frequen-

tia, & plausus me vsque ad Capitolium celebrauit: in foróque, & in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. postridie in Senatu, qui fuit dies NON. Septemb. Senatui gratias egimus. eo biduo cùm esset annonæ summa caritas, & homines ad theatrum primò, deinde ad Senatum concurrissent, impulsu Clodij; mea opera frumenti inopiam esse clamarent; cùm per eos dies Senatus de annona haberetur; & ad eius procurationem sermone non solum plebis, verumetiam bonorum Pompeius vocaretur, idque ipse cuperet; multitudóque à me nominatim, vt id decernerem, postularet; feci; & accuratè sententiam dixi; cùm abessent Consulares, quòd tutò se negarent posse sententiam dicere, præter Messallam & Afranium. factum est S. C. in meam sententiam, vt cum Pompeio ageretur, vt eam rem susciperet, léxque ferretur: quo S. C. recitato cùm continuo, more hoc insulso & nouo, plausum, meo nomine recitando, dedisset; habui contionem: omnes magistratus præsentes, præter vnum Prætorem, & duos Tribunos pleb. dederunt. postridie Senatus frequens, & omnes Consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. ille legatos quindecim cum postularet, me principem nominauit; & ad omnia me alterum se fore dixit. legem Consules conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur: alteram Messius, qui omnis pecuniæ dat potestatem, & adiungit classem & exercitũ, & maius imperium in prouinciis, quàm sit eorum, qui eas

obtineant. illa nostra lex Consularis nunc modesta videtur, hac Messii non ferenda. Pompeius illam velle se dicit, familiares hanc. Consulares, duce Fauonio, fremunt; nos tacemus, & eo magis, quòd de domo nostra nihil adhuc Pontifices responderant. qui si sustulerint religionem, aream præclaram habebimus; superficiem Consules ex S.C. æstimabunt: sin aliter, demolientur; suo nomine locabunt; rem totam æstimabunt. Ita sunt res nostræ; vt in secundis, fluxæ; vt in aduersis, bonæ. In re familiari valde sumus, vt scis, perturbati. præterea sunt quædam domestica, quæ litteris non committo. Quinctum fratrem, insigni pietate, virtute, fide præditum, sic amo, vt debeo. Te expecto; & oro, vt matures venire; eóque animo venias, vt me tuo consilio egere non sinas. alterius vitæ quoddam initium ordimur. iam quidam, qui nos absentis defenderunt, incipiunt præsentibus occulte irasci; apertè inuidere. vehementer te requirimus.

CICERO ATTICO. S. II.

SI FORTE rariùs tibi à me, quàm à ceteris, litteræ redduntur; peto à te, vt id non modò non negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidem tribuas: quæ etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta, vt interrumpat iter amoris nostri & officij mei. nam vt veni Romam, iterum nunc sum certior factus, esse, cui darem litteras. itaque has alteras dedi. prioribus tibi declaraui, aduentus noster

qualis fuisset, & quis esset status, atque omnes res nostræ quemadmodum essent, vt in secundis, fluxæ, vt in aduersis, bonæ. Post illas datas litteras, secuta est summa contentio de domo. diximus apud Pontifices pridie KAL. *Octobres. acta res est accuratè à nobis: & si vmquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si vmquam alias fuimus, tum profectò dolor & magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. itaque oratio iuuentuti nostræ deberi non potest: quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito. Cùm pontifices decreuissent, ita,* SI NEQVE POPVLI IVSSV, NEQVE PLEBIS SCITV, QVI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRAEFECTVS ESSET, NEQVE POPVLI IVSSV, AVT PLEBIS SCITV ID FACERE IVSSVS ESSET; VIDERI, POSSE SINE RELIGIONE EAM PARTEM AREAE MI RESTITVI; *mihi facta statim est gratulatio. nemo enim dubitabat, quin domus nobis esset adiudicata. tum subito ille in contionem ascendit, quam Appius ei dedit. nuntiat inani populo, Pontifices secundum se decreuisse; me autem vi conari in possessionem venire: hortatur, vt se, & Appium sequantur, & suam Libertatem vt defendant. hîc cùm etiam illi infimi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam; ego statueram illuc non accedere, nisi cùm Consules ex* S. C. *porticum Catuli restituendam locassent.* KAL. *Octob. habetur Senatus frequens. adhibentur omnes Pontifices,*

qui erant Senatores: a quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quæsiuit, quid essent in decernendo secuti. tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis iudices Pontifices fuisse, legis Senatum: se, & collegas suos de religione statuisse, in Senatu de lege statuturos. quisque horum, loco sententiam rogatus, multa secūdum caussam nostram disputauit. cùm ad Clodium ventum est, cupiit diem consumere: neque ei finis est factus: sed tamen, cùm horas tris ferè dixisset, odio & strepitu Senatus coactus est aliquando perorare. cùm fieret S. C. in sententiam Marcellini; omnibus præter vnum assentientibus, Serranus intercessit. de intercessione statim ambo Consules referre cœperunt. cùm sententiæ grauissimæ dicerentur; Senatui placere, mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi; si quæ vis esset facta, Senatum existimaturum, eius opera factum esse, qui S. C. intercessisset: Serranus pertimuit; & Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit: abiecta toga, se ad generi pedes abiecit. ille noctem sibi postulauit: non concedebant. reminiscebantur enim KAL. Ianuarium. vix tamen sibi de mea voluntate concessum est. postridie S. C. factum est id, quod ad te misi. deinde Consules porticum Catuli restituendam locarunt: illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. nobis superficiem ædium Consules de consilij sententia æstimarunt HS vicies; cetera valde illiberaliter;

Tusculanam villam quingentiis milib; Formianum HS ducentis quinquaginta millib. quæ æstimatio non modò vehementer ab optimo quoque, sed etiam à plebe reprehenditur. dices, quid igitur caussæ fuit? dicunt illi quidem, pudorem meum; quod neque negarim, neque vehementiùs postularim. sed non est id. nam hoc quidem etiam profuisset. verum iidem, mi T. Pomponi, iidem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci: sed, vt spero, iam renascuntur. tu modò ad nos veni: quod vereor ne tardiùs interuentu Varronis tui nostrique facias. Quoniam acta quæ sint, habes: de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me a Pompeio legari ita sum passus, vt nulla re impedirer, quod ne, si vellem, mihi esset integrum, aut, si comitia Censorum proximi Consules haberent, petere posse, aut votiuam legationem sumpsisse prope omnium fanorum, ~~lucorum~~. sic enim nostræ rationes postulabant. sed volui meam potestatem esse vel petendi, vel ineunte æstatem exeundi: &, interea me esse in oculis ciuium, de me optime meritorum, non alienum putaui. Ac forensium quidem rerum hæc nostra consilia sunt: domesticarum autem valde impedita. Domus ædificatur. scis, quo sumptu, qua molestia reficiatur Formianum; quod ego nec relinquere possum, nec videre. Tusculanum proscripsi: suburbano ~~non~~ facilè careo. amicorum benignitas exhausta est in ea re, quæ nihil habuit præter dedecus: quod sensisti tu absens; præsentes, quorum studiis ego,

& copiis, si esset per meos defensores licitum, facile essem omnia consecutus. quo in genere nunc vehementer laboratur. Cetera, quæ me solicitant, μυστικώτερα sunt. amamur à fratre, & à filio. te exspectamus.

CICERO ATTICO. S. III.

HAVERE *te certo scio, cùm scire, quid hîc agatur, tum id à me scire; non quo certiora sint ea, quæ in oculis omnium geruntur, si à me scribantur, quam cùm ab aliis aut scribuntur tibi, aut nuntiantur; verùm vt perspicias ex meis litteris, quo animo ea feram, quæ geruntur: & qui sit hoc tempore aut mentis meæ sensus, aut omnino vitæ status. Armatis hominibus ante diem tertium* NON. *Nouemb. expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus Catuli, quæ ex* S.C. *Consulum locatione reficiebatur, & ad tectum penè peruenerat. Quincti fratris domus primò fracta coniectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata iussu Clodij, inspectante vrbe, coniectis ignibus, magna querela & gemitu, non dicam bonorum omnium, qui, nescio, an vlli sint, sed plane hominum omnium. ille vehemens ruere: post hunc furorem nihil nisi cædem inimicorum cogitare; vicatim ambire; seruis apertè spem libertatis ostendere. etenim antea, cùm iudicium nolebat, habebat ille quidem difficilem, manifestamque caussam, sed tamen caussam: poterat inficiari; poterat in alios deriuare; poterat etiam*

aliquid iure factum defendere. post has ruinas incendia, rapinas, desertus à suis, vix iam Decimum designatorem, vix Gellium retinet: seruorum consiliis vtitur: videt, si omnis, quos vult, palam occiderit, nihilo suam causam difficiliorem, quàm adhuc sit, in iudicio futuram. itaque ante diem tertium Idus Nouemb. cùm Sacra via descenderem, insecutus est me cum suis. clamor, lapides, fustes, gladij, hæc improuisa omnia. discessimus in vestibulum Tettij Damionis. qui erant mecum, facilè operas aditu prohibuerunt. ipse occidi potuit. sed ego diæta curari incipio: chirurgiæ tædet. ille omnium vocibus cùm se non ad iudicium, sed ad supplicium præsens trudi videret, omnis Catilinas, Acidinos postea reddidit. nam Milonis domum, eam quæ Germalo, pridie Idus Nouemb. expugnare & incendere ita conatus est, vt palàm hora v. cum scutis homines, eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. ipse domum P. Sullæ pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acris; occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos: ipsum cupiuit; sed ille se interiora in ædium Sullæ ⸿. in Senatu postridie Idus (domi Clodius) egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit, adiuuante Oppio, etiam hercule familiari tuo; de cuius constantia, inuicta tua verissima littera. Sestius furere. ille postea, si comitia sua non fierent, vrbi minari. proposita Marcellini sententia, quam ille de

scripto ita dixerat, vt totam nostram caussam area, incendiorum, periculi mei, iudicio complecteretur, eáque omnia comitiis anteferret: proscripsit, se per omnes dies comitialis de cælo seruaturum. contiones turbulentæ Metelli, temerariæ Appij, furiosissimæ Publij. hæc tamen summa; nisi Milo in campum obnũtiasset, comitia futura. ante diem XII. KAL. *Decemb. Milo media nocte cum magna manu in campum venit. Clodius, cùm haberet fugitiuorum delectas copias, in campum ire non est ausus. Milo permansit ad meridiem mirifica hominum lætitia, summa cum gloria. contentio fratrum trium turpis, fracta vis, contemptus furor. Metellus tamen postulat, vt sibi postero die in foro obnuntietur: nihil esse, quod in campum nocte veniretur: se hora prima in Comitio fore. itaque ante diem* XI. KAL. *in Comitium Milo de nocte venit. Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deuiis currebat: assequitur inter lucos hominem Milo; obnuntiat. ille se recepit, magno & turpi Q. Flacci conuicio. ante diem* X. KAL. *nundinæ. contio biduo nulla. ante diem* VIII. KAL. *hæc ego scribebam, hora noctis nona. Milo campum iam tenebat. Marcellus candidatus ita stertebat, vt ego vicinus audirem. Clodij vestibulum vacuum sanè mihi nuntiabatur. pauci pannosi linea laterna. meo consilio omnia illi fieri querebantur, ignari quantum in illo heroe esset animi, quantum etiam consilij. miranda virtus est. noua quædam diuina mitto. sed hæc summa est. comitia fore non arbitror. reum Publium,*

nisi ante occisus erit, fore à Milone puto. si se vt it vrbe iam obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video. non dubitat facere; præ se fert; casum illum nostrum non extimescit. numquam enim cuiusquam inuidi, & perfidi consilio est vsus: nec inerti nobili crediturus. Nos animo duntaxat vigemus, etiam magis, quàm cùm florebamus: re familiari comminuti sumus, Quincti fratris tamen liberalitati pro facultatibus nostris, ne omnino exhaustus esset, illo recusante, subsidiis amicorum respondimus. quid consilij de omni nostro statu capiamus, te absente nescimus. quare appropera.

CICERO ATTICO S. IIII.

PERIVCVNDVS *mihi Cincius fuit ante diem tertium* KAL. *Febr. ante lucem. dixit enim mihi, te ipse esse in Italia, seséque ad te pueros mittere: quos sine meis litteris ire nolui: non quò haberem, quod tibi, præsertim iam prope præsenti, scriberem: sed vt hoc ipsum significarem mihi tuum aduentum suauissimum exspectatissimúmque esse. quare aduola ad nos, eo animo, vt nos ames, te amari scias. cetera coram agemus. hæc properantes scripsimus. quo die venies, vtique cum tuis apud me sis. perbellè feceris, si ad nos veneris. offendes designationem Tyrannionis mirificam in librorum meorum bibliothecam; quorum reliquiæ multo meliores sunt, quam putaras. etiã vellem mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtatur*

glutinatoribus, ad cetera administris; iísque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, συλλάβους appellatis. Sed hæc, si tibi erit commodum. ipse verò utique fac venias, si potes in his locis adhærescere, & Piliam adducere. ita enim & æquum est, & cupit Tullia. Me dius fidius ne tu emisti λόγον præclarum. [gladiatores] audio pugnare mirifice. si locare voluisses, duobus his muneribus liberasses. Sed hæc posteriùs. tu fac venias: & de librariis, si me amas, diligenter.

CICERO ATTICO. S. V.

AIN TV? an me existimas ab [ullo] malle mea legi probaríque, quàm à te? cur igitur cuiquam misi priùs? urgebar ab eo, ad quem misi, & non habebam exemplar. quid? etiam (dudum enim circumrodo, quod devorandum est) subturpicula mihi videbatur esse παλινῳδία. sed valeant recta, vera, honesta consilia. non est credibile, quæ sit perfidia in istis principibus, ut volunt esse, & ut essent, si quicquam haberent fidei. senseram, noram, inductus, relictus, proiectus ab iis: tamen hoc erat in animo, ut cum iis in Rep. consentirem. iidem erant, qui fuerant. vix aliquando te auctore resipivi. dices, ea te monuisse, suasisse, quæ facerem; non etiam ut scriberem. ego mehercule mihi necessitatém volui imponere huius novæ coniunctionis; ne qua mihi liceret labi ad illos, qui etiam tum, cùm misereri mei de-

mei debent, non desinunt inuidere. sed tamen modici fuimus ὑποθέσει, vt scripsi. erimus vberiores, si & ille libenter accipiet, & hi subringentur, qui villam me moleste ferunt habere, quæ Catuli fuerat, à Vettio me emisse non cogitant; qui domum negant oportuisse me ædificare, vendere aiunt oportuisse. sed quid ad hoc? si, quibus sententiis dixi, quod & ipsi probarent, lætati sunt tamen me contra Pompeij voluntatem dixisse? finis: & quoniam, qui nihil possunt, ij me nolunt amare; demus operam, vt ab iis, qui possunt, diligamur. dices: vellem iampridem. scio te voluisse; & me asinum germanum fuisse. sed iam tempus est me ipsum à me amari, quando ab illis nullo modo possum. Domum meam quod crebro inuisis, est mihi valde gratum. Viaticum Crassipes præripit. Tu de via recta in hortos. videtur commodius ad te postridie scilicet: quid enim tua? sed viderimus. Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione & sittybis. eos velim laudes.

Set finis sit

CICERO ATTICO. S. VI.

De LENTVLO scilicet sic fero, vt debeo. virum bonum, & magnum hominem, & in summa magnitudine animi multa humanitate temperatum perdidimus; nósque malo solacio, sed non nullo tamen, consolamur, quòd ipsius vicem minimè dolemus, non vt Saufeius & vestri; immo hercule quia sic amabat patriam, vt mihi aliquo deorum benefi-

cio videatur ex eius incendio esse ereptus. nam quid fœdius nostra vita? præcipuè mea? nam tu quidem, etsi es natura πολιτικὸς, tamen nullam habes propriam seruitutem: communi frueris nomine. ego verò, qui, si loquor de Rep. quod oportet, insanus; si, quod opus est, seruus existimor; si taceo, oppressus & captus; quo dolore esse debeo? quo sum scilicet, hoc etiam acriore, quòd ne dolere quidem possum, vt non ingratus videar. quid, si cessare libeat, & in otij portum confugere? ne quicquam. immo etiam in bellum & in castra. ergo erimus ὀπαδοὶ, qui ταγοὶ esse noluimus? sic faciendum est. tibi enim ipsi, cui vtinam semper paruissem, sic video placere. reliqui, est Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει: non mehercule possum; & Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit. veruntamen id ipsum mecum in his locis commentor, vt ista improbem; idque tu, cùm vna erimus, confirmabis. A te litteras crebrò ad me scribi video; sed omnis vno tempore accepi. quæ res etiam auxit dolorem meum. casu enim trinas ante legeram, quibus, meliusculè Lentulo esse, scriptum erat. ecce quartæ fulmen. sed ille, vt scripsi, non miser; nos verò ferrei. Quòd me admones, vt scribam illa Hortensiana: in alia incidi, non immemor istius mandati tui. sed mehercule incipiendo refugi; ne, quòd videor stultè illius amici intemperiem non tulisse, rursus stultè iniuriam illius faciam illustrem, si quid scripsero; & simul, ne, βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in scribendo sit occultior; & aliquid satisfa-

ctio leuitatis habere videatur. Sed viderimus. tu modò quam sæpissime ad me aliquid. Epistolam, Lucceio nunc quam misi, qua, meas res vt scribat, rogo, fac vt ab eo sumas: valde bella est: eúmque, vt approperet, adhorteris: & quòd mihi se ita facturum rescripsit, agas gratias. Domum nostram, quoad poteris, inuisas. Vestorio aliquid significes: valde enim est in me liberalis.

CICERO ATTICO. S. VII.

NIHIL εὐχαριστότερον *epistola tua, quæ me solicitum de Quincto nostro, puero optimo, valde leuauit. venerat horis duabus ante Charippus; mera monstra nuntiarat. De Apollonio quòd scribis, qui illi dij irati, homini Græco, qui conturbare quidem putat sibi licere; quod Equitibus Romanis! nam Terentius suo iure. De Metello,* οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν. *sed tamen multis annis ciuis nemo erat mortuus, qui quidem. tibi nummi meo periculo sint. quid enim vereris, quemcunque heredem fecit? nisi Publium fecit. verùm fecit non improbè; quamquam fuit ipse. quare in hoc thecam nummariam non retexeris: in aliis eris cautior. Mea mandata de domo curabis: prædia locabis: Milonem admonebis. Arpinatium fremitus est incredibilis de Laterio. quid quæris? equidem dolui.* ὁ δ᾽ οὐκ ἐμπάζετο μύθων. *Quòd superest, etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis, vt facis.*

CICERO ATTICO. S. VIII.

MVLTA me in epistola tua delectarunt, sed nihil magis, quàm patina tyrotarichi. nam de rauduſculo, quod ſcribis, μήπω μέγ' εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς. ædificati tibi in agris nihil reperio. in oppido eſt quiddam, de quo eſt dubium, ſit ne venale; ac proximum quidem noſtris ædibus. hoc ſcito, Antium Buthrotum eſſe Romæ, vt Corcyræ illud tuum. nihil quietius, nihil alſius, nihil amœnius. εἴη μισηλὸς φίλος οἶκος. poſtea verò quàm Tyrannio mihi libros diſpoſuit, mens addita videtur meis ædibus: qua quidem in re mirifica opera Dionyſii, & Menophili tui fuit. nihil venuſtius, quàm illa tua pegmata, poſtquam mi ſittybis libros illuſtrarunt. valde [illegible] ſcribas ad me velim de gladiatoribus, ſed ita, bene ſi rem gerunt: non quæro, malè ſi ſe geſſere. Apenas vix diſceſſerat; cùm epiſtola: quid ais? putáſne fore, vt legem non ferat? dic, oro te, clariùs: vix enim mihi exaudiſſe videor. verùm ſtatim fac vt ſciam, ſi modò, tibi eſt commodum. Ludis quidem, quoniam dies eſt additus, eò etiam meliùs hîc eum diem cum Dionyſio cõteremus. De Trebonio prorſus tibi aſſentior. De Domitio..

Σύκῳ μὰ τὴν δήμητρα σῦκον οὐδὲ ἓν
Οὕτως ὅμοιον γέγονεν,

quam eſt iſta περίστασις noſtræ, vel quòd ab iiſdem, vel quòd præter opinionem, vel quòd viri boni

nuſquam. vnum diſſimile, quòd huic meritò. nam de ipſo caſu neſcio, an illud melius. quid enim hoc miſerius, quàm eum, qui tot annos, quot habet, deſignatus Conſul fuerit, fieri Conſulem non poſſe? præſertim cùm aut ſolus, aut certè non plus, quàm cum altero petat. ſi verò id eſt, quod neſcio an ſit, vt non minus longas iam in codicillorum faſtis futurorum Conſulum paginulas habeat, quam factorum; quid illo miſerius? niſi reſpublica; in qua ne ſperatur quidem melius quicquam. De Natta ex tuis primùm ſciui litteris; oderam hominem. De poemate quòd quæris; quid ſi cupiat effugere? quid? ſinam? De Fabio Luſco quòd eram exoſus; homo peramans ſemper noſtri fuit, nec mi vnquam odio. ſatis enim acutus & permodeſtus, ac bonæ frugi. eum, quia non videbam, abeſſe putabam. audiui ex Gauio hoc Firmano, Romæ eſſe hominem, & fuiſſe aſſiduum. percuſſit animum. dices, tantulane cauſſa? permulta ad me detulerat non dubia de Firmanis fratribus. quid ſit, quòd ſe à me remouit, ſi modo remouit, ignoro. De eo, quod me mones, vt & πολιτικῶς me geram, & τὴν ἔσω γραμμὴν teneam; ita faciam. ſed opus eſt maiore prudentia; quàm à te, vt ſoleo, petam. Tu velim è Fabio, ſi quem habes aditum, odorere; & iſtum conuiuam tuum deguſtes; & ad me de his rebus, & de omnibus quotidie ſcribas. vbi nihil erit, quod ſcribas; id ipſum ſcribito. Cura vt valeas.

CICERO ATTICO. S. IX.

SANE *velim scire, num Censum impendant Tribuni diebus vitiandis, (est enim hic rumor) totáque de Censura, quid agant, quid cogitent. Nos hîc cum Pompeio fuimus. multa mecum de Republica; sanè sibi displicens, vt loquebatur: (sic est enim in hoc homine dicendum) Syriam spernens, Hispaniam iactans: hîc quoque, vt loquebatur; & opinor, vsquequaque de hoc cùm dicemus, sit hoc quasi,* καὶ τόδε Φωκυλίδου*; tibi etiam gratias agebat, quod signa componenda suscepisses: in nos verò suauissimè hercule effusus. venit etiam ad me in Cumanum à se. nihil minùs velle, mihi visus est, quàm Messallam Consulatum petere: de quo ipso si quid scis, velim scire. Quòd Lucceio scribis te nostram gloriam commendaturum, & ædificium nostrum quòd crebrò inuisis; gratum. Quinctus frater ad me scripsit, se, quoniam Ciceronem suauissimum secum haberet, ad te Nonis Mai. venturum. Ego me de Cumano moui ante diem* V. KAL. *Mai. eo die Neapoli apud Vætum ante diem* IIII. KAL. *Mai. iens in Pompeianum, bene mane hæc scripsi.*

CICERO ATTICO. S. X.

PVTEOLIS *magnus est rumor, Ptolemæum esse in regno. si quid habes certius, velim scire. Ego hîc pascor bibliotheca Fausti. fortasse tu putabas,*

his rebus Puteolanis & Lucrinensibus. ne ista quidem desunt. sed mehercule à ceteris oblectationibus deseror vt voluptatum, propter Rempublicam, sic litteris sustentor & recreor; maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum sella curuli; tecúmque apud te ambulare, quàm cum eo, quocum video esse ambulandum. Sed de illa ambulatione fors viderit, aut si qui est, qui curet deus. Nostram ambulationem, & Laconicum, eáque, quæ Cyrea sint, velim, cùm poteris, inuisas; & vrgeas Philotimum, vt properet; vt possim tibi aliquid in eo genere respondere. Pompeius in Cumanum Parilibus venit: misit ad me statim, qui salutem nuntiaret. ad eum postridie manè vadebam, cùm hæc scripsi.

vt

vt voluptatib.

CICERO ATTICO. S. XI.

DELECTARVNT *me epistolæ tuæ: quas accepi vno tempore duas ante diem* II. KAL. *perge reliqua. gestio scire ista omnia. etiam illud cuiusmodi sit, velim perspicias: potes à Demetrio: dixit Pompeius, Crassum à se in Albano exspectari ante Diem* IIII. KAL. *is cùm venisset, Romam esse statim venturos, vt rationes cū Publicanis putarent. quæsiui, gladiatoribúsne? respondit, ante quàm inducerentur. id cuiusmodi sit, aut nunc, si scias, aut cùm is Romā venerit, ad me mittas velim. Nos hic voramus litteras cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio, qui te omnésq; vos salutat.*

οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντ' εἰδέναι. quare, vt homini curioso, ita perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid Censores, quid Appius, quid illa populi Apuleia. denique, etiam quid a te fiat, ad me velim scribas. non enim (vt verè loquamur) tam rebus nouis, quam tuis litteris, delector. Ego mecum, præter Dionysium, duxi neminem: nec metuo tamen, ne mihi sermo desit abs te; opere delector. Tu Lucceio nostrum librum dabis. Demetrij Magnetis tibi mitto; statim vt sit, qui à te mihi epistolam referat.

CICERO ATTICO. S. XII.

EGNATIVS Romæ est. sed ego cum eo de re Halimeti vehementer Antij egi. grauiter se acturum cum Aquilio confirmauit. videbis ergo hominem, si voles. Macroni vix videor præsto fore. Idib. auctionem Larini video, & biduum præterea: id tu, quoniam Macronem tanti facis, ignoscas mi, velim. Sed, si me diligis, postridie KAL. cena apud me cum Pilia. prorsus id facies. KAL. cogito in hortis Crassipedis, quasi in diuersorio, cenare. facio frau(d)em S.C. inde domum cenatus, vt sim manè præsto Miloni. ibi te igitur videbo, & promonebo. Domus te nostra tota salutat.

CICERO ATTICO. S. XIII.

NOS in Tusculanum venisse A. D. XVII.

KAL. *Decemb. video te scire. ibi Dionysius nobis præsto fuit. Romæ* A.D. XIIII. KAL. *volumus esse: quid dico, volumus? immo vero cogimur. Milonis nuptiæ; comitiorum non nulla opinio est. ego, ut sit rata, afuisse me in altercationibus, quas in Senatu factas audio, fero non molestè. nam aut defendissem, quod non placeret; aut defuissem, cui non oporteret. sed mehercule velim, res istas, & præsentem statum Reip. & quo animo Consules ferant hunc* σκυλμὸν, *rescribas ad me, quantum potest. valde sum* ὀξύπεινος : & , *si quæris, omnia mihi sunt suspecta. Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quam olim æqualem eius L. Paullum, iterum Consulem. ô hominem nequam. De libris oratoriis factum est à me diligenter. diu multúmque in manibus fuerunt; describas licet. Illud etiam te rogo,* τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς: *ne istuc hospes veniam.*

CICERO ATTICO S. XIIII.

VESTORIVS *noster me per litteras fecit certiorem, te Roma* A. D. VI. ID. *Mai. putare profectum esse, tardiùs, quàm dixerat, quòd minùs valuisses. si iam meliùs vales, vehementer gaudeo. Velim, domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus, ac si ipse adesses, cùm ceteri, tum Varronis. est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo: quos, ut spero, tibi valde probabo. Tu velim, si quid fortè*

noui habes, maxime à Quincto fratre, deinde à C. Cæsare, & si quid forte de comitiis, de Rep. (soles enim tu hæc festinè odorari) scribas ad me. si nil habebis, tamen scribas aliquid. numquam enim mihi tua epistola aut intempestiua, aut loquax visa est. maximè autem rogo, rebus tuis, totóque itinere ex sententia confecto, nos quamprimum reuisas. Dionysium iube saluere. Cura, vt valeas.

CICERO ATTICO. S. XV.

DE *Eutychide gratum; qui vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius; vt est ex me, & ex te iunctus Dionysius, M. Pomponius. valde mehercule mihi gratum, si Eutychides tuam erga me beneuolentiã cognoscet, & suam illam in meo dolore* συμπάθειαν, *neque tum mihi obscuram, neque post ingratam fuisse. Iter Asiaticum tuum puto tibi suscipiendum fuisse. numquam enim tu sine iustissima caussa tam longe à tot tuis & hominibus, & rebus carissimis, & suauissimis abesse voluisses. sed humanitatem tuam, amoremque in tuos reditus celeritas declarabit. sed vereor, ne lepore te suo detineat diutiùs rhetor Clodius, & homo pereruditus, vt aiunt, & nunc quidem deditus Græcis litteris Pituanios. sed, si vis homo esse, recipe te ad nos ad quod tempus confirmasti: cum illis tamen, cùm salui venerint, Romæ viuere licebit. Hauere te scribis, accipere aliquid à me litterarum; dedi, ac multis quidem de rebus,* ἡμερολεγδὸν *perscripta omnia: sed, vt con-*

ticio, quoniam mihi non videris in Epiro diu fuisse, redditas tibi non arbitror. genus autem mearum, ad te quidem, litterarũ eiusmodi fere est, vt non libeat cuiquam dare, nisi de quo exploratum sit, tibi eum redditurum. Nunc Romanas res accipe, A.D. III. NON. Quinct. Sufenas & Cato absoluti: Procilius condemnatus. ex quo intellectum est, τρισαρειοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totam denique Remp. flocci non facere. debemus patrem familias domi suæ occidere nolle; neque tamen id ipsum abundè. nam absoluerunt XXII. condemnarunt XXVIII. Publius sanè diserto epilogo criminans, mentes iudicum mouerat. Hortalus in ea caussa fuit, cuius modi solet. nos verbum nullum. verita est enim pusilla, quæ nũc laborat, ne animi in Publio offenderer. His rebus actis, Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, vt agerem caussam contra Interamnatis apud Consulem, & decem legatos; quòd lacus Velinus, à M'. Curio emissus, interciso monte, in Nar defluit: ex quo est illa siccata, & humida tamen modicè Rosia. Vixi cum Axio. quin etiam me ad Septem aquas duxit. Redii Romam Fonteii caussa A.D. VII. Idus Quinct. veni in spectaculum; primùm, magno & æquabili plausu: (sed hoc ne curaris; ego ineptus, qui scripserim) deinde, Antiphonti operam. is erat ante manumissus, quàm productus. ne diutiùs pendeas, palmam tulit. sed nihil tam pusillũ, nihil tam sine voce, nihil tam. verùm hæc tu tecum habeto. in Andromacha tamen maior fuit, quàm Astya. nam in ceteris

parem habuit neminem. quæris nunc de Arbuſcula: valde placuit. Ludi magnifici & grati. Venatio in aliud tempus dilata. Sequere nunc me in campum. ardet ambitus : σῆμα δέ τοι ἐρέω. *fœnus ex triente* Idib. *Quinct. factum erat beſſibus. dices, iſtuc quidem non moleſtè fero. ô virum, ô ciuem. Memmium Cæſaris omnes opes confirmant. cum eo Domitium Conſulem iunxerunt; qua pactione, epiſtolæ committere non audeo. Pompeius fremit, queritur, Scauro ſtudet: ſed vtrum fronte, an mente, dubitatur.* ἐξοχὴ *in nullo eſt. pecunia omnium dignitatem exæquat. Meſſalla languet: non quo aut animus deſit, aut amici: ſed coitio Conſulum, & Pompeius obſunt. ea comitia, puto fore, vt ducantur. Tribunicij candidati iurarunt ſe arbitrio Catonis petituros. apud eum* HS *quingena* (quinquagena) *depoſuerunt; vt, qui à Catone damnatus eſſet, id perderet, & competitoribus tribueretur. hæc ego pridie ſcribebam, quàm comitia fore putabantur. ſed ad te* V. KAL. *Sext. ſi facta erunt, & tabellarius non erit profectus, tota comitia perſcribam: quæ ſi, vt putantur, gratuita fuerint; plus vnus Cato potuerit, quàm omnes quidem iudices. Meſſius defendebatur à nobis, è legatione reuocatus. nam eum Cæſari legarat Appius. Seruilius edixit, vt adeſſet. tribus habet Pomtinam, Velinam, Mæciam. pugnatur acriter: agitur tamen ſatis. deinde me expedio ad Druſum, inde ad Scaurum. parantur orationibus indices glorioſi. fortaſſe accedent etiam Conſules deſignati: in quibus ſi Scaurus non fuerit,*

in hoc indicio valde laborabit. Ex Quincti fratris litteris suspicor iam eum esse in Britannia. suspenso animo exspecto, quid agat. illud quidem sumus adepti, quod multis & magnis indiciis possumus iudicare, nos Cæsari & carissimos, & iucundissimos esse. Dionysium velim saluere iubeas, & eum roges & hortere, vt quamprimum veniat, vt possit Ciceronem meum, atque etiam me ipsum, erudire.

CICERO ATTICO. S. XVI.

OCCVPATIONVM *mearum vel hoc signum erit, quòd epistola librarij manu est. De epistolarum frequentia te nihil accuso. sed pleræque tantummodo mihi nuntiabant, vbi esses, quòd erant abs te: vel etiam significabant rectè esse: quo in genere maximè delectarunt duæ ferè eodem tempore abs te Buthroto datæ. scire enim vol bam, te commodè nauigasse. sed hæc epistolarum frequentia non tam vbertate sua, quam celeritate delectauit. illa fuit grauis & plena rerum, quam mihi M. Paccius, hospes tuus, reddidit. ad eam rescribam igitur, & hoc quidem primum: Paccio re & verbis ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet. itaque in intimis est meis, cùm antea notus non fuisset. nunc pergam ad cetera. Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem locum, si modò erit locus. sed nosti genus dialogorum meorum: vt in oratoriis, quos tu in cælum fers, non mentio potuit fieri cuiusquam ab iis, qui disputant, nisi eius, qui*

illis notus, aut auditus esset. hanc ego de Rep. quam institui, disputationem in Africani personam, & Phili, & Lælij, & Manilij contuli. adiunxi adolescentis. Q. Tubetronem, P. Rutilium, duo Lælij generos, Scæuolam, & Fannium. itaque cogitabam, quoniam in singulis libris vtor proœmiis, vt Α'ριστοτέλης in iis, quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere; vt non sine caussa istum appellarem: id quod intelligo tibi placere. vtinam modò conata efficere possim. rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum & grauem, & plurimi otij, quo ego maximè egeo. Quod in iis libris, quos laudas, personam desideras Scæuolæ: non eam temere dimoui: sed feci idem, quòd in πολιτείᾳ deus ille noster Plato. cùm in Piræeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem & festiuũ senem; quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde cùm ipse quoque commodissimè locutus esset, ad rem diuinam dicit se velle discedere; neque postea reuertitur. credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutiùs retinuisset. multo ego satius hoc mihi cauendum putaui in Scæuola; qui & ætate, & valetudine erat ea, qua esse meministi; & iis honoribus, vt vix satis decorum videretur, eum pluris dies esse in Crassi Tusculano. & erat primi libri sermo non alienus à Scæuolæ studiis. reliqui libri τεχνολογίαν habent, vt scis. huic ioculatorem senem illum, vt noras, interesse sanè nolui. De re filiæ, quod scribis, erit mihi curæ. etenim est luculenta res, Au-

reliani, vt scribis, indiciis: & in eo me etiam Tulliæ meæ venditabo. Vestorio non desum. gratum enim tibi id esse intelligo: & , vt ille intelligat, curo. sed scis, qui? cùm habeat duo faciles, nihil difficilius. Nunc ad ea, quæ quæris de C. Catone. Lege Iunia, & Licinia scis absolutum: Fusia ego tibi nuntio absolutum iri; neque patronis suis tam libentibus, quàm accusatoribus. is tamen & mecũ, & cum Milone in gratiam rediit. Drusus reus est factus à Lucretio. iudicibus reiiciendis A.D. NON. Quinct. De Procilio rumores non boni: sed iudicia nosti. Hirrus cum Domitio in gratia est. S.C. quod hic Consules de prouinciis fecerunt, QVICVNQVE POSTHAC nõ mi bili, vt qui iã intelligebamus enũtiationem illam Memmii valde Cæsari displicere. Messalla noster, & eius Domitius cõpetitor liberalis in populo valde fuit. nihil gratius. certi erãt Consules. Senatus decreuit, vt tacitũ iudicium ante comitia fieret ab iis consiliis, quæ erãt omnibus sortita in singulos candidatos. magnus timor candidatorũ. sed quidam iudices, in his Opimius VEIE. TRO. Antius, Tribunos pl. appellarunt, ne iniussu populi iudicarent. res cedit. comitia dilata ex S.C. dũ lex de tacito iudicio ferretur. venit legi dies: Terentius intercessit. Cõsules, qui illud leui brachio egissent, rem ad Senatũ detulerunt. hîc Abdera, nõ tacente me. dices, tamen tu nõ quiescis? ignosce, vix possũ. veruntamen quid tam ridiculũ? Senatus decreuerat, ne priùs comitia haberentur, quàm lex lata esset: si qui intercessisset, res integra referretur. cœpta ferri leuiter:

intercessum non inuitis: res ad Senatum: de ea re ita censuerunt; comitia primo quoque tempore haberi esse è re. Scaurus, qui erat paucis diebus illis absolutus, cùm ego patrem eius ornatissimè defendissem, obnuntiationibus per Scæuolam interpositis, singulis diebus vsque ad pridie KAL. *Octob. quo ego hæc die scripsi, sublatis, populo tributim domi suæ satisfecerat. sed tamen, etsi vberior liberalitas huius, gratior esse videbatur eorum, qui occuparant. Cuperem vultum videre tuum, cùm hæc legeres. nam profectò rem haues virulam, hæc negotia multarum nundinarum fore. sed Senatus hodie fuerat futurus, id est* KAL. *Octobribus. iam enim luciscit. ibi loquetur, præter Antium & Fauonium; liberè nemo. nam Cato ægrotat. de me nihil timueris: sed tamen promitto nihil. Quid quæris? aliud? iudicia, credo. Drusus, Scaurus non fecisse videntur. tres candidati fore rei putabantur, Domitius à Memmio, Messalla à Q. Pompeio Rufo, Scaurus à Triario, aut à L. Cæsare. quid poteris, inquies, pro iis dicere? ne viuam, si scio. in illis quidem tribus libris, quos tu dilaudas, nihil reperio. Nunc vt opinionem habeas rerum, ferendum est. quæris, ego me vt gesserim? constanter & liberè. quid ille, inquies, vt ferebat? humaniter, meæq; dignitatis, quoad mihi satisfactum esset, habendam sibi rationem putabat. quo modo ergo absolutus? omnino γοργία, γομνὰ: accusatorum incredibilis infantia, id est L. Lentuli, L. F. quem fremunt omnes præuaricatum; deinde Pompeij mira contentio;*

Nunc de Gabinio habe. absolutus est. verum ferendum est.

contentio; iudicum sordes. attamen XXXII condemnarunt, XXVIII absoluerunt. iudicia reliqua impendent: non dum est planè expeditus. dices, tu ergo hæc quo modo fers? bellè me hercule, & in eo me valde amo. amisimus, mi Pōponi, omnem non modò succum, ac sanguinem, sed etiam colorem, & speciem pristinam ciuitatis: nulla est Respublica, quæ delectet, in qua acquiescam. id ne igitur, inquies, facilè fers? id ipsum. recordor enim, quam bella paulisper, nobis gubernantibus, ciuitas fuerit: quæ mihi gratia relata sit. nullus dolor me angit. vnum omnia posse, dirumpuntur ij, qui me aliquid posse doluerunt: multa mihi dant solàtia: nec tamen ego de meo statu demigro: quæq; vita maximè est ad naturã, ad eam me refero, & litteras, & studia nostra: dicendi laborem delectatione oratoria consolor. domus me & rura nostra delectant. non recordor, vnde ceciderim, sed vnde surrexerim. fratrem mecum, & te si habebo, per me ista pedibus trahantur. vobis ἐμφιλοσοφῆσαι possum. locus ille animi nostri, stomachus vbi habitabat olim, concalluit. priuata modò, & domestica nos delectant. miram securitatem videbis: cuius plurimæ mehercule partes sunt in tuo reditu. nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus. Sed accipe alia. Res fluit ad interregnum; & est non nullus odor Dictaturæ: sermo quidem multus; qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuuit. Candidati Consulares omnes rei ambitus. accedit etiam Gabinius: quem P. Sulla, non dubitans quin foris

ac tabula
+ Victor.

esset, postularat, contra dicente & nihil obtinente Torquato. sed omnes absoluentur; nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit. hoc tamen agitur seuerius. itaque iudicia calent. M. Fuluius Nobilior condemnatus est. multi alij vrbani ne respondent quidem. Quid aliud noui? & tamen, absoluto Gabinio, stomachantes alij iudices, hora post, Antiochum Gabinium, nescio quem è Sopolidis pictoribus, libertum, et accensum Gabinij, lege Papia condemnarunt. itaque dixit statim reus P. lege Maiestatis. οὔ σ' οἶδ' Ἄρης ἅμα Παφίῃ? Pomtinus vult A. D. IIII. NON. Nou. triumphare. huic obuiam Cato, & Seruilius Prætores aperte, & Q. Mucius Tribunus. negāt enim latum de imperio: & est latum hercule insulsè. sed erit cum Pomtino Appius Consul. Cato tamen affirmat, se viuo illum non triumphare. id ego puto, vt multa eiusdem, ad nihil recasurum. Appius sine lege, suo sumptu, in Ciliciam cogitat. Paccianæ epistolæ respondi: cognosce cetera. Ex fratris litteris incredibilia quædam de Cæsaris in me amore cognoui: eáque sunt ipsius Cæsaris vberrimis litteris confirmata. Britannici belli exitus exspectatur. constat enim aditus insulæ esse munitos mirificis molibus. etiam illud iam cognitum est, neque argenti scripulum esse vllum in illa insula, neque vllam spem prædæ, nisi ex mancipiis: ex quibus nullos puto te litteris, aut musicis, eruditos exspectare. Paullus in medio foro basilicam iam pæne texuit iisdem antiquis columnis: illam autem, quam loca-

uit, facit magnificentissimam. quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. itaque Cæsaris amici (me dico & Oppium: dirumparis licet) in monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, vt forum laxaremus, & vsque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties HS. cum priuatis non poterat transigi minore pecunia. efficiemus rem gloriosissimam. nam in campo Martio septa Tributis comitiis marmorea sumus, & tecta facturi; eáque cingemus excelsa porticu, vt mille passuum conficiatur. simul adiungetur huic operi Villa etiam publica. Dices, quid mihi hoc monumentum proderit? quid? celabo te res Romanas? non enim te puto de lustro, quod iam desperatum est, aut de iudiciis, quæ lege Coctia fiant, quærere. Nunc te obiurgari patere, si iure. scribis enim in epistola, quam C. Decimius mihi reddidit, Buthroto datam, in Asiam tibi eundum esse te arbitrari. mihi mehercule nihil videbatur esse, in quo tantulum interesset, vtrum per procuratores ageres, an per te ipsum; vt abis totiens, & tam longe abes. sed hæc mallem, integra re, tecum egisse. profecto enim aliquid egissem. nunc reprimam susceptam obiurgationem. vtinam valeat ad celeritatem reditus tui. Ego ad te propterea minùs sæpe scribo, quòd certum non habeo, vbi sis, aut vbi futurus sis. huic tamen nescio cui, quòd videbatur is te visurus esse, putaui dandas esse litteras. tu, quoniam iturum te in Asiam esse putas, ad quæ tempora te exspectemus, facias me certio-

rem velim, & de Eutychide quid egeris.

CICERO ATTICO S. XVII.

O EXSPECTATAS *mihi tuas litteras! ô gratum aduentum! ô constantiam promissi, & fidem miram! ô nauigationem amandam! quam mehercule ego valde timebam, recordans superioris tuæ transmissionis* δέρρεις. *sed, nisi fallor, citiùs te, quàm scribis, videbo. credo enim te putasse, tuas mulieres in Apulia esse: quod cùm secus erit, quid te Apulia moretur? nam Vestorio dandi sunt dies, & ille Latinus* ἀττικισμὸς *ex interuallo regustandus. Quin tu huc aduolas, & inuisis illius nostræ Reip. germina? ne puta, vide, nummis ante comitia tributim vno loco diuisis, palam inde absolutum Gabinium. detur esse valiturum. De Messalla quòd quæris; quid scribam nescio: numquam ego vidi tam pares candidatos. Messallæ copias nosti. Scaurum Triarius reum fecit. si quæris, nulla est magnopere commota* συμπάθεια. *sed tamen habet Aedilitas eius memoriam non ingratam; & est pōdus apud rusticos in patris memoria. reliqui duo plebeii sic exæquantur, vt Domitius valeat amicis, adiuuetur tamen non gratissimo munere; Memmius Cæsaris commendetur militibus, Pompeii Gallia nitatur. quibus si non valuerit, putant fore aliquem, qui comitia in aduentum Cæsaris detrudat, Catone præsertim absoluto. Ab Quincto fratre, & à Cæsare accepi* A. D. IX. KAL. *Nouemb. litteras, confecta*

Britannia, obsidibus acceptis, nulla præda, imperata tamen pecunia, datas à littoribus Britanniæ. proximo A.D.VI.KAL. *Octob. exercitum Britannia reportabant. Q. Pilius erat iam ad Cæsarem profectus. Tu, si aut amor in te est nostri, ac tuorum, aut vlla veritas, aut si etiam sapis, ac frui tuis commodis cogitas, aduentare & prope adesse iam debes. non mehercule æquo animo te careo. te autem quid mirum, qui Dionysium tantopere desiderem? quem quidem abs te, cùm dies venerit, & ego, & Cicero meus flagitabit. Abs te proximas litteras habebam, Epheso* A.D.V. ID. *Sext. datas.*

CICERO ATTICO S. XVIII.

PVTO *te existimare, me, nunc oblitum consuetudinis & instituti mei, rariùs ad te scribere, quàm solebam: sed, cùm loca & itinera tua nihil habere certi video, neque in Epirum, neque Athenas, neque in Asiam, neque cuiquam, nisi ad te ipsum proficiscenti, dedi litteras. neque enim sunt eæ epistolæ nostræ, quæ si perlatæ non sint, nihil ea res nos offensura sit: quæ tantum habent mysteriorum, vt eas ne librariis quidem ferè committamus. Lepidum quo excedar; Consules flagrant infamia, quòd C. Memmius candidatus pactionem in Senatu recitauit, quam ipse & suus competitor Domitius cum Consulibus fecissent, vti ambo* HS *quadragena Consulibus darent, si essent ipsi Consules facti, nisi tris Augures dedissent, qui se adfuisse dicerent; cùm lex*

Curiata ferretur, quæ lata non esset; & duo Consulares, qui se dicerent in ornãdis prouinciis Consularibus scribendo adfuisse, cùm omnino ne Senatus quidem fuisset. hæc pactio non verbis, sed nominibus & perscriptionibus, multorũ tabulis cùm esse facta diceretur, prolata à Memmio est, nominibus inductis, auctore Pompeio. hîc Appius erat idem. nihil sanè iacturæ. corruerat alter, & planè, inquam, iacebat. Memmius autem, dirempta coitione inuito Caluino, planè refrixerat; & eo magis nunc cogitabamus. ἀκηδία. tum fluere iustitio, & omnium rerum licentia. Perspice æquitatem animi mei & ludum, & cõtemptionem Selicianæ prouinciæ, & mehercule cũ Cæsare suauissimam coniunctionem (hæc enim me vna ex hoc naufragio tabula delectat) qui quidem Quinctum meum, tuúmque, dij boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia? non secus, ac si ego essem imperator. hibernam legionem eligendi optio delata commodùm, vt ad me scribit. hunc tu non ames? quem igitur istorũ? Sed heus tu, scripserámne tibi, me esse legatum Pompeio? & extra vrbem quidem fore ex Idib. Ianu.? visum est hoc mihi ad multa quadrare. sed quid plura? corã, opinor, reliqua; vt tu tamen aliquid exspectes. Dionysio plurimam salutem: cui quidem ego non modò seruaui, sed etiam ædificaui locum. quid quæris? ad summam lætitiam meam, quam ex tuo reditu capio, magnus illius aduentu cumulus accedit. quo die ad me venies, tu, si me amas, apud me cum tuis maneas.

Vt Vict.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM LIBER V.

CICERO ATTICO S. I.

ERGO VERO & tuum in diſceſſu vidi animum, & meo ſum ipſe teſtis: quo magis erit tibi videndũ, ne quid noui decernatur; vt hoc noſtrum deſiderium ne plus ſit annuũ. De Annio Saturnino curaſtì probè. De ſatisdando verò te rogo, quoad eris Romæ, tu vt ſatiſdes. & ſunt aliquot ſatiſdationes ſecundum mancipium, in his & Memmianorum prædiorum, vel Atilianorũ. De Oppio factum eſt vt volui, & maximè quòd DCCC aperuiſti: quæ quidẽ ego vtiq; vel verſura facta ſolui volo; ne extrema exactio noſtrorũ nominũ expectetur. Nunc venio ad tranſuerſum illum extremæ epiſtolæ tuæ verſiculum, in quo me admones de ſorore. quæ res ſe ſic habet. Vt veni in Arpinas, cùm ad me frater veniſſet, in primis nobis ſermo, iſque multus, de te fuit: ex quo veni ad ea, quæ fueramus ego, & tu inter nos de ſorore in Tuſculano locuti. nihil tã vidi mite, nihil tam placatũ, quàm tũ meus frater erat in ſororẽ tuã; vt etiã, ſi qua fuerat ex ratione ſũpta offenſio, non appareret. illo ſic die. poſtridie ex Arpinati profecti ſumus. vt in Arcano Quinctus maneret, dies fecit: ego Aquini, ſed prãdimus in Arcano. noſti

hunc fundũ. quò, vt venimus, humanissimè Quinctus, Pomponia, inquit, tu inuita mulieres, ego arciuero pueros. nihil potuit, mihi quidem vt visum est, dulciùs, idque cùm verbis, tum etiam animo, ac vultu. at illa, audientibus nobis, ego sum, inquit, hîc hospita. id autem ex eo, vt opinor, quòd antecesserat Statius, vt prandium nobis videret. tum Quinctus, en, inquit mihi, hæc ego patior quotidie. dices, quid, quæso, istuc erat? magnum; itaque me ipsum commouerat: sic absurdè & asperè verbis vultúque responderat. dissimulaui dolens. discubuimus omnes præter illam: cui tamẽ Quinctus de mensa misit: illa reiecit. quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi visum est: & multa prætereo, quæ tum mihi maiori stomacho, quam ipsi Quincto, fuerunt. ego inde Aquinum; Quinctus in Arcano remansit, & Aquinum ad me postridie mane venit: mihíque narrauit, nec secum illam dormire voluisse; &, cùm discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego vidissem. quid quæris? vel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei, meo iudicio, illo die defuisse. Hæc ad te scripsi fortasse pluribus, quàm necesse fuit, vt videres tuas quoque esse partis instituendi & monendi. Reliquum est, vt ante, quàm proficiscare, mandata nostra exhaurias; scribas ad me omnia; Pontinium extrudas; cùm profectus eris, cures, vt sciam. sic habeas, nihil me hercule te mihi nec carius esse, nec suauius. A. Torquatum amantissimè dimisi Minturnis, optimum virum: cui me ad te scripsisse aliquid,

in sermone significes velim.

CICERO ATTICO S. II.

A. D. VI. ID. *Mai. cùm has dabam litteras, ex Pompeiano proficiscebar, vt eo die manerem in Trebulano apud Pontium. deinde cogitabam sine vlla mora iusta itinera facere. In Cumano cùm essem, venit ad me, quod mihi pergratum fuit, noster Hortensius: cui, deposcenti mea mandata, cetera vniuersè mandaui; illud propriè, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis prouincias. in quo eum tu velim confirmes, gratúmque mihi fecisse dicas, quòd & venerit ad me, & hoc mihi, prætereáque si quid opus esset, promiserit. confirmaui ad eam caussam etiam Furnium nostrum; quem ad annum Tribunum pleb. videbam fore. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam: tanta erat in his locis multitudo; cùm interim Rufio noster, quòd se à Vestorio obseruari videbat, stratagemate hominem percussit. nam ad me non accessit. itáne? cùm Hortensius veniret, & infirmus, & tam longè, & Hortensius, cùm maxima præterea multitudo, ille non venit? non, inquam. non vidisti igitur hominem, inquies? qui potui non videre, cùm per emporium Puteolanorum iter facerem? in quo illum, agentem aliquid, credo, salutaui; postea iam iussi valere, cùm me exiens è sua villa, numquid vellem, rogasset. hunc hominem parum gratum quisquam putet? aut non in eo ipso laudandum, quòd*

post etiam ep. cap. 12 11. lib. 12

audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Noli putare mihi aliam cōsolationem esse huius ingentis molestiæ, nisi quòd spero non longiorem annua fore. hoc me ita velle multi non credunt, ex consuetudine aliorum. tu, qui scis, omnem diligentiam adhibebis, tum scilicet, cùm id agi debebit. Cùm ex Epiro redieris, de Rep. scribas ad me velim, si quid erit, quod operiare. non dum enim satis huc erat allatū, quomodo Cæsar ferret de auctoritate perscripta: erátque rumor de Transpadanis, eos iussos IIII *viros creare. quod si ita est, magnos motus timeo: sed aliquid ex Pompeio sciam.*

CICERO ATTICO. S. III.

A. D. VI. *Idus Mai. veni in Trebulanum ad Pontium. ibi mihi tuæ litteræ binæ redditæ sunt tertio abs te die: eodem autem, ex Pansæ Pompeiano Philotimo dederam ad te litteras. nec verò nunc erat sanè, quod scriberem. Qui de Rep. rumores, scribe quæso. in oppidis enim summum video timorem; sed multa inania. quid de iis cogites, & quando, scire velim. Ad quas litteras tibi rescribi velis, nescio. nullas enim adhuc acceperam, præter quæ mihi binæ semel in Trebulano redditæ sunt: quarum alteræ edictum P. Licinij habebant, (erant autem* NON. *Mai. datæ) alteræ rescriptæ ad meas Minturnensis. quam vereor, ne quid fuerit* σπουδαιότερον *in iis, quas non accepi, quibus rescribi vis. Apud Lentulum ponam te in gratiam. Dionysius nobis*

cordi est. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. Iam deest, quod scribam; & lucet. Beneuentum cogitabam hodie. nostra continentia, & indulgentia esse satis faciemus satis. A Pontio, ex Trebulano A. D. V. ID. *Mai.*

CICERO ATTICO S. IIII.

BENEVENTVM *veni* A. D. V. ID. *Mai. ibi accepi eas litteras, quas tu superioribus litteris significaueras te dedisse: ad quas ego ipse eo die dederam ex Trebulano L. Pontio. ac binas quidem tuas Beneuenti accepi. quarum alteras Funisulanus multo mane mihi dedit, alteras scriba Tullius. Gratissima est mihi tua cura de illo meo primo, & maximo mandatu. sed tua profectio spem meam debilitat. ac me ille: illuc quidem labar, non quò; sed inopia cogimur eo contenti esse. De illo altero, quem scribis tibi visum esse non alienum, vereor adduci vt nostro possit; & , vt dis, δυςδιάγνωστον. esset quidem summè facilis: sed tu aberis, & me absente res. habebis mei rationem. nam posset aliquid, si vteruis nostrum adesset, agente Seruilio, Seruio fieri, probabile. nunc, si iam res placeat, agendi tamen viam non video. Nunc venio ad illam epistolam, quam accepi à Tullio. De Marcello, fecisti diligenter. igitur* S. C. *si erit factum, scribes ad me: sin minùs, rem tamen conficies. mihi enim attribui oportebit, item Bibulo. sed non dubito, quin* S. C. *expeditum sit, in quo præsertim sit*

compendium populi. De Torquato, probè. De Masone, & Ligure, cùm venerint. De illo, quod Chærippus: (quoniam hîc quoque προσνευσιν sustulisti) ô prouincia! etiámne hic mihi curandus est? curandus autem? hactenus, ne quid ad Senatum, consule, aut numera. nam de ceteris. Sed tamen commodè, quod cùm Srofa. De Pomtino, rectè scribis. est enim ita, vt si ante KAL. Iun. Brundisii futurus sit, minùs vrguendi fuerint M. Annius, & Tullius. Quæ de Sicinio audisti, ea mihi probantur; modò ne illa exceptio in aliquem incurrat bene de nobis meritum. sed considerabimus. rem enim probo. De nostro itinere, quod statuero; De quinque præfectis, quid Pompeius facturus sit, cùm ex ipso cognoro, faciam, vt scias. De Oppio bene curasti, quòd ei DCCC. exposuisti: idque, quoniam Philotimum habes, perfice, & cognosce rationem: &, vt agam ampliùs, si me amas, priùs quàm proficiscaris, effice. magna me cura leuaris. Habes ad omnia. etsi pænè præterij chartam tibi deesse: mera captio est; siquidem eius inopia minùs multa ad me scribis. tu verò aufer ducentos. etsi meam in eo parsimoniam huius paginæ contractio significat, dum acta & rumores vellet. iam, si qua certa habes de Cæsare, exspecto litteras: & alias Pomtino de omnibus rebus diligentes dabis.

CICERO ATTICO S. V.

PLANE deest quod scribam. nam nec, quid

mandē, habeo: nihil enim pretermissum est: nec quid narrem: noui enim nihil: nec iocandi locus est; ita me multa sollicitant. tantum tamen scito, Idibus Mai. nos Venusia mane proficiscentis has dedisse. eo autem die credo aliquid actum in Senatu. sequantur igitur nos tuæ litteræ, quibus nō modò res omnis, sed etiam rumores cognoscamus. eas accipiemus Brundisii. ibi enim Pontinum ad eam diem, quam tu scripsisti, expectare consilium est. Nos Tarenti, quos cum Pompeio διαλόγους de Rep. habuerimus, ad te perscribemus. etsi id ipsum scire cupio, quod ad tempus rectè ad te scribere possim, id est, quàm diu Romæ futurus sis; vt, aut quò dem posthac litteras sciam, aut ne dem frustra. Sed ante quàm proficiscare, vtique explicatum sit illud HS XX, & DCCC. hoc velim in maximis rebus & maximè necessariis habeas; vt, quod auctore te velle cœpi, adiutore assequar.

CICERO ATTICO S. VI.

TARENTVM veni A. D. XV. KAL. Iun. Quòd Pontinum statueram exspectare, commodissimum duxi, dies eos, quoad ille veniret, cum Pompeio consumere: eóque magis, quòd ei gratum esse id videbam; qui etiam à me petierit, vt secum, & apud se essem quotidie: quod concessi libenter. multos enim eius præclaros de Rep. sermones accipiam: instruar etiam consiliis idoneis ad hoc nostrum negotium. Sed ad te breuior iam in scribendo incipio

fieri, dubitans Romæ'ne sis, an iam profectus. quod tamen quoad ignorabo, scribã aliquid potiùs, quam committam, vt, tibi cùm possint reddi à me litteræ, non reddantur. nec tamen iam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. mandaui omnia, quæ quidem tu, vt polliceris, exhauries: narrabo, cùm aliquid habebo noui. illud tamen non desinam, dum adesse te putabo, de Cæsaris nomine rogare, vt confectum relinquas. auide exspecto tuas litteras, & maximè, vt norim tempus profectionis tuæ.

CICERO ATTICO S. VII.

QVOTIDIE, *vel potiùs in dies singulos breuioris litteras ad te mitto. quotidie enim magis suspicor te in Epirum iam profectum. sed tamen, vt mandatum scias me curasse; quot ante, ait se Pompeius quinos præfectos delaturum, nouos; vacationes, iudiciariam caussam. Ego cùm triduum cum Pompeio, & apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brundisium* A. D. XIII. KAL. *Iunias. ciuem illum egregium relinquebam, & ad hæc, quæ timentur propulsanda paratissimum. Tuas litteras exspectabo, cùm vt, quid agas, tum, vbi sis, sciam.*

CICERO ATTICO S. VIII.

ME ET *incommoda valetudo, qua iam emerseram, vt pote cùm sine febri laborassem, & Pomtini exspectatio, de quo adhuc ne rumor quidem vene-*

rat, tenebat duodecimum iam diem Brundisii. sed cursum exspectabamus. tu si modò es Romæ, (vix enim puto) sin es, hoc vehementer animaduertas velim. Romæ acceperam litteras, Milonem meum queri per litteras iniuriã meam, quòd Philotimus socius esset in bonis suis. id ego ita fieri volui de C. Duronij sententia; quem & amicissimum Miloni perspexeram, & talem virum, qualem tu iudicas, cognoram. eius autem consilium, meúmque hoc fuerat; primùm, vt in potestate nostra esset res, ne illum malus emptor alienus mancipiis, quæ permulta secum habet, spoliaret: deinde, vt Faustæ, cui cautum ille esse voluisset, ratum esset. erat etiam illud, vt ipsi nos, si quid seruari posset, quam facillimè seruaremus. nunc rem totam perspicias velim. nobis enim scribuntur sæpe maiora. sed si ille queritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta vult, Philotimus, vt ego ei coram dixeram, mihique ille receperat, ne sit inuito Milone in bonis. nihil nobis fuerit tanti. sin hæc leniora sunt, tu iudicabis. loquere cum Duronio. scripsi etiam ad Camillum, ad Lamiam: eóque magis, quòd non confidebam Romæ te esse. summa erit hæc; statues, vt ex fide, fama, réque mea videbitur.

CICERO ATTICO. S. IX.

ACTIVM venimus A. D. XVII. KAL. Quinct. cùm quidem & Corcyræ, & Sybotis muneribus tuis, quæ & Areus, & meus amicus Eutychides opiparè,

& φιλοπεριστηνέστατα nobis congesserant, epulati essemus saliarem in modum. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissimè nauigassemus; & Leucatam flectere molestum videbatur. actuariis autem minutis Patras accedere sine his impedimentis, non satis visum est decorum. Ego, vt sæpe tu me currentem hortatus es, quotidie meditor, præcipio meis, faciam denique, vt summa modestia, & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus, velim, quiescat, & fortuna nos iuuet: nostra præstabimus. Tu, quæso, quid agas, vbi quoque tempore futurus sis, qualis res nostras Romæ reliqueris, maximè de XX. & de DCCC. cura vt sciamus. id vnis diligenter litteris datis, quæ ad me vtique perferantur, consequêre. Illud tamen (quoniam nunc abes, cùm id non agitur: aderis autem ad tempus, vt mihi rescripsisti) memento curare per te, & per omnis nostros, in primis per Hortensium, vt annus noster maneat suo statu, ne quid noui decernatur. hoc tibi ita mando, vt dubitem, an etiam te rogem, vt pugnes, ne intercaletur. sed non audeo tibi omnia onera imponere. annum quidem vtique teneto. Cicero meus, modestissimus & suauissimus puer, tibi salutem dicit. Dionysium semper equidem, vt scis, dilexi: sed quotidie pluris facio, & me hercule in primis, quòd te amat, nec tui mentionem intermitti sinit.

CICERO

CICERO ATTICO S. X.

Vt *Athenas* A. D. VII. KAL. *Quinct. veneram, exspectabam ibi iam quartum diem Pomtinum: neque de eius aduentu certi quicquam habebam: erat autem totus, crede mihi, tecum: & quanquam sine his per me ipse, tamen acriùs, vestigiis tuis monitus, de te cogitabam. quid quæris? non mehercule alius vllus sermo, nisi de te. sed tu aliquid de me ipso scire fortasse mauis; hæc sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publicè, aut priuatim, nec in quemquam comitum. nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hospite. persuasum est omnibus meis, seruiendum esse famæ meæ. bellè adhuc. hoc animaduersum, Græcorum laude, & multo sermone celebratur. quod superest, elaboratur in hoc à me, sicut tibi sensi placere. sed hæc tum laudemus, cùm erunt perorata. Reliqua sunt eiusmodi, vt meum consilium sæpe reprehendam, quòd non aliqua ratione ex hoc negotio emerserim. ô rem minime aptam meis moribus. ô illum verum,* ἔρδοι τὶς. *dices, quid adhuc? nondum in negotio versaris. nescio; & puto molestiora restare: etsi hæc ipsa fero equidem fronte, vt puto, & volo bellissimè; sed angor intimis sensibus: ita multa vel iracundè, vel insolenter, vel in omni genere stultitiæ insulsè, arroganter & dicuntur & tacentur quotidie. quæ, non quò te cælem, non perscribo, sed quia* δυσέξιτα *sunt. itaque admirabere meam* βαθύτητα, *cùm salui redierimus: tanta*

Xenonem tam diligo, quàm tu: quod ipsum sentire certò scio. Apud Patronem, & reliquos varones te in maxima gratia posui: & hercule merito tuo feci. nam mihi is ter, dixit, te scripsisse ad se, mihi ex illius litteris rem illam curæ fuisse, quod ei pergratum erat. sed cum Patro mecum egisset, vt peterem à vestro Ariopago, ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Polycharmo Prætore fecerant, commodius visum est & Xenoni, & post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, qui pridie, quàm ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat, vt is ad suos scriberet, posse id sua voluntate fieri. non enim dubitabat Xeno, quin ab Ariopagitis inuito Memmio impetrari non posset. Memmius autem ædificandi consilium abiecerat: sed erat Patroni iratus. itaque scripsi ad eum accuratè: cuius epistolæ misi ad te exemplum. Tu, velim, Piliam meis verbis consolere: indicabo enim tibi: tu illi nihil dixeris. accepi fasciculum, in quo erat epistola Piliæ: abstuli, aperui, legi: valde scripta est συμπαθῶς. Brundisio quæ tibi epistolæ redditæ sunt sine mea, tum videlicet datæ, cùm ego me non bellè haberem. nam illam νομανανδρίαν excusationem ne acceperis. Cura, vt omnia sciam, sed maximè, vt valeas.

CICERO ATTICO. S. XII.

NEGOTIVM *magnum est nauigare, atque mense Quinct. sexto die Delum Athenis venimus. pridie Nonas. Quinct. à Piræo ad Zostera,*

vento molesto, qui nos ibidem Nonis tenuit. A. D. VIII. *Idus ad Ceo iucundè. inde Gyarum sæuo vento, non aduerso: hinc Scyrum, inde Delum, vtroque citiùs, quàm vellemus, cursum confecimus. iam nosti* ἄφρακτα *Rhodiorum. nihil, quod minùs fluctum ferre possit. itaque erat in animo nihil festinare, Delo nec me mouere, nisi omina* ἀκρωτηρίων ὄνειρα *vidissem. De Messalla ad te statim, vt audiui, de Gyaro dedi litteras: & id ipsum consilium nostrum etiam ad Hortensium: cui quidem valde* συνηγωνίων. *sed tuas de eius iudiciis, sermonibus, & mehercule omni de Reip. statu litteras exspecto,* πολιτικώτερον *quidem scriptas, (quoniam meos cum Thallumeto nostro peruolutas libros) eiusmodi inquam litteras, ex quibus ego, non quid fiat, (nam id vel Helenius, vir grauissimus, potest efficere, cliens tuus) sed quid futurum sit, etiam cùm hæc leges habebimus Consules. omnia perspicere poteris, de Cæsare, de Pompeio, de ipsis iudiciis. Nostra autem negotia, quoniam Romæ commoraris, amabo te, explica. Cui rei fugerat me rescribere, de strue laterum planè rogo. De aqua, si quid poterit fieri, eo sis animo, quo soles esse: quam ego cùm mea sponte, tùm tuis sermonibus æstimo plurimi. ergo quid conficies. Præterea, si quid Philippus rogauit, quod infra re faceres, id velim facias. Plura scribam ad te, cum constitero: nunc eram planè in medio mari.*

Curiata ferretur, quæ lata non esset; & duo Consulares, qui se dicerent in ornãdis prouinciis Consularibus scribendo adfuisse, cùm omnino ne Senatus quidem fuisset. hæc pactio non verbis, sed nominibus & perscriptionibus, multorũ tabulis cùm esse facta diceretur, prolata à Memmio est, nominibus inductis, auctore Pompeio. hîc Appius erat idem. nihil sanè iacturæ. corruerat alter, & planè, inquam, iacebat. Memmius autem, dirempta coitione inuito Caluino, planè refrixerat; & eo magis nunc cogi ἀκηδίᾳ, tum fluere iustitio, & omnium rerum licentia. Perspice æquitatem animi mei & ludum, & cõtemptionem Selicianæ prouinciæ, & mehercule cũ Cæsare suauissimam coniunctionem (hæc enim me vna ex hoc naufragio tabula delectat) qui quidem Quinctum meum, tuúmque, dij boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia? non secus, ac si ego essem imperator. hibernam legionem eligendi optio delata commodùm, vt ad me scribit. hunc tu non ames? quem igitur istorũ? Sed heus tu, scripserámne tibi, me esse legatum Pompeio? & extra vrbem quidem fore ex Idib. Ianu.? visum est hoc mihi ad multa quadrare. sed quid plura? corã, opinor, reliqua; vt tu tamen aliquid exspectes. Dionysio plurimam salutem: cui quidem ego non modò seruaui, sed etiam ædificaui locum. quid quæris? ad summam lætitiam meam, quam ex tuo reditu capio, magnus illius aduentu cumulus accedit. quo die ad me venies, tu, si me amas, apud me cum tuis maneas.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM LIBER V.

CICERO ATTICO S. I.

EGo vero & tuum in discessu vidi animum, & meo sum ipse testis: quo magis erit tibi videndũ, ne quid noui decernatur; vt hoc nostrum desiderium ne plus sit annuũ. De Annio Saturnino curasti probè. De satisdando verò te rogo, quoad eris Romæ, tu vt satisdes. & sunt aliquot satisdationes secundum mancipium, in his & Memmianorum prædiorum, vel Atilianorũ. De Oppio factum est vt volui, & maximè quòd DCCC aperuisti: quæ quidẽ ego vtiq; vel versura facta solui volo; ne extrema exactio nostrorũ nominũ expectetur. Nunc venio ad transuersum illum extremæ epistolæ tuæ versiculum, in quo me admones de sorore. quæ res se sic habet. Vt veni in Arpinas, cùm ad me frater venisset, in primis nobis sermo, isque multus, de te fuit: ex quo veni ad ea, quæ fueramus ego, & tu inter nos de sorore in Tusculano locuti. nihil tã vidi mite, nihil tam placatũ, quàm tũ meus frater erat in sororẽ tuã; vt etiã, si qua fuerat ex ratione sũpta offensio, non appareret. ille sic die. postridie ex Arpinati profecti sumus. vt in Arcano Quinctus maneret, dies fecit: ego Aquini, sed prãdimus in Arcano. nosti

hunc fundũ. quò, vt venimus, humanissimè Quinctus, Pomponia, inquit, tu inuita mulieres, ego arciuero pueros. nihil potuit, mihi quidem vt visum est, dulciùs, idque cùm verbis, tum etiam animo, ac vultu. at illa, audientibus nobis, ego sum, inquit, hîc hospita. id autem ex eo, vt opinor, quòd antecesserat Statius, vt prandium nobis videret. tum Quinctus, en, inquit mihi, hæc ego patior quotidie. dices, quid, quæso, istuc erat? magnum; itaque me ipsum commouerat: sic absurdè & asperè verbis vultúque responderat. dissimulaui dolens. discubuimus omnes præter illam: cui tamẽ Quinctus de mensa misit: illa reiecit. quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi visum est: & multa prætereo, quæ tum mihi maiori stomacho, quam ipsi Quincto, fuerunt. ego inde Aquinum; Quinctus in Arcano remansit, & Aquinum ad me postridie mane venit: mihique narrauit, nec secum illam dormire voluisse; &, cùm discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego vidissem. quid quæris? vel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei, meo iudicio, illo die defuisse. Hæc ad te scripsi fortasse pluribus, quàm necesse fuit, vt videres tuas quoque esse partis instituendi & monendi. Reliquum est, vt ante, quàm proficiscare, mandata nostra exhaurias; scribas ad me omnia; Pontinium extrudas; cùm profectus eris, cures, vt sciam. sic habeas, nihil me hercule te mihi nec carius esse, nec suauius. A. Torquatum amantissimè dimisi Minturnis, optimum virum: cui me ad te scripsisse aliquid,

in sermone significes velim.

CICERO ATTICO S. II.

A. D. VI. ID. *Mai. cùm has dabam litteras, ex Pompeiano proficiscebar, vt eo die manerem in Trebulano apud Pontium. deinde cogitabam sine vlla mora iusta itinera facere. In Cumano cùm essem, venit ad me, quod mihi pergratum fuit, noster Hortensius: cui, deposcenti mea mandata, cetera vniuersè mandaui; illud propriè, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis prouincias. in quo eum tu velim confirmes, gratúmque mihi fecisse dicas, quòd & venerit ad me, & hoc mihi, prætereáque si quid opus esset, promiserit. confirmaui ad eam caussam etiam Furnium nostrum; quem ad annum Tribunum pleb. videbam fore. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam: tanta erat in his locis multitudo; cùm interim Rufio noster, quòd se à Vestorio obseruari videbat, stratagemate hominem percussit. nam ad me non accessit. itáne? cùm Hortensius veniret, & infirmus, & tam longè, & Hortensius, cùm maxima præterea multitudo, ille non venit? non, inquam. non vidisti igitur hominem, inquies? qui potui non videre, cùm per emporium Puteolanorum iter facerem? in quo illum, agentem aliquid, credo, salutaui; postea iam iussi valere, cùm me ex[p]ens[?] è sua villa, numquid vellem, rogasset. hunc hominem parum gratum quisquam putet? aut non in eo ipso laudandum, quòd*

post etiam ep. cap. 11. lib. 12

audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Noli putare mihi aliam cõsolationem esse huius ingentis molestiæ, nisi quòd spero non longiorem annua fore. hoc me ita velle multi non credunt, ex consuetudine aliorum. tu, qui scis, omnem diligentiam adhibebis, tum scilicet, cùm id agi debebit. Cùm ex Epiro redieris, de Rep. scribas ad me velim, si quid erit, quod operiare. non dum enim satis huc erat allatũ, quomodo Cæsar ferret de auctoritate perscripta: erátque rumor de Transpadanis, eos iussos IIII *viros creare. quod si ita est, magnos motus timeo: sed aliquid ex Pompeio sciam.*

CICERO ATTICO. S. III.

A. D. VI. *Idus Mai. veni in Trebulanum ad Pontium. ibi mihi tuæ litteræ binæ redditæ sunt tertio abs te die: eodem autem, ex Pansæ Pompeiano Philotimo dederam ad te litteras. nec verò nunc erat sanè, quod scriberem. Qui de Rep. rumores, scribe quæso. in oppidis enim summum video timorem; sed multa inania. quid de iis cogites, & quando, scire velim. Ad quas litteras tibi rescribi velis, nescio. nullas enim adhuc acceperam, præter quæ mihi binæ semel in Trebulano redditæ sunt: quarum alteræ edictum P. Licinij habebant, (erant autem* NON. *Mai. datæ) alteræ rescriptæ ad meas Minturnensis. quàm vereor, ne quid fuerit* σπουδαιότερον *in iis, quas non accepi, quibus rescribi vis. Apud Lentulum ponam te in gratiam. Dionysius nobis*

simul

cordi est. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. Iam deest, quod scribam; & lucet. Beneuentum cogitabam hodie. nostra continentia, & indulgentia esse satis faciemus satis. A Pontio, ex Trebulano A. D. V. ID. *Mai.*

CICERO ATTICO S. IIII.

BENEVENTVM *veni* A. D. V. ID. *Mai. ibi accepi eas litteras, quas tu superioribus litteris significaueras te dedisse: ad quas ego ipse eo die dederam ex Trebulano L. Pontio. ac binas quidem tuas Beneuenti accepi: quarum alteras Funisulanus multo mane mihi dedit, alteras scriba Tullius. Gratissima est mihi tua cura de illo meo primo, & maximo mandatu. sed tua profectio spem meam debilitat. ac me ille: illuc quidem labar, non quò; sed inopia cogimur eo contenti esse. De illo altero, quem scribis tibi visum esse non alienum, vereor adduci vt nostro possit; & vt scis,* δυσδιάγωγον. *esset quidem summe facilis: sed tu aberis, & me absente res. habebis mei rationem. nam posset aliquid, si vteruis nostrum adesset, agente Seruilio, Seruio fieri probabile. nunc, si iam res placeat, agendi tamen viam non video. Nunc venio ad illam epistolam, quam accepi à Tullio. De Marcello, fecisti diligenter. igitur* S. C. *si erit factum, scribes ad me: sin minùs, rem tamen conficies. mihi enim attribui opportebit, item Bibulo. sed non dubito, quin* S. C. *expeditum sit, in quo præsertim sit*

compendium populi. De Torquato, probè. De Masone, & Ligure, cùm venerint. De illo, quod Chærippus: (quoniam hîc quoque προσένευσεν *sustulisti) ô prouincia! etiámne hic mihi curandus est? curandus autem? hactenus, ne quid ad Senatum, consule, aut numera. nam de ceteris. Sed tamen commodè, quod cùm Srofa. De Pomtino, rectè scribis. est enim ita, vt si ante* KAL. *Iun. Brundisii futurus sit, minùs vrguendi fuerint M. Annius, & Tullius. Quæ de Sicinio audisti, ea mihi probantur; modò ne illa exceptio in aliquem incurrat bene de nobis meritum. sed considerabimus. rem enim probo. De nostro itinere, quod statuero; De quinque præfectis, quid Pompeius facturus sit, cùm ex ipso cognoro, faciam, vt scias. De Oppio bene curasti, quòd ei* DCCC. *exposuisti: idque, quoniam Philotimum habes, perfice, & cognosce rationem: &, vt agam ampliùs, si me amas, priùs quàm proficiscaris, effice. magna me cura leuaris. Habes ad omnia. etsi penè præterij chartam tibi deesse: mera captio est; siquidem eius inopia minùs multa ad me scribis. tu verò aufer ducentos. etsi meam in eo parsimoniam huius paginæ contractio significat, dum acta & rumores vellet. iam, si qua certa habes de Cæsare, exspecto litteras: & alias Pomtino de omnibus rebus diligentes dabis.*

CICERO ATTICO S. V.

PLANE *deest quod scribam. nam nec, quid*

mandē, habeo: nihil enim pretermissum est: nec quid narrem: noui enim nihil: nec iocandi locus est; ita me multa solicitant. tantum tamen scito, Idibus Mai. nos Venusia mane proficiscentis has dedisse. eo autem die credo aliquid actum in Senatu. sequantur igitur nos tuæ litteræ, quibus nō modò res omnis, sed etiam rumores cognoscamus. eas accipiemus Brundisii. ibi enim Pontinum ad eam diem, quam tu scripsisti, expectare consilium est. Nos Tarenti, quos cum Pompeio διαλόγους *de Rep. habuerimus, ad te perscribemus. etsi id ipsum scire cupio, quod ad tempus rectè ad te scribere possim, id est, quàm diu Romæ futurus sis; vt, aut quò dem posthac litteras sciam, aut ne dem frustra. Sed ante quàm proficiscare, vtique explicatum sit illud* H S XX, *&* DCCC. *hoc velim in maximis rebus & maximè necessariis habeas; vt, quod auctore te velle cœpi, adiutore assequar.*

CICERO ATTICO S. VI.

TARENTVM *veni* A. D. XV. KAL. *Iun. Quòd Pontinum statueram exspectare, commodissimum duxi, dies eos, quoad ille veniret, cum Pompeio consumere: eóque magis, quòd ei gratum esse id videbam; qui etiam à me petierit, vt secum, & apud se essem quotidie: quod concessi libenter. multos enim eius præclaros de Rep. sermones accipiam: instruar etiam consiliis idoneis ad hoc nostrum negotium. Sed ad te breuior iam in scribendo incipio*

fieri, dubitans Romæ'ne sis, an iam profectus: quod tamen quoad ignorabo, scribã aliquid potiùs, quàm committam, vt, tibi cùm possint reddi à me litteræ, non reddantur. nec tamen iam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. mandaui omnia, quæ quidem tu, vt polliceris, exhauries: narrabo, cùm aliquid habebo noui. illud tamen non desinam, dum adesse te putabo, de Cæsaris nomine rogare, vt confectum relinquas. auide exspecto tuas litteras, & maximè, vt norim tempus profectionis tuæ.

CICERO ATTICO S. VII.

QVOTIDIE, *vel potiùs in dies singulos breuioris litteras ad te mitto. quotidie enim magis suspicor te in Epirum iam profectum. sed tamen, vt mandatum scias me curasse; quot ante, ait se Pompeius quinos præfectos delaturum, nouos; vacationes, iudiciariam caussam. Ego cùm triduum cum Pompeio, & apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brundisium* A. D. XIII. KAL. *Iunias. ciuem illum egregium relinquebam, & ad hæc, quæ timentur propulsanda paratissimum. Tuas litteras exspectabo, cùm vt, quid agas, tum, vbi sis, sciam.*

CICERO ATTICO S. VIII.

ME ET *incommoda valetudo, qua iam emerseram, vt pote cùm sine febri laborassem, & Pomtini exspectatio, de quo adhuc ne rumor quidem vene-*

rat, tenebat duodecimum iam diem Brundisii. sed cursum exspectabamus. tu si modò es Romæ, (vix enim puto) sin es, hoc vehementer animaduertas velim. Romà acceperam litteras, Milonem meum queri per litteras iniuriā meam, quòd Philotimus socius esset in bonis suis. id ego ita fieri volui de C. Duronij sententia; quem & amicissimum Miloni perspexeram, & talem virum, qualem tu iudicas, cognoram. eius autem consilium, meúmque hoc fuerat; primùm, vt in potestate nostra esset res, ne illum malus emptor alienus mancipiis, quæ permulta secum habet, spoliaret: deinde, vt Faustæ, cui cautum ille esse voluisset, ratum esset. erat etiam illud, vt ipsi nos, si quid seruari posset, quam facillimè seruaremus. nunc rem totam perspicias velim. nobis enim scribuntur sæpe maiora. sed si ille queritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta vult, Philotimus, vt ego ei coram dixeram, mihique ille receperat, ne sit inuito Milone in bonis. nihil nobis fuerit tanti. sin hæc leuiora sunt, tu iudicabis. loquere cum Duronio. scripsi etiam ad Camillum, ad Lamiam: eóque magis, quòd non confidebam Romæ te esse. summa erit hæc; statues, vt ex fide, fama, réque mea videbitur.

CICERO ATTICO. S. IX.

ACTIVM venimus A. D. XVII. KAL. *Quinct. cùm quidem & Corcyræ, & Sybotis muneribus tuis, quæ & Areus, & meus amicus Eutychides opiparè,*

& φιλοπραγμονέστατα nobis congesserant, epulati essemus saliarem in modum. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissimè nauigassemus: & Leucatam flectere molestum videbatur. actuariis autem minutis Patras accedere sine [illegible] impedimentis, non satis visum est decorum. Ego, vt sæpe tu me currentem hortatus es, quotidie meditor, præcipio meis, faciam denique, vt summa modestia, & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus, velim, quiescat, & fortuna nos iuuet: nostra præstabimus. Tu, quæso, quid agas, vbi quoque tempore futurus sis, qualis res nostras Romæ reliqueris, maximè de XX. & de DCCC. cura vt sciamus. id vnis diligenter litteris datis, quæ ad me vtique perferantur, consequêre. Illud tamen (quoniam nunc abes, cùm id non agitur: aderis autem ad tempus, vt mihi rescripsisti) memento curare per te, & per omnis nostros, in primis per Hortensium, vt annus noster maneat suo statu, ne quid noui decernatur. hoc tibi ita mando, vt dubitem, an etiam te rogem, vt pugnes, ne intercaletur. sed non audeo tibi omnia onera imponere. annum quidem vtique teneto. Cicero meus, modestissimus & suauissimus puer, tibi salutem dicit. Dionysium semper equidem, vt scis, dilexi: sed quotidie pluris facio, & me hercule in primis, quòd te amat, nec tui mentionem intermitti sinit.

CICERO

CICERO ATTICO S. X.

Vt Athenas A.D. VII. KAL. *Quinct. veneram, exspectabam ibi iam quartum diem Pomtinum: neque de eius aduentu certi quicquam habebam: eram autem totus, crede mihi, tecum: & quanquam sine his per me ipse, tamen acriùs, vestigiis tuis monitus, de te cogitabam. quid quaeris? non mehercule alius vllus sermo, nisi de te. sed tu aliquid de me ipso scire fortasse mauis; haec sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publicè, aut priuatim, nec in quemquam comitum. nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hospite. persuasum est omnibus meis, seruiendum esse famae meae. bellè adhuc. hoc animaduersum, Graecorum laude, & multo sermone celebratur. quod superest, elaboratur in hoc à me, sicut tibi sensi placere. sed haec tum laudemus, cùm erunt perorata. Reliqua sunt eiusmodi, vt meum consilium saepe reprehendam, quòd non aliqua ratione ex hoc negotio emerserim. ô rem minime aptam meis moribus. ô illum verum, ἔρδοι τὶς. dices, quid adhuc? nondum in negotio versaris. nescio; & puto molestiora restare: etsi haec ipsa fero equidem fronte, vt puto, & volo bellissimè; sed angor intimis sensibus: ita multa vel iracundè, vel insolenter, vel in omni genere stultitiae insulsè, arroganter & dicuntur & tacentur quotidie. quae, non quò te caelem, non perscribo, sed quia δυσεξίτητα sunt. itaque admirabere meam βαθύτητα, cùm salui redierimus: tanta*

mihi μελέτη huius virtutis datur. ergo hæc quoque hactenus. etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum; quia, quid ageres, vbi terrarum esses, ne suspicabar quidem: nec hercule vmquam tam diu ignarus rerum mearum fui; quid de Cæsaris, quid de Milonis nominibus actum sit: ac non modò nemo, sed ne rumor quidem quisquam, vt sciremus, in Rep. quid ageretur. quare si quid erit, quod scias de iis rebus, quas putabis scire me velle, per mihi gratum erit, si id curaris ad me perferendũ. Quid est præterea? nihil sanè, nisi illud: valde me Athenæ delectarunt: vrbs duntaxat, & vrbis ornamentum, & hominum amores in te, & in nos quædam beneuolentia; sed multùm & philosophia. ἄνω κάτω si quid est, est in Aristo, apud quem eram. nam Xenonem tuum, vel nostrum potiùs, Quincto concesseram: & tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus inuicem. Cùm primùm poteris, tua consilia ad me scribas; vt sciam, quid agas, vbi quoque, & maximè quando Romæ futurus sis.

tempore,

CICERO ATTICO. S. XI.

HVI, *totiésne me litteras dedisse Romam, cùm ad te nullas darem? at verò posthac frustra potius dabo, quam si rectè dari potuerint, committam, vt non dem. Ne prouincia nobis prorogetur, per fortunas, dum ades, quidquid prouideri potest, prouide. non dici potest, quàm flagrem desiderio vrbis, quàm vix harum rerum insulsitatem feram.*

Marcellus fœdè de Comensi: etsi ille magistratum non gesserit, erat tamen Transpadanus. ita mihi videtur non minus stomachi nostro, ac Cæsari fecisse. sed hoc ipse viderit. Pompeius mihi quoque videbatur; quod scribis Varronem dicere, in Hispaniam certè iturus. id ego minimè probabam; qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius, quam illum nusquam discedere. ergo Græcus incumbet. valet autem auctoritas eius apud illum plurimùm. Ego has pridie Nonas Quinct. proficiscens Athenis dedi; cùm ibi decem ipsos fuissem dies. venerat Pomtinus: unà Cn. Volusius: aderat Quæstor: tum unus Tullius aberat. ἄφρακτα Rhodiorum, & dicrota Mitylenæorum habebam, & aliquid ἐπιχοιἀεὶ. De Parthis erat silentium. quod superest, dij iuuent. Nos adhuc iter per Græciam summa cum admiratione fecimus. nec mehercule habeo, quod adhuc quem accusem meorum. videntur mihi nosse nos, nostram caussam, & condicionem profectionis suæ. planè seruiunt existimationi meæ: quod superest; si verum illud est, οἷα γ' ἡ δέσποινα, certè permanebunt. nihil enim à me fieri ita videbunt, vt sibi sit delinquendi locus. sin id parum profuerit, fiet aliquid à nobis seueriùs: nam adhuc lenitate dulces sumus; &, vt spero, proficimus aliquantum. sed ego hanc, vt singuli dicunt, ἀνεξίαν in vnum annum meditatus sum. proinde pugna, ne, si quid prorogatum sit, turpis inueniar. Nunc redeo ad ea, quæ mihi mandas; ni præfectis excusationi sis, quos voles, deferto. non ero tam μελίωρος, quàm in Apuleio fui.

Xenonem tam diligo, quàm tu: quod ipsum sentire certò scio. Apud Patronem, & reliquos varones te in maxima gratia posui: & hercule merito tuo feci. nam mihi is ter, dixit, te scripsisse ad se, mihi ex illius litteris rem illam curæ fuisse, quod ei pergratum erat. sed cum Patro mecum egisset, vt peterem à vestro Ariopago, ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Polycharmo Prætore fecerant, commodius visum est & Xenoni, & post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, qui pridie, quàm ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat, vt is ad suos scriberet, posse id sua voluntate fieri. non enim dubitabat Xeno, quin ab Ariopagitis inuito Memmio impetrari non posset. Memmius autem ædificandi consilium abiecerat: sed erat Patroni iratus. itaque scripsi ad eum accuratè: cuius epistolæ misi ad te exemplum. Tu, velim, Piliam meis verbis consolere: indicabo enim tibi: tu illi nihil dixeris. accepi fasciculum, in quo erat epistola Piliæ: abstuli, aperui, legi: valde scripta est συμπαθῶς. Brundisio quæ tibi epistolæ redditæ sunt sine mea, tum videlicet datæ, cùm ego me non bellè haberem. nam illam νομανανδρίαν excusationem ne acceperis. Cura, vt omnia sciam, sed maximè, vt valeas.

CICERO ATTICO. S. XII.

NEGOTIVM *magnum est nauigare, atque mense Quinct. sexto die Delum Athenis venimus. pridie Nonas. Quinct. à Piræeo ad Zostera,*

vento molesto, qui nos ibidem Nonis tenuit. A. D. VIII. Idus ad Ceo iucundè. inde Gyarum sæuo vento, non aduerso: hinc Scyrum, inde Delum, vtroque citiùs, quàm vellemus, cursum confecimus. iam nosti ἄφρακτα Rhodiorum. nihil, quod minùs fluctum ferre possit. itaque erat in animo nihil festinare, Delo nec me mouere, nisi omina ἀκρωτηρίων ὄνεια vidissem. De Messalla ad te statim, vt audiui, de Gyaro dedi litteras: & id ipsum consilium nostrum etiam ad Hortensium: cui quidem valde συνηγωνίων. sed tuas de eius iudiciis, sermonibus, & mehercule omni de Reip. statu litteras exspecto, πολιτικώτερον quidem scriptas, (quoniam meos cum Thallumeto nostro peruolutas libros) eiusmodi inquam litteras, ex quibus ego, non quid fiat, (nam id vel Helenius, vir grauissimus, potest efficere, cliens tuus) sed quid futurum sit, etiam cùm hæc leges habebimus Consules. omnia perspicere poteris, de Cæsare, de Pompeio, de ipsis iudiciis. Nostra autem negotia, quoniam Romæ commoraris, amabo te, explica. Cui rei fugerat me rescribere, de strue laterum planè rogo. De aqua, si quid poterit fieri, eo sis animo, quo soles esse: quam ego cùm mea sponte, túm tuis sermonibus æstimo plurimi. ergo quid conficies. Præterea, si quid Philippus rogarit, quod in sua re faceres, id velim facias. Plura scribam ad te, cum constitero: nunc eram planè in medio mari.

CICERO ATTICO S. XIII.

EPHESVM *venimus* A.D.XI.KAL. *Sext. sexagesimo, & quingentesimo pôst pugnam Bouillam. nauigauimus sine timore & sine nausea; sed tardiùs propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. De concursu legationum, priuatorum, & de incredibili multitudine, quæ mi iam Sami, sed mirabilem in modum Ephesi præsto fuit, aut audisse te puto, aut quid ad me attinet? veruntamen cùm cum Decumani venissem cum imperio, Græci quasi Ephesio Prætori se alacres obtulerunt, ex quo te intelligere certò scio, multorum annorum ostentationes meas nunc in discrimen esse adductas. sed, vt spero, vtemur ea palæstra, quam a te didicimus; omnibusque satisfaciemus; & eo faciliùs, quod in nostra prouincia confectæ sunt pactiones. Sed hactenus, præsertim cùm cenanti mihi nuntiaret Cæstius, se de nocte proficisci. Tua negotia Ephesi curæ mihi fuerunt: Thermóque, tametsi ante aduentum meum liberalissimè erat pollicitus tuis omnibus, tamen Philogenem, & Seium tradidi; Apolloniensem Xenonem commendaui. omnino omnia se facturum recepit. Ego præterea rationem Philogeni permutationis eius, quam tecum feci, edidi. ergo hæc quoque hactenus. Redeo ad vrbana. Per fortunas (quoniam Romæ manes) primùm illud præfulci, atque præmuni, quæso, vt simus annui; ne intercaletur quidem. deinde exhauri mea mandata; maximéq;*

ad Bouillas.

Ego cap. xi. lib. xiiii.

si quid potest, de illo domestico scrupulo, quem non ignoras; deinde de Cæsare: cuius in cupiditatem te auctore incubui; nec me piget. &, si intelligis, quàm meum sit scire & curare, quid in Rep. fiat: fiat autem? immo verò etiam quid futurum sit, perscribe ad me omnia, sed diligentissime: in primisque ecquid iudiciorum status aut factorum, aut futurorum etiam laboret. De aqua, si cura est, si quid Philippus aget, animaduertas.

CICERO ATTICO. S. XIIII.

ANTE *quàm aliquo loco consedero, neque longas à me, neque semper mea manu litteras exspectabis. cùm autem erit spatium, vtrunque præstabo. nunc iter conficiebamus æstuosa & pulueruIenta via. dederam Epheso pridie: has dedi Trallibus. In prouincia mea fore me putabam* KAL. *Sextilibus. ex ea die, si me amas,* παράγγελμα ἐνιαύσιον *commoueto. tamen interea hæc, quæ vellem, mihi afferebantur: primùm otium Parthicum, dein confectæ pactiones Publicanorum, postremò seditio militum sedata ab Appio, stipendiúmque eis vsque ad Idus Quinct. persolutum. Nos Asia accepit admirabiliter. aduentus noster nemini ne minimo quidem fuit sumptui. spero meos omnis seruire laudi meæ. tamen magno timore sum: sed bene speramus. omnes iam nostri, præter Tulliũ tuum, venerũt. erat mihi in animo rectà proficisci ad exercitum. æstiuos menses reliquos rei militari dare, hibernos*

iuridictioni. Tu, velim, si me nihilo minus nosti curiosum in Rep. quam te, scribas ad me omnia, quæ sint, quæ futura sint. nihil mihi gratius facere potes: nisi tamen id erit mihi gratissimum, si, quæ tibi mandaui, confeceris; in primísque illud ἐνδόμυχον; quo mihi scis nihil esse carius. Habes epistolam plenam festinationis & pulueris. reliquæ subtiliores erunt.

CICERO ATTICO. S. XV.

LAODICEAM *veni pridie* KAL. *Sext. ex hoc die clauum anni mouebis. nihil exoptatius aduentu meo, nihil carius. sed est incredibile, quam me negotij tædeat. non habent satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi, & industriæ meæ. præclara opera cessat. quippe, ius Laodiceæ me dicere, cùm Romæ A. Plotius dicat? & cùm exercitum noster amicus habeat, tantum me nomen habere duarum legionum exilium? denique hæc non desidero: lucem, forum, urbem, domum, vos desidero. sed feram, ut potero: sit modò annuum. si prorogatur, actum est. verùm perfacilè resisti potest. tu modò Romæ sis. Quæris, quid hic agam? ita viuam, ut maximos sumptus facio. mirificè delector hoc instituto. admirabilis abstinentia ex præceptis tuis: ut verear, ne illud, quod tecum permutaui, versura mihi soluendum sit. Appij vulnera non refrico: sed apparent, nec occuli possunt. iter Laodicea faciebam* A. D. III. *Nonis Sext. cum*

C. Cassius

has litteras dabam, in castra in Lycaoniam, inde ad Taurum cogitabam, vt cum Moeragene signis collatis, si possem de seruo tuo deciderem. clitellæ boui sunt imposita, Cillane, non est nostrum onus: sed feremus: modò, si me amas, sit annuum. adsis tu ad tempus, vt Senatum totum excites. mirificè solicitus sum, quòd iam diu ignota sunt mihi ista omnia. quare, vt ad te ante scripsi, cùm cetera, tum Resp. cura, vt mihi nota sit. Plura scribam, tardè tibi redditurô, sed dabam familiari homini, ac domestico, C. Andronico Puteolano. tu autem sæpe dare tabellariis Publicanorum poteris, per magistros scripturæ, & portus, & nostrarum diœcesium.

latronû duce.

alias.

pro magistris

CICERO ATTICO. S. XVI.

ETSI in ipso itinere & via discedebant Publicanorum tabellarij, & eramus in cursu: tamen surripiendum aliquid putaui spatij, ne me immemorem mandati tui putares. itaque subsedi in ipsa via, dum hæc, quæ longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem. Maxima exspectatione in perditam, & planè euersam in perpetuum prouinciam nos venisse scito pridie KAL. Sextiles. moratus triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade, audiuimus nihil aliud, nisi imperata ἐπικεφάλια soluere non posse: ὠνὰς omnium venditas: ciuitatum gemitus, ploratus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cuius immanis. quid quæris? tædet omninu mos vitæ. leuan-

possessiones

omnino eos

tur tamen miseræ ciuitates, quòd nullus fit sumptus in nos, neque in legatos, neque in Quæstorem, neque in quemquam. scito, non modo nos fœnum, aut quod lege Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem; nec, præter quatuor lectos & tectum, quemquam accipere quicquam: multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerunque. itaque incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex vicis, ex domibus omnibus. mehercule etiam, aduentu nostro, reuiuiscunt; iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis. itaque opiniones omnium superauit. Appius, vt audiuit nos venire, in vltimam prouinciam se coniecit Tarsum vsque: ibi forum agit. De Partho silentium est: sed tamen concisos equites nostros a barbaris nuntiabant ij, qui veniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in prouinciam suam accedere. id autem facere ob eam caussam dicebat, quod tardiùs vellet decedere. Nos in castra properabamus, quæ aberat bidui.

CICERO ATTICO. S. XVII.

ACCEPI *Roma sine epistola tua fasciculum litterarum: in quo, si modo valuisti, & Romæ fuisti, Philotimi duco esse culpam, non tuam. hanc epistolam dictaui sedens in rheda, cùm in castra proficiscerer, à quibus aberam bidui. paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras. itaque eò me seruaui. Nos, tamen etsi hoc te ex aliis audire malo, sic in prouincia nos gerimus, quod ad*

abstinentiam attinet, ut nullus teruntius insumatur in quemquam. id fit etiam & legatorum, & tribunorum, & præfectorum diligentia. nam omnes mirificè συμφιλοδοξοῦσιν gloriæ meæ. Lepta noster mirificus est. Sed nunc propero. perscribam ad te paucis diebus omnia. Cicerones nostros Deiotarus filius, qui rex ab Senatu appellatus est, secum in regnum, dum in æstiuis nos essemus, illum pueris locum esse bellissimum duximus. Sestius ad me scripsit, quæ tecum esset de mea domestica, & maxima cura locutus, & quid tibi esset visum. amabo te, incumbe in eam rem, & ad me scribe, quid & possit, & tu censeas. Idem scripsit, Hortensium de prorogandà nostra prouincia dixisse nescio quid. mihi in Cumano, diligentissimè, se, ut annui essemus, defensurum, receperat. si quicquam me amas, hunc locum muni. dici non potest, quam inuitus à vobis absim. & simul hanc gloriam iustitiæ, & abstinentiæ fore illustriorem spero, si cito decesserimus: id quod Scæuolæ contigit, qui solos nouem menses Asiæ præfuit. Appius noster, cùm me aduentare videret, profectus est Tarsum vsque Laodicea. ibi forum agit, cùm ego sim in prouincia; quam eius iniuriam non insector. satis enim habeo negotij in sanandis vulneribus, quæ sunt imposita prouinciæ. quod, do operam, ut faciam quamminima illius contumelia. sed hoc Bruto nostro velim dicas, illum fecisse non bellè, qui aduentu meo, quàm longissimè potuerit, discesserit.

Duxit.

CICERO ATTICO. S. XVIII.

QVAM vellem Romæ esses, si fortè non es. nihil enim certi habebamus, nisi accepisse nos tuas litteras A.D.XIIII. KAL. Sext. datas: in quibus scriptum esset, te in Epirum iturum circiter KAL. Sextiles. sed, siue Romæ es, siue in Epiro, Parthi Euphratem transierunt duce Pacoro, Orodis, regis Parthorum, filio, cunctis ferè copiis. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. Cassius in oppido Antiochia cum omni exercitu. nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra. hostis in Cyrrhestica; quæ Syriæ pars proxima est prouinciæ meæ. his de rebus scripsi ad Senatum: quas litteras, si Romæ es, videbis, putésne reddendas: & multa, immo omnia: quorum κεφάλαιον, ne quid inter cæsa, & porrecta, vt aiunt oneris mihi addatur, aut temporis. nobis enim, hac infirmitate exercitus, inopia sociorum, præsertim fidelium, certissimum subsidium est hiems. ea si venerit, nec illi ante in meam prouinciam transierint, vnum vereor, ne Senatus propter vrbanarum rerum metum Pompeium nolit dimittere. quòd si alium ad ver mittit, non laboro. nobis modò temporis ne quid prorogetur. Hæc igitur, si Romæ es: sin abes, aut etiam si ades; hæc negotia sic se habent. Stamus animis; &, quia consiliis, vt videmur, bonis vtimur, speramus etiam manu. tuto consedimus, copioso à frumento, Ciliciam prope conspi-

ciente, expedito ad mutandum, loco; paruo exercitu; ſed, vt ſpero, ad beneuolentiam erga nos conſentiente: quem nos, Deiotari aduentu cum ſuis omnibus copiis, duplicaturi eramus. ſociis multo fidelioribus vtimur, quàm quiſquam vſus eſſet: quibus incredibilis videtur & noſtra manſuetudo & abſtinentia. delectus habetur ciuium Romanorum. frumentum ex agris in loca tuta comportatur. ſi fuerit occaſio, manu; ſin minùs, locis nos defendemus. quare bono animo es. video enim te, &, quaſi coram adſis, ita cerno συμπάθειαν amoris tui. ſed te rogo, (ſi vllo pacto fieri poterit) ſi integra in Senatu noſtra cauſſa ad KAL. *Ianu. manſerit, vt Romæ ſis menſe Ianuario. profectò nihil accipiam iniuriæ, ſi tu aderis. amicos Conſules habemus, noſtrum Tribunum pl. Furnium. verùm tua eſt opus aſſiduitate, prudentia, gratia. tempus eſt neceſſarium. ſed turpe eſt, me pluribus verbis agere tecum. Cicerones noſtri ſunt apud Deiotarum: ſed, ſi opus erit, deducentur Rhodum. Tu, ſi es Romæ; vt ſoles, diligentiſſimè: ſi in Epiro; mitte tamen ad nos de tuis aliquem tabellarium; vt & tu, quid nos agamus, & nos, quid tu agas, quídque acturus ſis, ſcire poſſimus. Ego tui Bruti rem ſic ago, vt ſuam ipſe non ageret. ſed iam exhibeo pupillum, neque defendo. ſunt enim negotia & lenta, & inania. faciam tamen ſatis. tibi quidem, cui difficilius eſt, quàm ipſi. ſed certè ſatisfaciam vtrique.*

CICERO ATTICO. S. XIX.

OBSIGNARAM *iam epistolam eam, quam puto te modò perlegiſſe, ſcriptam mea manu, in qua omnia continentur, cùm ſubito Appij tabellarius* A.D.XI. KAL. *Octob. ſeptimo quadrageſimo die Roma celeriter (hui tam longè!) mihi tuas litteras reddidit. ex quibus non dubito, quin tu Pompeium expectaris, dum Arimino rediret, & iam in Epirum profectus ſis: magiſque vereor, vt ſcribis, ne in Epiro ſolicitus ſis non minùs, quàm nos hic ſumus. De Attelliano nomine ſcripſi ad Philotimum ne appellaret Meſſallam. Itineris noſtri famam ad te perueniſſe lætor, magiſque lætabor, ſi reliqua cognoris. Filiolam tuam tibi iam Romæ iucundam eſſe gaudeo; eámque, quàm nunquam vidi, tamen & amo, & amabilem eſſe certò ſcio. etiam atq; etiam valete Patron, & tui condiſcipuli. Quæ de Tarentinis in militia laboraui, ea tibi grata eſſe gaudeo. Quòd ſcribis libente te, repulſam tuliſſe eum, qui cum ſororis tuæ filij patruo certaret; magni amoris ſignum. itaque me etiam admonuiſti vt gauderem. nam mihi in mentem non venerat. non credo, inquis. vt libet: ſed planè gaudeo: quoniam τὸ νεμεσᾶν intereſt τοῦ φθονεῖν.*

parietinis
a

CICERO ATTICO. S. XX.

SATVRNALIBVS *manè ſe mihi Pindeniſſæ*

dediderunt, septimo & quadragesimo die, postquam oppugnare eos cœpimus. qui (malum) isti Pindenissæ? qui sunt? inquies: nomen audiui numquam. quid ego faciam? potui Ciliciam, Aetoliam, aut Macedoniam reddere? hoc iam sic habeto, nec hoc exercitu hîc tanta negotia geri potuisse: quæ cognosce ἐν ἐπιτομῇ. sic enim concedis mihi proximis litteris. Ephesum vt venerim, nosti; qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritatem: qua nihil me vmquam delectauit magis. inde oppidis, iis, quà ieram, mirabiliter accepti, Laodiceam pridie KAL. Sext. venimus. ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificísq; verbis omnis iniurias reuellimus superiores. quod idem dein Apameæ V. dies morati, & Synnadis triduum, Philomeli quinq; dies, Iconij decem fecimus. nihil ea iurisdictione æquabilius, nihil lenius, nihil grauius. inde in castra veni A.D. VII. KAL. Septemb. A.D. III. exercitũ lustraui apud Iconium. ex his castris, cùm graues de Parthis nuntij venirent, perrexi in Ciliciam per Cappadociæ partem eam, quæ Ciliciam attingit, eo consilio, vt Armenius Artauasdes, & ipsi Parthi Cappadocia se excludi putarent. cùm dies quinque ad Cybistra Cappadociæ castra habuissem, certior sum factus, Parthos ab illo aditu Cappadociæ longè abesse; Ciliciæ magis imminere. itaque confestim iter in Ciliciã feci per Tauri pylas. Tarsum veni A.D. III. NON. Octob. inde ad Amanũ contendi, qui Syriã à Cilicia ima aquarũ diuortio diuidit; qui mõs erat hostium plenus sempiternorũ. hic A.D.

III. *Idus Octob. magnum numerum hostium occidimus. castella munitissima, nocturno Pomtini aduentu, nostro matutino, cepimus, incendimus. imperatores appellati sumus. castra paucos dies habuimus, ea ipsa, quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander, imperator haud paulo melior, quàm aut tu, aut ego. ibi dies quinque morati, direpto & vastato Amano, inde discessimus. scis enim dici quędam* πανικά *: dici item* τὰ κενὰ τοῦ πολέμου. *rumore aduentus nostri, & Cassio, qui Antiochiâ tenebatur, animus accessit, & Parthis timor iniectus est. itaque eos, cedentis ab oppido, Cassius insecutus, rem bene gessit. qua in fuga, magna auctoritate, Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eóque interiit paucis post diebus. erat in Syria nostrum nomen in gratia. venit interim Bibulus. credo voluit appellatione hac inani nobis esse par. in eodem Amano cœpit laureolam in mustaceo quærere. at ille cohortem primam totam perdidit, centurionémque primipili, nobilem sui generis, Asinium Dentonem, & reliquos cohortis eiusdem, & Sex. Lucilium, T. Gauij Cæpionis, locupletis & splendidi hominis, filium, tribunum militum. sanè plagam odiosam acceperat cum re, tum tempore. Nos Pindenissum, quod oppidum munitissimum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit, (feri homines & acres, & omnibus rebus ad defendendum parati) cinximus vallo & fossa: aggere maximo, vineis, turre altissima, magna tormentorum copia, multis sagittariis, magno labore,*

labore, apparatu, multis sauciis nostris, incolumi exercitu, negotium confecimus. hilara sanè Saturnalia. militibus quoque, equis exceptis, reliquam prædam concessimus. mancipia vænibant Saturnalibus tertiis. cùm hæc scribebam in tribunali, res erat ad HS CXX. *hinc exercitum in hiberna agri malè pacati deducendum Quincto fratri dabam. ipse me Laodiceam recipiebam. Hæc adhuc. sed ad præterita reuertamur. Quòd me maximè hortaris; & , quod pluris est, quam omnia, in quo laboras, vt etiam Ligurino μώμῳ satisfaciam: moriar, si quicquam fieri potest elegantiùs. nec iam ego hanc continentiam appello, quæ virtus voluptari resistere videtur. ego in vita mea nulla vmquam voluptate tanta sum adfectus, quanta adficior hac integritate. nec me tam fama, quæ summa est, quàm res ipsa, delectat. quid quæris? fui tanti: me ipse non noram: nec satis sciebam, quid in hoc genere facere possem: rectè πεφυσίωμαι. nihil est præclarius. interim hæc λαμπρά. Ariobarzanes opera mea viuit, regnat. ἐν παρόδῳ, consilio, & auctoritate, & quòd insidiatoribus eius ἀπρόσιτον me, non modò ἀδωροδόκητον præbui, regem regnúmque seruaui. interea è Cappadocia ne pilum quidem. atque etiam spero toto anno imperij nostri teruntium sumptus in prouincia nullum fore. Brutum abiectum, quantum potui, excitaui: quem non minus amo, quam tu; penè dixi, quàm te. Habes omnia. nunc publicè litteras Romam mittere parabam. vberiores erunt, quàm si ex Amano misissem. at te Romæ non fore?*

M

ſed eſt totum, quod KAL. *Mart. futurum eſt. vereor enim, ne, cùm de prouincia agetur, ſi Cæſar reſiſtet, nos retineamur. his tu ſi adeſſes, nihil timerem. Redeo ad vrbana: quæ ego diu ignorans, ex tuis iucundiſſimis litteris* A.D. V. KAL. *Ian. denique cognoui. eas diligentiſſimè Philogenes libertus tuus, curauit, per longa, & non ſatis tuta via, perferendas. nam quas Lenij pueris ſcribis datas, non acceperam. Iucundè de Cæſare, & quæ Senatus decreuit, & quæ tu ſperas: quibus ille ſi cedit, ſalui ſumus. Incendio Plætoriano quòd Leius aduſtus eſt, minùs moleſtè fero. Lucceius de Q. Caſſio cur tam vehemens fuerit, & quid actum ſit, haueo ſcire. Ego, cùm Laodiceam venero, Quincto, ſororis tuæ filio, togam puram iubeor dare; cui moderabor diligentius. Deiotarus, cuius auxiliis magnis vſus ſum, ad me, vt ſcripſit, cum Ciceronibus Laodiceam venturus erat. Tuas etiam Epiroticas exſpecto litteras; vt habeam rationem nón modò negotij, verum etiam otij tui. Nicanor in officio eſt, & à me liberaliter tractatur: quem, vt puto, Romam cum litteris publicis mittam; vt diligentiùs perferantur, & idem ad me certa de te, & à te referat. Alexis quòd mihi toties ſalutem adſcribit, eſt gratum. ſed cur non ſuis litteris idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Phemio quæritur κέρας. Sed hæc hactenus. Cura, vt valeas, & vt ſciam, quando cogites Romam. etiam atque etiam vale. Tua, tuóſque Thermo & præſens Epheſi diligentiſſimè commendaram, & nũc per litteras: ipſúmq; intellexi eſſe perſtudioſum*

tui. Tu velim, quod antea ad te ſcripſi, de domo Pammeni, des operam, vt, quod tuo, meóq; beneficio puer habet, cures, ne qua ratione cõuellatur. vtrique noſtrũ honeſtũ exiſtimo; tum mihi erit pergratum.

CICERO ATTICO S. XXI.

TE IN *Epirum ſaluum veniſſe, & , vt ſcribis, ex ſententia nauigaſſe, vehementer gaudeo: non eſſe Romæ meo tempore pernеceſſario, ſubmoleſtè fero; hoc me tamen conſolor; non ſpero te iſtic iucundè hiemare, & libenter requieſcere. Caſſius, frater Q. Caſſij, familiaris tui, pudentiores illas litteras miſerat (de quibus tu ex me requiris, quid ſibi voluerint) quàm eas, quas poſtea miſit, quibus per ſe ſcribit confectũ eſſe Parthicum bellum. receſſerant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli aduentum, ſed nullo noſtro ἐυημερήματι. hodie verò hiemant in Cyrrheſtica, maximúmque bellum impendet. nam & Orodes, regis Parthorum filius, in prouincia noſtra eſt: nec dubitat Deiotarus, cuius filio pacta eſt Artauaſdis filia, ex quo ſciri poteſt, quin cum omnibus copiis ipſe prima æſtate Euphratem tranſiturus ſit. quo autem die Caſſij litteræ victrices in Senatu recitatæ ſunt, id eſt, Nonis Octobribus, eodem meæ tumultum nuntiantes. Axius noſter ait, noſtras auctoritatis plenas fuiſſe; illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatæ: quas certò ſcio plenas timoris fore. Ex iis rebus hoc vereor, ne, cùm Pompeius propter metum rerum nouarum*

nusquom dimittatur, Cæsari nullus honos à Senatu habeatur; dum hic nodus expediatur, non putet Senatus, nos ante quàm successum sit, oporttre decedere: nec in tanto motu rerum tantis prouinciis singulos legatos præesse. hîc, ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo: atque eò magis, quòd tu abes, qui consilio, gratia, studio multis rebus occurreres. sed dices me ipsum mihi solicitudinem struere. cogor: & velim ita sit. sed omnia metuo. etsi bellum ἀκροτελεύτιον *habet illa tua epistola, quam dedisti nauseans Buthroto:* TIBI, VT VIDEO ET SPERO, NVLLA AD DECEDENDVM ERIT MORA. *mallem,* VT VIDEO: *nihil opus fuit,* VT SPERO. *acceperam autem satis celeriter Iconij per Publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. in his* γλυκύπικρον *illud confirmas, moram mihi nullam fore: deinde addis, si quid secus, te ad me fore venturum. pungunt me dubitationes tuæ: simul & vides, quas acceperim litteras. nam quas Hermoni centurionis Camulæ ipse scribis te dedisse, non accepi. Lenij pueris te dedisse, sæpe ad me scripseras. eas Laodiceæ denique, cùm eò venissem,* III. ID. *Febr. Lenius mihi reddidit, datas* A. D. X. KAL. *Octobres. Lenio tuas commendationes & statim verbis, & reliquo tempore re probabo: hæ litteræ cetera vetera habebant, vnum hoc nouum, de Cybiratis pantheris. multum te amo, quòd respondisti M. Octauio, te non putare. sed posthac omnia, quæ certa non erunt, pro certo negato. nos enim*

ET

& nostra sponte bene firmi, & mehercule auctoritate tua inflammati vicimus omnes (hoc tu ita reperies) cùm abstinentia, tum iustitia, facilitate, clementia. caue putes quicquam homines magis vnquam esse miratos, quàm nullum teruntium, me obtinente prouinciam, sumptus factum esse nec in Rempublicam, nec in quemquam meorum, præterquam in L. Tullium legatum. is, ceteroqui abstinens, (sed Iulia lege trãsitans, semel tamen in diem, non, vt alij solebant, omnibus vicis; præter eum semel, nemo accepit) facit vt mihi excipiendus sit, cùm teruntium nego sumptus factum. præter eum accepit nemo. has à nostro Q. Titinio sordes accepimus. Ego, æstiuis confectis, Quinctum fratrem hibernis, & Ciliciæ præfeci. Q. Volusium, tui Tiberij generum, certum hominem, sed mirificè etiam abstinentem, misi in Cyprum, vt ibi pauculos dies esset; ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarent. nam euocari ex insula Cyprios non licet. ipse in Asiam profectus sum Tarso Nonis Ianuariis; non mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciæ ciuitatum, maximéque Tarsensium. postea verò quàm Taurum transgressus sum, mirifica exspectatio Asiæ nostrarum diœcesium, quæ sex mensibus imperij mei nullas meas acceperat litteras, numquam hospitem viderat. illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quæstu. ciuitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant: Cyprij talenta Attica CC. qua ex insula (non ὑπερβολικῶς, sed

verissimè loquor) nummus nullus me obtinente erogabatur. ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino: statuas, fana, τέθριππα prohibeo: nec sum in vlla re alia molestus ciuitatibus; sed fortasse tibi, qui hæc prædicem de me. perfer, si me amas. tu enim me hæc facere voluisti. Iter igitur ita per Asiam feci, vt etiam fames, qua nihil miserius est, quæ tum erat in hac mea Asia, (messis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit. quacunque iter feci, nulla vi, nullo iudicio, nulla contumelia, auctoritate, & cohortatione perfeci, vt & Græci, & ciues Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur. Idibus Februariis, quo die has litteras dedi, forum institueram agere Laodiceæ Cybiraticum, & Apamense: ex Idibus Mart. ibidem Synnadense, Pamphylium (tum Phemio dispiciam κέρας Aonium) Isauricum: ex Idibus Mai. in Ciliciam, vt ibi Iunius consumatur. velim tranquille à Parthis. Quinctilis, si erit, vt volumus, in itinere est, per prouinciam redeuntibus, consumendus. venimus enim in prouinciam, Laodiceam, Sulpicio, & Marcello COSS. *pridie* KAL. *Sextiles. inde nos oportet decedere* A. D. IIII. KAL. *Sext. primùm contendam à Quincto fratre, vt se præfici patiatur: quod & illo, & me inuitissimo fiet. sed aliter honestè fieri non potest, præsertim cùm, virum optimum, Pomtinum ne nunc quidem retinere possim. rapit enim hominem Postumius Romam, fortasse etiam Postumia. Habes*

consilia nostra. nunc cognosce de Bruto. Familiaris habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum, ex Cypro, M. Scaptium, & P. Matinium; quos mihi maiorem in modum commendauit. Matinium non noui. Scaptius ad me in castra venit. pollicitus sum curaturum me, Bruti caussa, vt ei Salaminij pecuniam soluerent. egit gratias. præfecturam petiuit. negaui me cuiquam negotianti dare: quod idem tibi ostenderam. Cn. Pompeio petenti probaram institutum meum: quid dicam? Torquato, de M. Lenio tuo; multis aliis. si præfectus vellet esse syngraphæ caussa, me curaturum, vt exigeret. gratias egit: discessit. Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coerceret; & eundem habuerat præfectum. vexabat Salaminios. ego equites ex Cypro decedere iussi. molestè tulit Scaptius. quid multa? vt ei fidem meam præstarem; cùm ad me Salaminij Tarsum venissent, & in his Scaptius, imperaui, vt pecuniam soluerent. multa de syngrapha, de Scaptij iniuriis. negaui me audire. hortatus sum; petiui etiam pro meis in ciuitatem beneficiis, vt negotium conficerent: denique dixi me coacturum. homines non modò non recusare, sed etiam hoc dicere, se à me soluere. quod enim Pretori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se à me quodam modo dare; atque etiam minus esse aliquanto in Scaptij nomine, quàm in vectigali Pretorio. collaudaui homines. rectè, inquit Scaptius: sed subducamus summam. interim cùm ego in edicto tralaticio centesimas me

anatocismo obseruaturũ haberem, cum anatocis anniuersariò; ille ex syngrapha postulabat quaternas. quid ais? inquam. possúmne contra meum edictum? at ille profert S.C. Lentulo Philippóq; COSS. vt, qui Ciliciam obtineret, ius ex illa syngrapha diceret. coetenim erat horrui primò: ~~& erat enim~~ interitus ciuitatis. reperio duo S.C. iisdem Consulibus de eadem syngrapha. Salaminij cùm Romæ versuram facere vellent, non poterant; quòd lex Gabinia vetabat. tum volebant ij Bruti familiares, freti gratia Bruti, dare solebant IIII. si sibi S.C. caueretur. fit gratia Bruti quaternis S.C. VT NEVE SALAMINIIS, NEVE QVI EIS DEDISSET, FRAVDI ESSET. pecuniam numerarunt: & postea venit in mentem fœneratoribus, nihil se iuuare illud S.C. quòd ex syngrapha ius dici lex Gabinia vetaret. tum fit S.C. VT ~~EX~~ EA SYNGRAPHA ESSET, QVA VT CETERAE. eodem iure quo Sed vt eodem; cùm hæc disseruissem; seducit me Scaptius; ait se nihil contradicere; sed illos putare talenta CC se debere; ea se velle accipere: debere autem illos paulo minus: rogat, vt eos ad CC perducam. optimè, inquam. voco illos ad me, remoto Scaptio. quid vos? quantum, inquam, debetis? respondent, CVI. refero ad Scaptium. homo clamare. quid opus est? inquam. rationes conferatis. assidunt; subducunt; ad nummum conueniti illi se numerare velle, vrgere vt acciperet. Scaptius me rursus seducit: rogat, vt rem sic relinquam. dedi veniam homini impudenter petenti. Græcis querentibus; vt in fano deponerent postulantibus non concessi. clamare omnes qui aderant, nihil inpu-

dentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset: alij, nihil stultius. mihi autem impudens magis, quam stultus, videbatur. nam aut bono nomine, centesimis contentus erat; aut, non bono, quaternas centesimas sperabat. Habes meam caussam: quæ si Bruto non probatur; nescio, cur illum amemus: sed auũculo eius certè probabitur, præsertim cum S.C. modò factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum caussa, vt centesimæ perpetuo fœnore ducerentur. hoc quid intersit, si tuos digitos noui, certè habes subductum. in quo quidem ὁδοῦ πάρεργον, Lucceius M.F. queritur apud me per litteras, summum esse periculum, ne culpa Senatus, his decretis, res ad tabulas nouas perueniat. commemorat, quid olim mali C. Iulius fecerit, cùm dieculam duxerit: nunquam Resp. plus. Sed ad rem redeo. meditare aduersus Brutum caussam meam: si hæc caussa est, contra quam nihil honestè dici potest; præsertim cùm integram rem & caussam reliquerim. Reliqua sunt domestica. De ἐνδομύχῳ, probo idem, quod tu, Postumiæ F; [illegible] quoniam Pontidia nugatur. sed vellem adesses. a Quincto fratre his mensibus nihil exspectaris. nam Taurus propter niues ante mensem Iunium transiri non potest. Thermum, vt rogas, creberrimis litteris fulcio. P. Valerium negat habere quicquam Deiotarus rex, eúmque ait à se sustentari. Cùm scies, Romæ intercalatum sit, nécne; velim ad me scribas certùm, quo die mysteria futura sint. Litteras tuas minùs paulo exspecto, quàm si Romæ esses; sed tamen exspecto.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER VI.

CICERO ATTICO. S. I.

ACCEPI tuas litteras A. D. quintum Terminalia Laodiceæ, quas legi libentissimè, plenissimas amoris, humanitatis, officij, diligentiæ. his igitur respondebo: sic enim postulas: nec οἰκονομίαν meam instituam; sed ordinem conseruabo tuum. Recentissimas à Cybistris te meas litteras habere ais, A. D. X. KAL. Octob. datas: & scire vis, tuas ego quas acceperim: omnis ferè, quas commemoras, præter eas, quas scribis Lentuli pueris & Equotutico, & Brundisio datas. quare non οἴχεται tua industria, quod vereris, sed præclarè ponitur; si quidem id egisti, vt ego delectarer. nam nulla re sum delectatus magis. Quòd meam βαθύτητα in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto probo; vehementer gaudeo: ac putaram secus. Appius enim ad me ex itinere bis, térve ὑπομεμψιμοίρους litteras miserat, quòd quædam à se constituta rescinderem. vt si medicus, cùm ægrotus alij medico traditus sit, irasci velit ei medico, qui sibi successerit, si, quæ ipse in curando constituerit, mutet ille: sic Appius, cùm ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam,

περὶ τοῦ ἀνατρεφομένην eam à me non libenter videt; sed modò suscenset, modò gratias agit. nihil enim à me fit cum vlla illius contumelia. tantummodo dissimilitudo meæ rationis offendit hominem. quid enim potest esse tam dissimile, quàm illo imperante, exhaustam esse sumptibus, & iacturis prouinciam; nobis eam obtinentibus, nummum nullum esse erogatum nec priuatim, nec publicè? Quid dicam de illius præfectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? nunc autem domus mehercule nulla tanto consilio, aut tanta disciplina gubernatur, aut tam modesta est, quàm nostra tota prouincia. hæc nonnulli amici Appij ridiculè interpretantur: qui me idcirco putent bene audire velle, vt ille malè audiat, & rectè facere non meæ laudis, sed illius contumeliæ caussa. sin Appius, vt Bruti litteræ, quas ad te misi significabant, gratias nobis agit, non molestè fero: sed tamen eo ipse die, quo hæc ante lucem scribebam, cogitabam eius multa, iniquè constituta & acta, tollere. Nunc venio ad Brutum, quem ego omni studio, te auctore, sum complexus: quem etiam amare cœperam: sed; dico? reuocaui me, ne te offenderem. noli enim putare, me quicquam maluisse, quàm vt mandatis facerem: nec vlla de re plus laborasse. mandatorum autem mihi libellum dedit: iisdémque de rebus tu mecum egeras. omnia sum diligentissimè persecutus. primùm ab Ariobarzane sic contendi, vt talenta, quæ mihi pollicebatur, illi daret. quoad mecum rex fuit, per-

bono loco res erat: post à Pompei procuratoribus sexcentis premi cœptus est. Pompeius autem cùm ob ceteras caussas plus potest vnus, quàm ceteri omnes, tum quòd putatur ad bellum Parthicum esse venturus. ei tamen sic nunc soluitur, tricesimo quoque die talenta Attica XXXIII, *& hoc ex tributis: nec id satis efficitur in vsuram menstruam. sed Cnæus noster clementer id fert: sorte caret: vsura, nec ea solida, contentus est. alij neque soluit cuiquam, nec potest soluere. nullum enim ærarium, nullum vectigal habet. Appij instituto tributa imperat. ea vix, in fœnus Pompei quod satis sit, efficiunt. amici regis duo, trésue perdiuites sunt: sed ij suum tam diligenter tenent, quàm ego, aut tu. equidem non desino tamen per litteras rogare, suadere, accusare regem. Deiotarus etiam mihi narrauit, se ad eum legatos misisse de re Bruti: eos sibi responsum retulisse, illum non habere: & mehercule ego ita iudico, nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius. itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, vt pro Glabrione Scæuola, fœnus & impendium recusare. ego tamen quas per te Bruto promiseram præfecturas M. Scaptio, L. Gauio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli. nec enim in prouincia mea negotiabantur. tu autem meministi, nos sic agere, vt quot vellet, præfecturas sumeret, dum ne negotiatori. itaque duas ei præterea dederam. sed ij, quibus petierat, de prouincia decesserant. Nunc cognosce de Salaminiis: quod video tibi etiam nouum accidisse, tanquam mihi. numquam enim ex*

illo audiui, illam pecuniam esse suam. quinetiam libellum ipsius habeo, in quo est, SALAMINII PECVNIAM DEBENT M. SCAPTIO, ET P. MATINIO, FAMILIARIBVS MEIS. *eos mihi commendat: adscribit etiam, & quasi calcar admouet, intercessisse se pro iis magnam pecuniam. confeceram, vt soluerent centesimis sexenny ductis cum renouatione singulorum annorum. at Scaptius quaternas postulabat. metui, si impetrasset, ne tu ipse me amare desineres. nam ab edicto meo recessissem; & ciuitatem, in Catonis, & in ipsius Bruti fide locatam, meísque beneficiis ornatam, funditus perdidissem. Atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse: quod nec mihi vmquam Brutus dixerat, nec tibi: etiam, vt præfecturam Scaptio deferrem. id verò per te exceperamus, ne negotiatori: quòd si cuiquam, huic tamen non. fuerat enim præfectus Appio; & quidem habuerat turmas equitum, quibus inclusum in Curia Senatum Salamine obsederat, vt fame Senatores quinque morerentur. itaque ego, quo die tetigi prouinciam, cùm mihi Cypry legati Ephesum obuiam venissent, litteras misi, vt equites ex insula statim decederent. His de caussis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum scripsisse. sed tamen hoc sum animo: si Brutus putabit me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota prouincia singulas obseruarem, itáque edixissem, ídque etiam acerbissimis fœneratoribus probaretur; si præfecturam ne-*

ne tu me ſolicitudine magna liberaris. Furnij exceptio mihi non placet. nec enim ego vllum aliud tempus timeo, niſi quod ille ſolùm excipit. ſed ſcriberem ad te de hoc plura, ſi Romæ eſſes. in Pompeium te ſpem omnem otij ponere non miror: ita res eſt; remouendúmq; cenſeo illud DISSIMVLANTEM. *ſed enim, οἰκονομία ſi perturbatior eſt, tibi aſſignato: te enim ſequor σχεδιάζοντα. Cicerones pueri amant inter ſe, diſcunt, exercentur: ſed alter, vti dixit Iſocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget, alter calcaribus. Quincto togam puram Liberalibus cogitabam dare. mandauit enim pater. ea ſic obſeruabo, quaſi intercalum non ſit. Dionyſius mihi quidem in amoribus eſt. pueri autem aiunt, eum furenter iraſci. ſed homo nec doctior, nec ſanctior fieri poteſt, nec tui meíque amantior. Thermum, Silium verè audis laudari. valde ſe honeſtè gerunt. adde M. Nonium, Bibulum, me, ſi voles. iam Scrofa, vellem, haberet vbi poſſet. eſt enim lautum negotium. ceteri infirmant* πολίτευμα *Catonis. Hortenſio quòd cauſſam meam commendas, valde gratum. De Amiano, ſpei nihil putat eſſe Dionyſius. Terentij nullum veſtigium agnoui. Mœragenes certè periit. feci iter per eius poſſeſſionem, in qua animal reliquum nullũ eſt. hæc non noram tum, cùm cum Democrito tuo locutus ſum. Rhoſiaca vaſa mandaui. Sed heus tu, quid cogitas infelicitatis? lancibus & ſplendidiſſimis caniſtris, oluſculis nos ſoles paſcere. quid te in vaſis fictilibus appoſiturum putem?* Κέρας *Phemio mandatum eſt: reperietur; modò aliquid*

aliquid illo dignum canat. Parthicum bellum impendet. Cassius ineptas litteras misit. nec dum Bibuli erat allatæ: quibus recitatis, puto fore, vt aliquando commoueatur Senatus. equidem sum magna animi perturbatione. si, vt opto, non prorogatur nostrum negotium, habeo Iunium, & Quinctilem in metu. esto; duos quidem menses sustinebit Bibulus. quid illo fiet, quem reliquero, præsertim si fratrem? quid me autem, si non tam citò decedo? magna turba est. mihi tamen cum Deiotaro conuenit, vt ille in meis castris esset cum suis copiis omnibus. habet autem cohortes quadringenarias nostra armatura, XXX; *equites* CIↃ CIↃ. *erit ad sustentandum, quoad Pompeius veniat; qui litteris, quas ad me mittit, significat, suum negotium illud fore. hiemant in nostra prouincia Parthi. exspectatur ipse Orodes. quid quæris? aliquantum est negotij. De Bibuli edicto nihil moui, præter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras,* NIMIS GRAVI PRAEIVDICIO IN ORDINEM NOSTRVM. *ego tamen habeo* ἰσοδυναμοῦσαν, *sed tectiorem, ex Q. Mucij P. F. edicto Asiatico,* EXTRA QVAM SI ITA NEGOTIVM GESTVM EST, VT EO STARI NON OPORTEAT; EX FIDE BONA: *multáque sum secutus Scæuolæ; in iis illud, in quo sibi libertatem censent Græci datam, vt Græci inter se disceptent suis legibus. breue autem edictum est propter hanc meam* διαίρεσιν, *quòd duobus generibus edicendum putaui: quorũ vnum est prouinciale,*

sed est totum, quod KAL. *Mart. futurum est. vereor enim, ne, cùm de prouincia agetur, si Cæsar resistet, nos retineamur. his tu si adesses, nihil timerem. Redeo ad vrbana: quæ ego diu ignorans, ex tuis iucundissimis litteris* A.D. V. KAL. *Ian. denique cognoui. eas diligentissimè Philogenes libertus tuus, curauit, per longa, & non satis tuta via, perferendas. nam quas Lenij pueris scribis datas, non acceperam. Iucundè de Cæsare, & quæ Senatus decreuit, & quæ tu speras: quibus ille si cedit, salui sumus. Incendio Plætoriano quòd Leius adustus est, minùs molestè fero. Lucceius de Q. Cassio cur tam vehemens fuerit, & quid actum sit, haueo scire. Ego, cùm Laodiceam venero, Quincto, sorori tuæ filio, togam puram iubeor dare; cui moderabor diligentius. Deiotarus, cuius auxiliis magnis vsus sum, ad me, vt scripsit, cum Ciceronibus Laodiceam venturus erat. Tuas etiam Epiroticas exspecto litteras; vt habeam rationem nón modò negotij, verum etiam otij tui. Nicanor in officio est, & à me liberaliter tractatur: quem, vt puto, Romam cum litteris publicis mittam; vt diligentiùs perferantur, & idem ad me certa de te, & à te referat. Alexis quòd mihi toties salutem adscribit, est gratum. sed cur non suis litteris idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Phemio quæritur* κέρας. *Sed hæc hactenus. Cura, vt valeas, & vt sciam, quando cogites Romam. etiam atque etiam vale. Tua, tuósque Thermo & præsens Ephesi diligentissimè commendaram, & nũc per litteras: ipsúmq; intellexi esse perstudiosum*

tui. Tu velim, quod antea ad te scripsi, de domo Pammeni, des operam, vt, quod tuo, meóq; beneficio puer habet, cures, ne qua ratione cõuellatur. vtrique nostrũ honestũ existimo; tum mihi erit pergratum.

CICERO ATTICO S. XXI.

Te in Epirum saluum venisse, & , vt scribis, ex sententia nauigasse, vehementer gaudeo: non esse Romæ meo tempore pernecessario, submolestè fero; hoc me tamen consolor; non spero te istic iucundè hiemare, & libenter requiescere. Cassius, frater Q. Cassij, familiaris tui, pudentiores illas litteras miserat (de quibus tu ex me requiris, quid sibi voluerint) quàm eas, quas postea misit, quibus per se scribit confectũ esse Parthicum bellum. recesserant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli aduentum, sed nullo nostro εὐημερήματι. hodie verò hiemant in Cyrrhestica, maximúmque bellum impendet. nam & Orodes, regis Parthorum filius, in prouincia nostra est: nec dubitat Deiotarus, cuius filio pacta est Artauasdis filia, ex quo sciri potest, quin cum omnibus copiis ipse prima æstate Euphratem transiturus sit. quo autem die Cassij litteræ victrices in Senatu recitatæ sunt, id est, Nonis Octobribus, eodem meæ tumultum nuntiantes. Axius noster ait, nostras auctoritatis plenas fuisse; illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatæ: quas certò scio plenas timoris fore. Ex iis rebus hoc vereor, ne, cùm Pompeius propter metum rerum nouarum

nusquom dimittatur, Cæsari nullus honos à Senatu habeatur; dum hic nodus expediatur, non putet Senatus, nos ante quàm successum sit, oporttre decedere: nec in tanto motu rerum tantis prouinciis singulos legatos præesse. hîc, ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo: atque eò magis, quòd tu abes, qui consilio, gratia, studio multis rebus occurreres. sed dices me ipsum mihi solicitudinem struere. cogor: & velim ita sit. sed omnia metuo. etsi bellum ἀκροτελεύτιον *habet illa tua epistola, quam dedisti nauseans Buthroto:* TIBI, VT VIDEO ET SPERO, NVLLA AD DECEDENDVM ERIT MORA. *mallem,* VT VIDEO: *nihil opus fuit,* VT SPERO. *acceperam autem satis celeriter Iconij per Publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. in his* γλυκύπικρον *illud confirmas, moram mihi nullam fore: deinde addis, si quid secus, te ad me fore venturum. pungunt me dubitationes tuæ: simul & vides, quas acceperim litteras. nam quas Hermoni centurionis Camulæ ipse scribis te dedisse, non accepi. Lenij pueris te dedisse, sæpe ad me scripseras. eas Laodiceæ denique, cùm eò venissem,* III. ID. *Febr. Lenius mihi reddidit, datas* A. D. X. KAL. *Octobres. Lenio tuas commendationes & statim verbis, & reliquo tempore re probabo: hæ litteræ cetera vetera habebant, vnum hoc nouum, de Cybiratis pantheris. multum te amo, quòd respondisti M. Octauio, te non putare. sed posthac omnia, quæ certa non erunt, pro certo negato. nos enim*

& nostra sponte bene firmi, & mehercule auctoritate tua inflammati vicimus omnes (hoc tu ita reperies) cùm abstinentia, tum iustitia, facilitate, clementia. caue putes quicquam homines magis vnquam esse miratos, quam nullum teruntium, me obtinente prouinciam, sumptus factum esse nec in Rempublicam, nec in quemquam meorum, præterquam in L. Tullium legatum. is, ceteroqui abstinens, (sed Iulia lege trāsitans, semel tamen in diem, non, vt alij solebant, omnibus vicis; præter eum semel, nemo accepit), facit vt mihi excipiendus sit, cùm teruntium nego sumptus factum. præter eum accepit nemo. has à nostro Q. Titinio sordes accepimus. Ego, æstiuis confectis, Quinctum fratrem hibernis, & Ciliciæ præfeci. Q. Volusium, tui Tiberij generum, certum hominem, sed mirificè etiam abstinentem, misi in Cyprum, vt ibi pauculos dies esset; ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarent. nam euocari ex insula Cyprios non licet. ipse in Asiam profectus sum Tarso Nonis Ianuariis; non mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciæ ciuitatum, maximéque Tarsensium. postea verò quàm Taurum transgressus sum, mirifica exspectatio Asiæ nostrarum diœcesium, quæ sex mensibus imperij mei nullas meas acceperat litteras, numquam hospitem viderat. illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quæstu. ciuitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant: Cyprij talenta Attica CC. qua ex insula (non ὑπερβολικῶς, sed

verissimè loquor) nummus nullus me obtinente erogabatur. ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino: statuas, fana, τέθριππα prohibeo: nec sum in vlla re alia molestus ciuitatibus; sed fortasse tibi, qui hæc prædicem de me. perfer, si me amas. tu enim me hæc facere voluisti. Iter igitur ita per Asiam feci, vt etiam fames, qua nihil miserius est, quæ tum erat in hac mea Asia, (messis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit. quacunque iter feci, nulla vi, nullo iudicio, nulla contumelia, auctoritate, & cohortatione perfeci, vt & Græci, & ciues Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur. Idibus Februariis, quo die has litteras dedi, forum institueram agere Laodiceæ Cybiraticum, & Apamense: ex Idibus Mart. ibidem Synnadense, Pamphylium (tum Phemio dispiciam κέρας Aonium) Isauricum: ex Idibus Mai. in Ciliciam, vt ibi Iunius consumatur. velim tranquille à Parthis. Quinctilis, si erit, vt volumus, in itinere est, per prouinciam redeuntibus, consumendus. venimus enim in prouinciam, Laodiceam, Sulpicio, & Marcello COSS. pridie KAL. Sextiles. inde nos oportet decedere A. D. IIII. KAL. Sext. primùm contendam à Quincto fratre, vt se præfici patiatur: quod & illo, & me inuitissimo fiet. sed aliter honestè fieri non potest, præsertim cùm, virum optimum, Pomtinum ne nunc quidem retinere possim. rapit enim hominem Postumius Romam, fortasse etiam Postumia. Habes

consilia nostra. nunc cognosce de Bruto. Familiaris habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum, ex Cypro, M. Scaptium, & P. Matinium; quos mihi maiorem in modum commendauit. Matinium non noui. Scaptius ad me in castra venit. pollicitus sum curaturum me, Bruti caussa, vt ei Salaminij pecuniam soluerent. egit gratias. præfecturam petiuit. negaui me cuiquam negotianti dare: quod idem tibi ostenderam. Cn. Pompeio petenti probaram institutum meum: quid dicam? Torquato, de M. Lenio tuo; multis aliis. si præfectus vellet esse syngraphæ caussa, me curaturum, vt exigeret. gratias egit: discessit. Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coerceret; & eundem habuerat præfectum. vexabat Salaminios. ego equites ex Cypro decedere iussi. molestè tulit Scaptius. quid multa? vt ei fidem meam præstarem; cùm ad me Salaminij Tarsum venissent, & ~~in his~~ Scaptius, imperaui, vt pecuniam soluerent. multa de syngrapha, de Scaptij iniuriis. negaui me audire. hortatus sum; petiui etiam pro meis in ciuitatem beneficiis, vt negotium conficerent: denique dixi me coacturum. homines non modò non recusare, sed etiam hoc dicere, se à me soluere. quod enim Prætori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se à me quodam modo dare; atque etiam minus esse aliquanto in Scaptij nomine, quàm in vectigali Prætorio. collaudaui homines. rectè, inquit Scaptius: sed subducamus summam. interim cùm ego in edicto tralaticio centesimas me

obseruaturũ haberem, cum anatocis anniuersariò; ille ex syngrapha postulabat quaternas. quid ais? inquam. possúmne contra meum edictum? at ille profert S.C. Lentulo Philippóq; COSS. vt, qui Ciliciam obtineret, ius ex illa syngrapha diceret. cohorrui primò: & erat enim interitus ciuitatis. reperio duo S.C. iisdem Consulibus de eadem syngrapha. Salaminij cùm Romæ versuram facere vellent, non poterant; quòd lex Gabinia vetabat. tum ij Bruti familiares, freti gratia Bruti, dare solebant IIII. si sibi S.C. caueretur. fit gratia Bruti S.C. VT NE VE SALAMINIIS, NE VE QVI EIS DEDISSET, FRAVDI ESSET. pecuniam numerarunt: & postea venit in mentem fœneratoribus, nihil se iuuare illud S.C. quòd ex syngrapha ius dici lex Gabinia vetaret. tum fit S.C. VT ET EA SYNGRAPHA ESSET QVA VI CETERAE. Sed vt eodem; cùm hæc disseruissem; seducit me Scaptius; ait se nihil contradicere; sed illos putare talenta CC se debere; ea se velle accipere: debere autem illos paulo minus: rogat, vt eos ad CC perducam. optimè, inquam. voco illos ad me, remoto Scaptio. quid vos? quantum, inquam, debetis? respondent, CVI. refero ad Scapium. homo clamare. quid opus est? inquam. rationes conferatis. assidunt; subducunt; ad nummum conuenit. illi se numerare velle, vrgere vt acciperet. Scaptius me rursus seducit: rogat, vt rem sic relinquam. dedi veniam homini impudenter petenti. Græcis querentibus; vt in fano deponerent postulantibus non concessi. clamare omnes qui aderant, nihil inpu-

dentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset: alij, nihil stultius. mihi autem impudens magis, quam stultus, videbatur. nam aut bono nomine, centesimis contentus erat; aut, non bono, quaternas centesimas sperabat. Habes meam caussam: quæ si Bruto non probatur; nescio, cur illum amemus: sed auunculo eius certè probabitur, præsertim cum s.c. modò factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum caussa, vt centesimæ perpetuo fœnore ducerentur. hoc quid intersit, si tuos digitos noui, certè habes subductum. in quo quidem ὁδοῦ πάρεργον, Lucceius M.F. queritur apud me per litteras, summum esse periculum, ne culpa Senatus, his decretis, res ad tabulas nouas perueniat. commemorat, quid olim mali C. Iulius fecerit, cùm dieculam duxerit: numquam Resp. plus. Sed ad rem redeo. meditare aduersus Brutum caussam meam: si hæc caussa est, contra quam nihil honestè dici potest; præsertim cùm integram rem & caussam reliquerim. Reliqua sunt domestica. De ἐνδομύχῳ, probo idem, quod tu, Postumiæ F; quoniam Pontidia nugatur. sed vellem adesses. a Quincto fratre his mensibus nihil exspectaris. nam Taurus propter niues ante mensem Iunium transiri non potest. Thermum, vt rogas, creberrimis litteris fulcio. P. Valerium negat habere quicquam Deiotarus rex, eúmque ait à se sustentari. Cùm scies, Romæ intercalatum sit, nécne; velim ad me scribas certùm, quo die mysteria futura sint. Litteras tuas minùs paulo exspecto, quam si Romæ esses; sed tamen exspecto.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER VI.

CICERO ATTICO. S. I.

ACCEPI *tuas litteras* A.D. *quintum Terminalia Laodiceæ, quas legi libentissimè, plenissimas amoris, humanitatis, officij, diligentiæ. his igitur respondebo: sic enim postulas: nec οἰκονομίαν meam instituam; sed ordinem conseruabo tuum. Recentissimas à Cybistris te meas litteras habere ais,* A.D. X. KAL. *Octob. datas: & scire vis, tuas ego quas acceperim: omnis ferè, quas commemoras, præter eas, quas scribis Lentuli pueris & Equotutico, & Brundisio datas. quare non οἴχεται tua industria, quod vereris, sed præclarè ponitur; si quidem id egisti, vt ego delectarer. nam nulla re sum delectatus magis. Quòd meam βαθύτητα in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto probo; vehementer gaudeo: ac putaram secus. Appius enim ad me ex itinere bis, térve ὑπομεμψιμοίρους litteras miserat, quòd quædam à se constituta rescinderem. vt si medicus, cùm ægrotus alij medico traditus sit, irasci velit ei medico, qui sibi successerit, si, quæ ipse in curando constituerit, mutet ille: sic Appius, cùm ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam,*

προσανατρεφομένην eam à me non libenter videt; ſed modò ſuſcenſet, modò gratias agit. nihil enim à me fit cum vlla illius contumelia. tantummodo diſſimilitudo meæ rationis offendit hominem. quid enim poteſt eſſe tam diſſimile, quàm illo imperante, exhauſtam eſſe ſumptibus, & iacturis prouinciam; nobis eam obtinentibus, nummum nullum eſſe erogatum nec priuatim, nec publicè? Quid dicam de illius præfectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? nunc autem domus mehercule nulla tanto conſilio, aut tanta diſciplina gubernatur, aut tam modeſta eſt, quàm noſtra tota prouincia. hæc nonnulli amici Appij ridiculè interpretantur: qui me idcirco putent bene audire velle, vt ille malè audiat, & rectè facere non meæ laudis, ſed illius contumeliæ cauſſa. ſin Appius, vt Bruti litteræ, quas ad te miſi ſignificabant, gratias nobis agit, non moleſtè fero: ſed tamen eo ipſe die, quo hæc ante lucem ſcribebam, cogitabam eius multa, iniquè conſtituta & acta, tollere. Nunc venio ad Brutum, quem ego omni ſtudio, te auctore, ſum complexus: quem etiam amare cœperam: ſed; dico? reuocaui me, ne te offenderem. noli enim putare, me quicquam maluiſſe, quàm vt mandatis, facerem: nec vlla de re plus laboraſſe. mandatorum autem mihi libellum dedit: iiſdémque de rebus tu mecum egeras. omnia ſum diligentiſſimè perſecutus. primùm ab Ariobarzane ſic contendi, vt talenta, quæ mihi pollicebatur, illi daret. quoad mecum rex fuit, per-

bono loco res erat: post à Pompeij procuratoribus sexcentis premi cœptus est. Pompeius autem cùm ob ceteras caussas plus potest vnus, quàm ceteri omnes, tum quòd putatur ad bellum Parthicum esse venturus. ei tamen sic nunc soluitur, tricesimo quoque die talenta Attica XXXIII, *& hoc ex tributis: nec id satis efficitur in vsuram menstruam. sed Cnæus noster clementer id fert: sorte caret: vsura, nec ea solida, contentus est. alij neque soluit cuiquam, nec potest soluere. nullum enim ærarium, nullum vectigal habet. Appij instituto tributa imperat. ea vix, in fœnus Pompeij quod satis sit, efficiunt. amici regis duo, trésue perdiuites sunt: sed ij suum tam diligenter tenent, quàm ego, aut tu. equidem non desino tamen per litteras rogare, suadere, accusare regem. Deiotarus etiam mihi narrauit, se ad eum legatos misisse de re Bruti: eos sibi responsum retulisse, illum non habere: & mehercule ego ita iudico, nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius. itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, vt pro Glabrione Scæuola, fœnus & impendium recusare. ego tamen quas per te Bruto promiseram præfecturas M. Scaptio, L. Gauio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli. nec enim in prouincia mea negotiabantur. tu autem meministi, nos sic agere, vt quot vellet, præfecturas sumeret, dum ne negotiatori. itaque duas ei præterea dederam. sed ij, quibus petierat, de prouincia decesserant. Nunc cognosce de Salaminiis: quod video tibi etiam nouum accidisse, tanquam mihi. numquam enim ex*

illo audiui, illam pecuniam esse suam. quinetiam libellum ipsius habeo, in quo est, SALAMINII PECVNIAM DEBENT M. SCAPTIO, ET P. MATINIO, FAMILIARIBVS MEIS. *eos mihi commendat: adscribit etiam, & quasi calcar admouet, intercessisse se pro iis magnam pecuniam. confeceram, vt soluerent centesimis sexennij ductis cum renouatione singulorum annorum. at Scaptius quaternas postulabat. metui, si impetrasset, ne tu ipse me amare desineres. nam ab edicto meo recessissem; & ciuitatem, in Catonis, & in ipsius Bruti fide locatam, meísque beneficiis ornatam, funditus perdidissem. Atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse: quod nec mihi vmquam Brutus dixerat, nec tibi: etiam, vt præfecturam Scaptio deferrem. id verò per te exceperamus, ne negotiatori: quòd si cuiquam, huic tamen non. fuerat enim præfectus Appio; & quidem habuerat turmas equitum, quibus inclusum in Curia Senatum Salamine obsederat, vt fame Senatores quinque morerentur. itaque ego, quo die tetigi prouinciam, cùm mihi Cyprij legati Ephesum obuiam venissent, litteras misi, vt equites ex insula statim decederent. His de caussis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum scripsisse. sed tamen hoc sum animo: si Brutus putabit me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota prouincia singulas obseruarem, itáque edixissem, ídque etiam acerbissimis fœneratoribus probaretur; si præfecturam ne-*

gotiatori denegatam queretur, quod ego Torquato nostro in tuo Lenio, Pompeio ipsi in Sex. Statio negaui, & iis probaui; si equites deductos molestè feret; accipiam equidem dolorem, mihi illum irasci, sed multo maiorem, non esse eum talem, qualem putassem. Illud quidem fatebitur Scaptius, me ius dicente, sibi omnem pecuniam ex edicto meo auferendi potestatem fuisse. Addo etiam illud, quod vereor, tibi ipsi vt probem: consistere vsura debuit, quæ erat in edicto meo. deponere volebant: impetraui ab Salaminiis, vt silerent. veniam illi quidem mihi dederunt; sed quid iis fiet, si huc Paullus venerit? sed totum hoc Bruto dedi, qui de me ad te humanissimas litteras scripsit: ad me autem, etiam cùm rogat aliquid, contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere. tu autem velim ad eum scribas de his rebus; vt sciam, quo modo hæc accipiat. facies enim me certiorem. atque hoc superioribus litteris ad te diligenter perscripseram. sed planè te intelligere volui, mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam litteris scripsisses; si nihil aliud de hac prouincia, nisi illius beneuolentiam, deportassem, mihi id satis esse. sit sanè; quoniam ita tu vis: sed tamen cum eo credo, quod sine peccato meo fiat. Igitur meo decreto soluta re Scaptio; statim quàm decretum sit, tu iudicabis, ne ad Catonem quidem prouocabo. sed noli me putare ἐγκελεύσματα illa tua abiecisse, quæ mihi in visceribus hærent. flens mihi meam famam commendasti. quæ epistola tua est, in qua mentionem non facias?

id verū

itaque irascatur, qui volet: patiar. τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, præsertim cùm sex libris tanquam prædibus me ipsum obstrinxerim: quos tibi tam valde probari gaudeo: è quibus vnum ἱστορικὸν requiris de Cn. Flauio M. F. ille verò ante Decemuiros non fuit: quippe qui Aedilis curulis fuerit: qui magistratus multis annis post Decemuiros institutus est. quid ergo profecit, quòd protulit fastos? occultatam putant quodam tempore istam tabulam, vt dies agendi peterentur à paucis. nec verò pauci sunt auctores, Cn. Flauium scribam fastos protulisse, actionésque composuisse: ne me hoc, vel potius Africanum, (is enim loquitur) commentum putes. Οὐκ ἔλαθέ σε illud de gestu histrionis; tu sceleste suspicaris, ego ἀφελῶς scripsi. De me imperatore scribis te ex Philotimi litteris cognosse. sed credo te, iam in Epiro cùm esses, binas meas de omnibus rebus accepisse, vnas à Pindenisso capto, alteras Laodicea, vtrasque tuis pueris datas. quibus de rebus, propter casum nauigandi, per binos tabellarios misi Romam litteras publicè. De Tullia mea tibi assentior; scripsíque ad eam, & ad Terentiam, mihi placere. tu enim ad me iam ante scripseras, AC VELLEM TE IN TVVM VETEREM GREGEM RETVLISSES. *correcta verò epistola Memmiana, nihil negotij fuit. multo enim malo hunc à Pontidia, quàm illũ à Seruilia. quare adiunges Aufium nostrũ, hominem semper amantem me; nũc credo, eo magis, quòd debet etiã fratris Appij amorem erga me cum reliqua hereditate creuisse; qui declarauit, quanti me faceret, cùm sæpe, tum in Bursa.*

ne tu me solicitudine magna liberaris. Furnij exceptio mihi non placet. nec enim ego vllum aliud tempus timeo, nisi quod ille solùm excipit. sed scriberem ad te de hoc plura, si Romæ esses. in Pompeium te spem omnem otij ponere non miror: ita res est; remouendúmque censeo illud DISSIMVLANTEM. *sed enim, οἰκονομία si perturbatior est, tibi assignato: te enim sequor σχεδιάζοντα. Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercentur: sed alter, vti dixit Isocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget, alter calaribus. Quincto togam puram Liberalibus cogitabam dare. mandauit enim pater. ea sic obseruabo, quasi intercalum non sit. Dionysius mihi quidem in amoribus est. pueri autem aiunt, eum furenter irasci. sed homo nec doctior, nec sanctior fieri potest, nec tui meique amantior. Thermum, Silnium verè audis laudari. valde se honestè gerunt. adde M. Nonium, Bibulum, me, si voles. iam Scrofa, vellem, haberet vbi posset. est enim lautum negotium. ceteri infirmant πολίτευμα Catonis. Hortensio quòd caussam meam commendas, valde gratum. De Amiano, spei nihil putat esse Dionysius. Terentij nullum vestigium agnoui. Mœragenes certè periit. feci iter per eius possessionem, in qua animal reliquum nullũ est. hæc non noram tum, cùm cum Democrito tuo locutus sum. Rhosiaca vasa mandaui. Sed heus tu, quid cogitas infelicitatis? lancibus & splendidissimis canistris, olusculis nos soles pascere. quid te in vasis fictilibus appositurum putem? Κέρας Phemio mandatum est: reperietur; modò*

aliquid

aliquid illo dignum canat. Parthicum bellum impendet. Cassius ineptas litteras misit. nec dum Bibuli erant allatæ: quibus recitatis, puto fore, vt aliquando commoueatur Senatus. equidem sum magna animi perturbatione. si, vt opto, non prorogatur nostrum negotium, habeo Iunium, & Quinctilem in metu. esto; duos quidem menses sustinebit Bibulus. quid illo fiet, quem reliquero, præsertim si fratrem? quid me autem, si non tam citò decedo? magna turba est. mihi tamen cum Deiotaro conuenit, vt ille in meis castris esset cum suis copiis omnibus. habet autem cohortes quadringenarias nostra armatura, XXX; equites CIↃ CIↃ. erit ad sustentandum, quoad Pompeius veniat; qui litteris, quas ad me mittit, significat, suum negotium illud fore. hiemant in nostra prouincia Parthi. exspectatur ipse Orodes. quid quæris? aliquantum est negotij. De Bibuli edicto nihil noui, præter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras, NIMIS GRAVI PRAEIVDICIO IN ORDINEM NOSTRVM. ego tamen habeo ἰσοδυναμοῦσαν, sed tectiorem, ex Q. Mucij P. F. edicto Asiatico, EXTRA QVAM SI ITA NEGOTIVM GESTVM EST, VT EO STARI NON OPORTEAT; EX FIDE BONA: multáque sum secutus Scæuolæ; in iis illud, in quo sibi libertatem censent Græci datam, vt Græci inter se disceptent suis legibus. breue autem edictum est propter hanc meam διαίρεσιν, quòd duobus generibus edicendum putaui: quorũ vnum est prouinciale,

in quo eſt de rationibus ciuitatum, de ære alieno, de
vſura, de ſyngraphis; in eodem omnia de Publica-
nis: alterum, quod ſine edicto ſatis commodè tran-
ſigi non poteſt, de hereditatum poſſeſſionibus, de bo-
nis poſſidendis, magiſtris faciendis, vendendis:
quæ ex edicto & poſtulari, & fieri ſolent. tertium,
de reliquo iure dicundo, ἄγραφον reliqui. dixi me de
eo genere mea decreta ad edicta vrbana accommo-
daturum: itáque curo, & ſatisfacio adhuc omni-
bus. Græci verò exultant, quòd peregrinis iudi-
cibus vtuntur. nugatoribus quidem, inquies. quid
refert? tamen ſe αὐτονομίαν adeptos putant. veſtri
enim, credo, grauis habent, Turpionem ſutori-
um, & Vettium mancipem. De Publicanis quid
agam, videris quærere. habeo in deliciis, obſequor,
verbis laudo, orno; efficio, ne cui moleſti ſint. τὸ
παραδοξότατον, vſuras eorum, quas pactionibus ad-
ſcripſerant, ſeruauit etiam Seruilius, ego ſic. diem
ſtatuo ſatis laxam; quam ante ſi ſoluerint, dico me
centeſimas ducturum: ſi non ſoluerint, ex pactione.
itaque & Græci ſoluunt tolerabili fœnore; & Pu-
blicanis res eſt gratiſſima. ſic illa iam habent, ple-
no modio, verborum honorem, inuitationem cre-
bram. quid plura? ſunt omnes ita mihi familiares,
vt ſe quiſque maximè putet. ſed tamen μηδὲν αὐ-
τοῖς. ſcis reliqua. De ſtatua Africani, (ὢ πραγ-
μάτων ἀσυγκλώστων! ſed me ipſum delectauit in tuis
litteris) ain' tu? Scipio hic Metellus proauum
ſuum neſcit Cenſorem non fuiſſe? atqui nihil ha-
buit aliud inſcriptum, niſi COS. ea ſtatua, quæ

ad Opis per te posita in excelso est. in illa item, quæ est ad πολυδεύκους, hercule inscriptum est, COS. quam esse eiusdem, status, amictus, anulus, imago ipsa declarat. at mehercule ego cùm in turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animaduertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putaui, nunc video Metelli. ô ἀνιστορησίαν turpem. Nam illud de Flauio & fastis, si secus est, commune erratum est; & tu bellè ἠπόρησας; & nos publicam prope opinionem secuti sumus, vt multa apud Græcos. quis enim non dixit, Εὔπολιν, τὸν τῆς ἀρχαίας, ab Alcibiade, nauigante in Siciliam, deiectum esse in mare? redarguit Eratosthenes. adfert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit. num idcirco Duris Samius, homo in historia diligens, quòd cum multis errauit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur iacet Theophrastus, si id à Timæo, tuo familiari, reprehensum est? Sed nescire proauum suum Censorem non fuisse, turpe est: præsertim cùm post eum Consulem nemo Cornelius, illo viuo, Censor fuerit. Quod de Philotimo, & de solutione HS. XXDC. scribis, Philotimum circiter KAL. Ianu. in Chersonnesum audio venisse: ac mihi ab eo nihil adhuc. reliqua mea Camillus scribit se accepisse. ea quæ sint, nescio, & haueo scire. verùm hæc posterius & coram fortasse commodiùs. Illud me, mi Attice, in extrema ferè parte epistolæ commouit: scribis enim sic, τί λοιπὸν? deinde me obsecras amantissimè,

ne obliuiſcar vigilare, & vt animaduertam, quæ fiant. num quid de quo inaudiſti? etſi nihil eiuſmodi eſt. πολλοῦ γε καὶ δεῖ. nec enim me fefelliſſet, nec fallet. ſed iſta admonitio tua tam accurata, neſcio quid mihi ſignificare viſa eſt. De M. Octauio, iterum tibi reſcribo, te illi probè reſpondiſſe. paulo vellem fidentiùs. Nam Cœlius libertum ad me miſit, & litteras accuratè ſcriptas: ſed de pantheris, fœdè, ac ciuitatibus. reſcripſi, alterum me moleſtè ferre, ſi ego in tenebris laterem, nec audiretur Romæ, nullum in mea prouincia nummum, niſi in æs alienum, erogari; docuíque, nec mihi conciliare pecuniam licere, nec illi capere: monuíque eum, quem planè diligo, vt, cùm alios accuſaſſet, cautiùs viueret. illud autem alterum, alienum eſſe exiſtimatione mea, Cybiratas imperio meo publicè venari. Lepta tua epiſtola gaudio exultat. etenim ſcripta bellè eſt, méque apud eum magna in gratia poſuit. Filiola tua gratum mihi fecit, quòd tibi diligenter mandauit, vt mihi ſalutem adſcriberes; gratum etiam Pilia: ſed illa officioſiùs, quòd mihi, quem iam pridem numquam videt. igitur tu quoque ſalutem vtrique adſcribito. Litteras daturus pridie KAL. Ianu. ſuauem habuit recordationem clariſſimi iuriſiurandi: quod ego non eram oblitus. magnus enim prætextatus illo die fui. Habes ad omnia, non, vt poſtulaſti, χρύσεα χαλκείων; ſed paria paribus reſpondimus. Ecce autem alia puſilla epiſtola; quàm non relinquam ἀναντιφώνητον. Benè mehercule potuit Lucceius Tuſculanum; niſi fortè.

Cybiratis.

Salutē vtrique adſcribito litteras daturus. pridie etc.

ſolet enim, cum ſuo tibicine: & velim ſcire, quis ſit ſtatus eius. Lentulum quidem noſtrum, præ ære, Tuſculanum proſcripſiſſe audio. cupio hos expeditos videre: cupio etiam Seſtium: adde, ſi vis Cœlium: quibus omnibus eſt, αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ᾽ ὑποδέχθαι. De Memmio reſtituendo vt Curio cogitet, te audiſſe puto. De Egnatij Sidicini nomine, nec nulla, nec magna ſpe ſumus. Pinarium, quem mihi commendas, diligentiſſimè Deiotarus curat, grauiter ægrum. Reſpondi etiam minori. Tu, velim, dum ero Laodiceæ, id eſt ad Idus Mai. quam ſæpiſſime mecum per litteras colloquare: & cùm Athenas veneris, (iam enim ſciemus de rebus vrbanis, de prouinciis, quæ omnia in menſem Martium ſunt collata) vtique ad me tabellarios mittas. Sed heus tu, iám ne vos à Cæſare, per Herodem, talenta Attica L. extorſiſtis? in quo, vt audio, magnum odium Pompeij ſuſcepiſtis. putat enim, ſuos nummos vos comediſſe; Cæſarem in Nemorenſi ædificando diligentiorem fore. hoc ego ex P. Vedio, magno nebulone, ſed Pompeij tamen familiari, audiui. hic Vedius venit mihi obuiam cum duobus eſſedis, & rheda equis iuncta, & lectica, & familia magna: pro qua, ſi Curio legem pertulerit, HS centena pendat neceſſe eſt. erat præterea cynocephalus in eſſedo: nec deerant onagri. numquam vidi hominem nequiorem. ſed extremum audi. diuerſatus eſt Laodiceæ apud Pompeium Vindullum: ibi ſua depoſuit, cùm ad me profectus eſt. moritur interim Vindullus: quæ res ad Magnum Pompeium pertinere

putabatur. C. Vennonius domum Vindulli venit: cùm omnia obsignaret, in Vedianas res incidit. in his inuentæ sunt quinque planguncula matronarum, in quibus vna sororis amici tui, hominis [redacted]*, qui hoc vtatur; & illius* [redacted]*, qui hæc tam negligenter ferat. hæc te volui* παριστορῆσαι. *sumus enim ambo bellè curiosi. Vnum etiam velim cogites. audio Appium* προπύλαιον *Eleusine facere. num inepti fuerimus, si nos quoque Academiæ fecerimus? puto, inquies. ergo id ipsum scribes ad me. equidem valde ipsas Athenas amo: volo esse aliquod monumentum. odi falsas inscriptiones statuarum alienarum. sed vt tibi placebit: faciésque me, in quem diem Romæ incidant mysteria, certiorem, & quo modo hiemaris. Cura vt valeas. Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quincto.*

CICERO ATTICO S. II.

CVM *Philogenes, libertus tuus, Laodiceam ad me, salutandi caussa, venisset, & se statim ad te nauigaturum esse diceret; has ei litteras dedi; quibus ad eas rescripsi, quas acceperam à Bruti tabellario. & respondebo primùm postremæ tuæ paginæ; quæ mihi magnæ molestiæ fuit; quòd ad te scriptum est à Cincio de Statij sermone: in quo hoc molestissimum est; Statium dicere, à me quoque id consilium probari. probari autem? de isto hactenus. dixerim, me vel plurima vincla tecum summæ coniunctionis optare: & sunt amoris arctissima: tantum*

abest, vt ego ex eo, quo astricti sumus, laxari aliquid velim. illum autem multa de istis rebus asperius solere loqui, sæpe sum expertus, sæpe etiam leniui iratum. id scire te arbitror. in hac autem peregrinatione, militiáue nostra sæpe incensum ira vidi, sæpe placatum. quid ad Statium scripserit, nescio. quidquid acturus de tali re fuit, scribendum tamen ad libertum non fuit. mihi autem erit maximè curæ, ne quid fiat secus, quàm volumus, quámque oportet. nec satis est in eiusmodi re, se quenque præstare. ac maximè partes istius officij sunt pueri Ciceronis, siue iam adolescentis: quod quidem illum soleo hortari. ac mihi videtur matrem valde vt debet, amare, téque mirificè. sed est magnum illud quidem, veruntamen multiplex pueri ingenium: quo ego regendo habeo negotij satis. Quoniam respondi postremæ tuæ paginæ prima mea; nunc ad primam reuertar tuam. Peloponnesias ciuitates omnis maritimas esse, hominis non nequam, sed etiam tuo iudicio probati, Dicæarchi tabulis credidi. is multis nominibus in Trophoniana Charonis narratione Græcos in eo reprehendit, quòd mare tam secuti sunt: nec vllum in Peloponneso locum excipit. cùm mihi auctor placeret, (etenim erat ἱϛορικώτατος, & vixerat in Peloponneso) admirabar tamen: &, vix accredens, communicaui cum Dionysio. atque is primò est commotus: deinde, quòd tum de isto Dicæarcho non minùs bene existimabat, quàm tu de C. Vestorio, ego de M. Cluuio, non dubitabat, quin ei crederemus.

Arcadiæ censebat esse Lepreon quoddam maritimum: Tene autem, & Aliphera, & Tritia νεόκτιστα ei videbantur; idque τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ confirmabat, vbi mentio non fit istorum. atque istum ego locum totidem verbis a Dicæarcho transtuli. Phliasios autem dici sciebam: & ita fac vt habeas: nos quidem sic habemus. sed primò me ἀναλογία deceperat, φλιοῦς, ὀποῦς, σιποῦς. quod ὀπούντιοι, σιπούντιοι. sed hoc continuò correximus. Lætari te nostra moderatione & continentia video. tum id magis faceres, si adesses, atque hoc foro, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceæ ad KAL. *Mai. omnium diœcesium, præter, Ciliciæ. mirabilia quædam effecimus: ita multæ ciuitates omni ære alieno liberatæ, multæ valde leuatæ sunt: omnes suis legibus, & iudiciis vsæ, αὐτονομίαν adeptæ, reuixerunt. his ego duobus generibus facultatem ad se ære alieno liberandas, aut leuandas dedi; vno, quòd omnino nullus in imperio meo sumptus factus est, (nullum cùm dico, nõ loquor ὑπερβολικῶς) nullus, inquam, nè teruntius quidem. hac autem re, incredibile est, quantum ciuitates emerserint. accessit altera. Mira erant in ciuitatibus ipsorum furta Græcorum, quæ magistratus sui fecerant. quæsiui ipse de iis, qui annis decem proxiximis magistratum gesserant. apertè fatebantur. itaque sine vlla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt. populi autem, nullo gemitu, Publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiam superioris lustri reddiderunt. itaque Publicanis in oculis sumus. gratis, inquis, viris. sensimus.*

Iam cetera iurifdictio nec impetrita, & clemens cum admirabili facilitate. aditus autem ad me minimè prouinciales. nihil per cubicularium. ante lucem inambulabam domi, vt olim candidatus. grata hæc, & magna, mihique nondum laboriosa ex illa vetere militia. Nonis Mai. in Ciliciam cogitabam: ibi cùm Iunium mensem consumpsissem, atque vtinam in pace, (magnum enim bellum impendet à Parthis) Quinctilem in reditu ponere. annua enim mihi opera A. D. III. KAL. *Sext. emerentur. magna autem in spe sum, mihi nihil temporis prorogatum iri. habebam acta vrbana vsque ad Nonas Martias; è quibus intelligebam, Curionis nostri constantia omnia potius actum iri, quàm de prouinciis. ergo, vt spero, propediem te videbo. Venio ad Brutum tuum, immo nostrum: sic enim mauis. Equidem omnia feci, quæ potui aut in mea prouincia perficere, aut in regno experiri. omni igitur modo egi cum rege, & ago quotidie, per litteras scilicet. ipsum enim triduum, quatriduúmve mecum habui turbulentis in rebus, quibus eum liberaui. sed & tum præsens, & postea creberrimis non destiti rogare & petere, mea caussa; suadere, & hortari sua. multùm profeci, sed quantùm, non planè, quia longè absum, scio. Salaminios autem (hos enim poteram coercere) adduxi, vt totum nomen Scaptio vellent soluere; sed centesimis ductis à proxima quidem syngrapha, nec perpetuis, sed renouatis quotannis. numerabantur nummi: noluit Scaptius. tu n' qui ais Brutum cupere aliquid perdere? qua-*

ternas habebat in ſyngrapha. fieri non poterat: nec, ſi poſſet, ego pati poſſem. audio omnino Scaptium pœnitere. nam quod S.C. eſſe dicebat, vt ius ex ſyngrapha diceretur; eo conſilio factum eſt, quòd pecuniam Salaminij contra legem Gabiniam ſumpſerant. vetabat autem Auli lex, ius dici de ita ſumpta pecunia. decreuit igitur Senatus, vt ius diceretur, iſta ſyngrapha. nunc iſta habet iuris idem, quod cetera, nihil præcipui. hæc, à me ordine facta, puto me Bruto probaturum; tibi, neſcio; Catoni certè probabo. ſed iam ad te ipſum reuertor. Ain' tandem Attice, laudator integritatis & elegantiæ noſtræ, auſus es hoc ex ore tuo? inquit Ennius: vt equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare? an tu, ſi mecum eſſes, qui ſcribis morderi te interdum, quòd non ſimul ſis, paterere me id facere, ſi vellem? non amplius, inquis, quinquaginta. Cum Spartaco minùs multi primò fuerunt. quid tandem iſti mali in tam tenera inſula non feciſſent? non feciſſent autem? immo quid ante aduentum meum non fecerunt? incluſum in curia Senatum habuerunt Salaminium ita multo dies, vt interierint non nulli fame. erat enim præfectus Appij Scaptius, & habebat turmas ab Appio. id me igitur tu, cuius mehercule os mihi ante oculos ſolet verſari, cùm de aliquo officio, ac laude cogito, tu me, inquam, rogas, præfectus vt Scaptius ſit? alias hoc ſtatueramus, vt negotiatorem neminem: ídque Bruto probaueramus. habeat is turmas? cur potiùs, quàm quidam cohortes? ſumptu

iam nepos euadit Scaptius. volunt, inquis, principes. ſcio. nam ad me Epheſum vſque venerunt; flentéſque equitum ſcelera, & miſerias ſuás detulerunt. itaque ſtatim dedi litteras, vt ex Cypro equites ante certam diem decederent: ob eamque cauſſam, tum ob ceteras, Salaminij nos in cælum decretis ſuis ſuſtulerunt. ſed iam quid opus equitatu? ſoluunt enim Salaminij. niſi forte id volumus armis efficere, vt fœnus quaternis centeſimis ducant. & ego audebo legere vmquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, ſi tale quid fecero? nimis, nimis, inquam, in iſto Brutum amaſti dulciſſime Attice: nos, vereor, ne parum. atque hæc, ſcripſi ego ad Brutum ſcripſiſſe te ad me. cognoſce nunc cetera. Pro Appio nos hic omnia facimus; honeſte tamen, ſed plane libenter: nec enim ipſum odimus: & Brutum amamus: & Pompeius mirificè a me contendit; quem mehercule plus plúſque in dies diligo. C. Cælium Quæſtorem huc venire audiſti, neſcio quid ſit: ſed. Pammenia illa mihi non placent. Ego me ſpero Athenis fore menſe Septembri. tuorum itinerum tempora ſcire ſanè velim. εὐήθειαν Sempronij Rufi cognoui ex epiſtola tua Corcyræa. quid quæris? inuideo potentiæ Veſtorij. Cupiebam etiam nunc plura garrire: ſed lucet; vrget turba; feſtinat Philogenes. valebis igitur, & valere Piliam, & Cæciliam noſtram iubebis litteris; ſaluebis à meo Cicerone.

CICERO ATTICO. S. III.

ETSI nil sanè habebam noui, quod post accidisset, quàm dedissem ad te Philogeni, liberto tuo, litteras: tamen cùm Philotimum Romam remitterem, scribendum aliquid ad te fuit. ac primùm illud, quod me maximè angebat, (non quo me aliquid iuuare posses: quippe res enim est in manibus: tu autem abes longè gentium:

Πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ
Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείης ἁλός) obrepsit dies, vt vides, (mihi enim A. D. III. KAL. Sext. de prouincia decedendum est) nec succeditur. quem relinquam, qui prouinciæ præsit? ratio quidem, & opinio hominum postulat fratrem: primùm, quòd videtur esse honos. nemo igitur potior. deinde, quòd solum habeo Prætorium. Pomtinus enim ex pacto & conuentu (nam ea lege exierat) iam à me discesserat. Quæstorem nemo dignum putat. etenim est leuis, libidinosus, tagax. De fratre autem primum illud est: persuaderi ei non posse arbitror. odit enim prouinciam. & hercule nihil odiosius, nihil molestius. deinde, vt mihi nolit negare; quidnam mei sit officij? cùm bellum esse in Syria magnum putetur, id videatur in hanc prouinciam erupturum; hîc præsidij nihil sit; sumptus annuus decretus sit; videatúrne aut pietatis esse meæ, fratrem relinquere; aut diligentiæ, nugarum aliquid relinquere? magna igitur, vt vides, solicitudine afficior, magna

inopia consilij. quid quæris? toto negotio nobis opus non fuit. quanto tua prouincia melior? decedes, cùm voles; nisi fortè iam decessisti. quem videbitur, præficies Thesprotiæ, & Chaoniæ. nec dum tamen ego Quinctum conueneram; vt iam, si id placeret, scirem, possétne ab eo impetrari: nec tamen, nisi posset, quid vellem, habebam. Hoc est igitur eiusmodi. reliqua plena adhuc & laudis & gratiæ, digna iis libris, quos dilaudas. conseruatæ ciuitates; cumulatè Publicanis satisfactum: offensus contumelia nemo; decreto iusto, & seuero perpauci; nec tamen quisquam, vt queri audeat. res gestæ dignæ triumpho: de quo ipso nihil cupidè agemus; sine tuo quidem consilio certè nihil. Clausula est difficilis in tradenda prouincia. sæd hæc Deus aliquis gubernabit. De vrbanis rebus scilicet plura tu scis; sæpius, & certiora audis. equidem doleo, non me tuis litteris certiorem fieri. huc enim odiosa afferebantur de Curione, de Paullo: non quo vllum periculum videam stante Pompeio, vel etiam sedente; valeat modò: sed mehercule Curionis & Paulli, meorum familiarium, vicem doleo. formam igitur mihi totius Reip. si iam es Romæ, aut cùm eris, velim mittas; quæ mihi obuiam veniat, ex qua me fingere possim, & præmeditari, quo animo accedam ad vrbem. est enim quiddam, aduenientem non esse peregrinum atque hospitem. Et, quod pæne præterij, Bruti tui caussa, vt sæpe ad te scripsi, feci omnia. Cyprij numerabant. sed Scaptius centesimis, renouato in singulos annos fœnore, contentus non fuit.

Ariobarzanes non in Pompeium prolixior per ipsum, quàm per me in Brutum: quem tamen ego præstare non poteram. erat enim rex pauper; aberámque ab eo ita longè, vt nihil possem, nisi litteris; quibus pugnare non destiti. summa hæc est. pro ratione pecuniæ liberaliùs est Brutus tractatus, quàm Pompeius. Bruto curata hoc anno talenta circiter C. Pompeio in sex mensibus promissa CC. iam in Appij negotio quantum tribuerim Bruto, dici vix potest. quid est igitur, quod laborem? Amicos habet meras nugas, Matinium, Scaptium; qui, quia non habuit à me turmas equitum, quibus Cyprum vexaret, vt ante me fecerat, fortasse suscenset; aut quia præfectus non est, quod ego nemini tribui negotiatori; non C. Vennonio, meo familiari; non tuo M. Lænio; & quod tibi Romæ ostenderam me seruaturum; in quo perseueraui. sed quid poterit queri is, qui, auferre pecuniam cùm posset, noluit? Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfactum. is à me tribunatum cùm accepisset, quem ego ex Bruti litteris ei detulissem, postea scripsit ad me, se vti nolle eo tribunatu. Gauius est quidam; cui cùm præfecturam detulissem Bruti rogatu, multa & dixit, & fecit cum quadam mea contumelia, P. Clodij canis. is me nec proficiscentem Apameam prosecutus est; nec, cùm postea in castra venisset, atque inde discederet, num quid vellem, rogauit; & fuit apertè mihi, nescio quare, non amicus. hunc ego si in præfectis habuissem, quem tu me hominem putares? qui, vt scis, poten-

tissimorum hominum contumaciam numquam tulerim, ferrem huius adseclæ? etsi hoc plus est, quàm ferre, tribuere etiam beneficij aliquid & honoris. is igitur Gauius, cùm Apameæ me nuper vidisset Romam proficiscens, me ita appellauit: (Culleolum vix auderem) vnde, inquit, me iubes petere cibaria præfecti? respondi leniùs, quàm putabant oportuisse, qui aderant; me non instituisse iis dare cibaria, quorum opera non essem vsus. abiit iratus. huius nebulonis obiratione si Brutus moueri potest, licebit eum solus ames; me æmulum non habebis. sed illum eum futurum esse puto, qui esse debet. tibi tamen caussam notam esse volui: & ad ipsum hæc perscripsi diligentissimè. omnino (soli enim sumus) nullas vnquam ad me litteras misit Brutus, ne proximè quidem de Appio, in quibus non inesset arrogans, ἀκοινώνητον aliquid. tibi autem valde solet in ore esse, Granius autem non contemnere se, & reges odisse superbos: in quo tamen ille mihi risum magis, quàm stomachum, mouere solet: sed planè parum cogitat, quid scribat, aut ad quem. Q. Cicero puer legit, vt opinor, & certè, epistolam inscriptam patri suo. solet enim aperire, ídque de meo consilio; si quid forte sit, quod opus sit sciri. in ea autem epistola erat illud idem de sorore, quod ad me. mirificè conturbatum vidi puerum. lacrimans mecum est questus. quid quæris? miram in eo pietatem, suauitatem, humanitatémque perspexi: quo maiorem spem habeo, nihil fore aliter, ac deceat. id te igitur scire volui. Ne illud

quidem prætermittam: Hortensius filius fuit Laodiceæ è gladiatoribus, flagitiosè & turpiter. hunc ego patris caussa vocaui ad cenam, quo die venit; & eiusdem patris caussa nihil amplius. is mihi dixit, se Athenis me expectaturum, vt mecum decederet. rectè, inquam: quid enim dicerem? omnino puto nihil esse, quod dixit. nolo quidem; ne offendam patrem, quem mehercule multum diligo. sin fuerit meus comes, moderabor ita, ne quid eum offendam, quem minimè volo. Hæc sunt; etiam illud. Orationem Q. Celeris mihi velim mittas contra M. Seruilium. litteras mitte quamprimum: si nihil; nihil fieri, vel per tuum tabellarium. Piliæ & filiæ salutem. Cura, vt valeas.

CICERO ATTICO. S. IIII.

TARSVM *venimus Nonis Iuniis. ibi me multa mouerunt: magnum in Syria bellum; magna in Cilicia latrocinia; mihi difficilis ratio administrandi, quòd paucos dies habebam reliquos annui muneris: illud autem difficillimum; relinquendus erat ex* S. C. *qui praeesset. nihil minùs probari poterat, quàm Quæstor Mescinius. nam de Cœlio nihil audiebamus. rectissimum videbatur, fratrem cum imperio relinquere: in quo multa molesta, discessus noster, belli periculum, militum improbitas, sexcenta præterea. ô rem totam odiosam. sed hæc fortuna viderit: quoniam consilio non multùm vti licet. Tu, quando Romam saluus, vt spero, venisti, videbis, vt*

debis, vt soles, omnia, quæ intelliges nostra interesse, inprimis de Tullia mea: cuius de condicione quid mihi placeret, scripsi ad Terentiam, cùm tu in Græcia esses: deinde de honore nostro, quòd enim tu afuisti, vereor vt satis diligenter actum in Senatu sit de litteris meis. Illud præterea μυστικώτερον *ad te scribam; tu sagaciùs adorabere:* τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος (οἶσθα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι πρῴην, ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῆς ὑπαρχόντων τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. δέδοικα δὴ, μή τι νοήσης. εἶς δήπου τοῦτο δὴ περισκεψάμενος, τὰ λοιπὰ ἐξασφάλισαι. *non queo tantum, quantum vereor, scribere. Tu autem fac, vt mihi tuæ litteræ volent obuiæ. Hæc festinans scripsi in itinere atque agmine. Piliæ & puellæ Cæciliæ bellissimæ salutem dices.*

CICERO ATTICO S. V.

NVNC *quidem profectò Romæ es: quò te, si ita est, saluum venisse gaudeo: vnde quidem quàm diu afuisti, magis à me abesse videbare, quàm si domi esses. minùs enim mihi meæ notæ res erant, minùs etiam publicæ. quare velim, etsi, vt spero, te hæc legente aliquantum tamen via processero, tamen obuias mihi litteras quam argutissimas de omnibus rebus crebrò mittas, inprimis de quo scripsi ad te antea:* τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς ὁ ὑξελεύθερος, ἔδοξέ μοι θαμὰ βατταρίζων, καὶ ἀλύων τοῖς ξυλλόγοις, καὶ ταῖς λέσχαις ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι

τοῖς τοῦ Κροτωνιάτε. *hoc tu indaga, ut soles; ast hoc magis.* ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου στείχων παρέδωκεν μνῶν κ. δ, χμ. ιι. ὀφειλημάτων Καμίλλῳ, ἑαυτὸν τε ὀφείλοντα μνᾶς κ. δ. ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν, καὶ ἐκ τῶν Χερρονησιατικῶν μ. ή. καὶ μνᾶς κληρονομίσας χμ. χρ. τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι, πάντων ὀφειληθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ. τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατεὶ, μηδὲν ὁλοσχερῶς προεσχηκέναι. ταῦτα οὖν, πρῶτον μὲν, ἵνα πάντα σώζηναι: δεύτερον δὲ, ἵνα μηδὲ τὸν τόκον ὀλιγωρήσῃς τὸν ἀπὸ τῆς προγεγραμμένης ἡμέρας. ὅσαις αὐτὸν ἠνέγκαμεν σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψάμενος, καί τι σχεδὸν ἐλπίσας. ἀπογνοὺς δὲ, ἀλόγως ἀπέστη, ἐκτὸς τὸν, εἴκω: αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν: *méque obiurgauit vetere prouerbio,* τὰ μὲν διδόμενα: *reliqua vides, & , quantum fieri potest, perspicit animus. etsi annuum tempus prope iam emeritum habebamus: dies enim* XXXIII *erant reliqui: solicitudine prouinciæ tamen vel maximè vrgebamur. cum enim arderet Syria bello; & Bibulus, in tanto mærore suo, maximam curam belli sustineret; ad méque legati eius, & Quæstor, & amici litteras mitterent, ut subsidio venirem: etsi exercitum infirmum habebam; auxilia sanè bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum; (hæc enim sunt nostra robora) tamen esse officium meum putaui, exercitum habere quamproximè hostem, quoad mihi præesse prouinciæ per* S. C. *liceret. sed, quo ego maximè delectabar, Bibulus molestus mihi non erat; de omnibus rebus scribebat ad me potiùs: & mihi decessionis*

dies λεληθότως obreptat: qui cùm aduenerit, ἄλλο πρόβλημα, quem præficiam; nisi Caldus Quæstor venerit; de quo adhuc nihil certi habebamus. Cupiebam mehercule longiorem epistolam facere: sed nec erat res, de qua scriberem; nec iocari præ cura poteram. valebis igitur, & puellæ salutem Atticulæ dices, nostræq; Piliæ.

CICERO ATTICO. S. VI.

EGO, *dum in prouincia omnibus rebus Appium orno, subitò sum factus accusatoris eius socer. id quidem, inquis, dij approbent. ita velim: téque ita cupere certò scio. sed crede mihi, nihil minùs putaram ego, qui de Ti. Nerone, qui mecum egerat, certos homines ad mulieres miseram; qui Romam venerunt, factis sponsalibus. sed hoc spero melius. mulieres quidem valde intelligo delectari obsequio & comitate adolescentis. cetera noli ἐξακανθίζειν. Sed heus tu, πυρεῖς εἰς δῆμον Athenis? placet hoc tibi? etsi non impediebant mei certè libri (non enim ista largitio fuit in ciuis, sed in hospites liberalitas) me tamen de Academiæ προπύλῳ iubes cogitare; cùm iam Appius de Eleusine non cogitet. De Hortensio te certò scio dolere. equidem excrucior. decreram enim cum eo valde familiariter viuere. Nos prouinciæ præfecimus Cœlium: puerum, inquies, & fortasse fatuum, & non grauem, & non continentem. assentior: fieri non potuit aliter. nam quas multo ante*

tuas acceperam litteras, in quibus ἐπέχειν te ſcripſeras, quid eſſet mihi faciendum de relinquendo; ea me pungebant. videbam enim, quæ tibi eſſent ἐποχῆς cauſſæ, (& erant eædem mihi) puero tradere me: fratri autem, illud non vtile nobis. nam præter fratrem nemo erat, quem ſine contumelia Quæſtori, nobili præſertim, anteferrem. tamen, dum impendere Parthi videbantur, ſtatueram fratrem relinquere, aut etiam Reip. cauſſa contra S.C. *ipſe remanere: qui poſtea quàm, incredibili felicitate, diſceſſerunt; ſublata dubitatio eſt. videbam ſermones: hui fratrem reliquit? num eſt hoc non plus annum obtinere prouinciam? quid, quòd Senatus eos voluit praeeſſe prouinciis, qui non præfuiſſent? at*
c *hic triennium. ergo hæc ad populum. quid, quæ tecum? numquam eſſem ſine cura, ſi quid iracundius, aut contumelioſius, aut negligentius; quæ fert vita hominum. quid, ſi quid filius puer, & puer bene ſibi fidens? qui eſſet dolor? quem pater non dimittebat; téque id cenſere, moleſtè ferebat. at nunc Cœlius, non dico equidem, quid egerit; ſed tamen multo minùs laboro. Adde illud, Pompeius, eo robore vir, iis radicibus, Q. Caſſium ſine ſorte delegit, Cæſar Antonium: ego ſorte datum offenderem? vt etiam inquireret in eum, quem reliquiſſem? hoc melius: & huius rei plura exempla: ſenectuti quidem noſtræ profectò aptius. at te apud eum,*
f *dij boni! quanta in gratia poſui? eíque legi litteras non tuas, ſed librarij tui. Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem à nobis, vt ego arbitror,*

propter hanc παλιγγενεσίαν nostram, non negligendam. quare tu quoque, mi Attice, incipe id cupere; quo nos minùs inepti videamur.

CICERO ATTICO. S. VII.

QVINCTVS *filius, piè sanè, me quidem certè multum hortante, sed currentem, animum patris sui sorori tuæ reconciliauit. eum valde tuæ litteræ excitarunt. quid quæris? confido rem, vt volumus, esse. Bis ad te antea scripsi de re mea familiari, si modò tibi redditæ litteræ sunt, Græcè, ἐν αἰνιγμοῖς. scilicet nihil est mouendum. sed tamen, ἀφελῶς percunctando de nominibus Milonis, & , vt expediat, vt mihi recepit, hortando , aliquid ita tu proficies. Ego Laodiceæ Quæstorem Mescininm exspectare iussi, vt confectas rationes lege Iulia apud duas ciuitates possim relinquere. Rhodum volo puerorum caussa: inde quamprimum Athenas: etsi etesiæ valde reflāt: sed planè volo his magistratibus, quorum voluntatem in supplicatione sum expertus. Tu tamen mitte mihi, quæso, obuiam litteras, numquid putes Reip. nomine tardādum esse nobis. Tiro ad te dedisset litteras, nisi eū grauiter ægrū Issi reliquissem. sed nuntiant, meliùs esse. ego tamen angor. nihil enim illo adolescente castius, nihil diligentius.*

CICERO ATTICO. S. VIII.

CVM *institutissem ad te scribere, calamúmque*

sumpsissem, Battonius è naui recta ad me venit domum Ephesi, & epistolam tuam reddidit II. KAL. *Octobres. Lætatus sum felicitate nauigationis tuæ, oportunitate Piliæ, etiam mehercule sermone eiusdem de coniugio Tulliæ meæ. Battonius autem miros terrores ad me attulit Cæsarianos: cùm Lepta etiam plura locutus est: spero, falsa, sed certè horribilia: exercitum nullo modo dimissurum: cum illo Prætores designatos, Cassium Tribunum pleb. Lentulum* COS. *facere: Pompeio in animo esse vrbem relinquere. Sed heus tu, nunquid molestè fers de illo, qui se solet anteferre patruo sororis tuæ filij? at à quibus victus? sed ad rem. Nos etesiæ vehementissime tardarunt. detraxit* XX. *ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum.* KAL. *Octob. Ephesο conscendentes hanc epistolam dedimus L. Tarquitio, simul è portu egredienti, sed expeditiùs nauiganti. nos Rhodiorum aphractis, ceterísque longis nauibus tranquillitates aucupaturi eramus. ita tamen properabamus, vt non posset magis. De raudusculo Puteolano, gratum. Nunc velim dispicias res Romanas: videas quid nobis de triumpho cogitandum putes; ad quem amici me vocant. ego, nisi Bibulus, qui, dum vnus hospes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo sua, adniteretur de triumpho, æquo animo essem. nunc vero αἰσχρὸν σιωπᾶν. sed explora rem totam: vt, quo die congressi erimus, consilium capere possimus. At multa; qui & properarem, & ei litteras darem, qui aut mecum, aut paulo ante venturus esset. Cicero tibi*

miros

hostis

plurimam salutem dicit. tu dices vtriusque nostrum verbis & Piliæ tuæ, & filiæ.

CICERO ATTICO. S. IX.

IN PIRAEEA *cùm exissem prid. Idus Octob. accepi ab Acasto, ~~seruo meo~~, statim tuas litteras: quas quidem cum exspectassem iam diu, admiratus sum, vt vidi obsignatam epistolam, breuitatem eius; vt aperui, rursus σύγχυσιν litterularum, quæ solent tuæ compositissimæ & clarissimæ esse: ac, ne multa, cognoui ex eo, quòd ita scripseras, te Romam venisse* A. D. XII. KAL. *Octob. cùm febri. percussus vehementer, nec magis, quàm debui, statim quæro ex Acasto. ille & tibi, & sibi visum, & ita se domi ex tuis audisse, vt nihil esset incommodè. id videbatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem scripsisse. sed amaui tamen; admiratúsque sum, quòd nihilo minùs ad me tua manu scripsisses. quare de hoc satis. spero enim, qua tua prudentia & temperãtia est, & hercule, vt me iubet Acastus, confido te iam, vt volumus, valere. A Turannio te accepisse meas litteras gaudeo. παράφυλαξον, si me amas, τὴν τοῦ φυράτου φιλοτιμίαν αὐτότατα. hanc, quæ mehercule mihi magno dolori est, (dilexi enim hominem) procura, quantulacunque est, Præcianam hereditatem prorsus ille ne attingat. dices, nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi: in quo, vt præcipis, nec me κενὸν in expetendo cognosces, nec ἄτυφον in*

Statore meo

u

abiiciendo. Intellexi ex tuis litteris, te ex Turannio audisse, à me prouinciam fratri traditam. adeon' ego nō perspexeram prudentiam litterarum tuarum? ἐπέχειν te scribebas. quid erat dubitatione dignum? si esset quicquam; cur placeret fratrem, & talem fratrem, relinqui? ἀθέτησις ista mihi tua, non ἐποχὴ, videbatur. monebas de Q. Cicerone puero, vt eum quidem neutiquam relinquerem. τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί. eadem omnia, quasi collocuti essemus, vidimus. non fuit faciendum aliter; méque ἐπιχρονία ἐποχὴ tua dubitatione liberauit. sed puto te accepisse de hac re epistolam, scriptam accuratiùs. Ego tabellarios postero die ad vos eram missurus, quos puto ante venturos, quàm nostrum Saufeium. sed eum sine meis litteris ad te venire, vix rectum erat. Tu mihi, vt polliceris, de Tulliola mea, id est de Dolabella, perscribas; de Rep. quam praeuideo in summis periculis; de Censoribus, maximéque de signis, tabulis quid fiat; referatúrne. Idibus Octob. has dedi litteras: quo die, vt scribis, Cæsar Placentiam legiones quatuor. quaeso, quid nobis futurum est? In arce Athenis statio mea nunc placet.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER VII.

CICERO ATTICO. S. I.

DEDERAM equidem L. Saufeio litteras, & dederam ad te vnum, quòd, cùm non esset temporis mihi ad scribendum satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis litteris ad te venire nolebam. sed, vt philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius. sin iam illas accepisti, scis me Athenas venisse pridie Idus Octobres; è naui egressum in Piraeum tuas ab Acasto nostro litteras accepisse; conturbatum, quòd cum febre Romam venisses; bono tamen animo esse cœpisse, quòd Acastus ea, quæ vellem, de alleuato corpore tuo nuntiaret; cohorruisse autem me, quòd tuæ litteræ de legionibus Cæsaris afferrent; & egisse tecum, vt videres, ne quid φιλοτιμία eius, quem nosti, nobis noceret; de quo iam pridem ad te scripseram. Turannius autem secus tibi Brundisii dixerat; quod ex iis litteris cognoui, quas à Xenone, optimo viro, accepi. Cur fratrem prouinciæ non præfecissem, exposui breuiter. hæc ferè sunt in illa epistola. Nunc audi reliqua; per fortunas, omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnémque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere iudico singularem, confer

iam ad eam curam, vt de omni statu meo cogites. videre enim mihi videor tantam dimicationem, nisi idem Deus, qui nos melius, quam optare auderemus, Parthico bello liberauit, respexerit Rempublicam; sed, tantam; quanta numquam fuit. age, hoc malum mihi commune est cum omnibus. nihil tibi mando, vt de eo cogites. illud meum proprium πρόβλημα, *quaeso, suscipe. videsne, vt te auctore sim vtrumque complexus? ac vellem a principio te audisse amicissime monentem,*

Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες,

[illegible] [illegible]

sed aliquando tamen persuasisti, vt alterum complecterer, quia de me erat optime meritus; alterum, quia tantum valebat. feci igitur, itaque feci omni obsequio, vt neutri illorum quisquam esset me carior. haec enim cogitabam; nec mihi, coniuncto cum Pompeio, fore necesse peccare in Rep. aliquando; nec, cum Caesare sentienti, pugnandum esse cum Pompeio: tanta erat illorum coniunctio. nunc impendet, vt & tu ostendis, & ego video, summa inter eos contentio. me autem vterque numerat suum, nisi forte simulat alter. nam Pompeius non dubitat (vere enim iudicat) ea, quae de Rep. nunc sentiat, mihi valde probari. vtriusque autem accepi eiusmodi litteras eodem tempore, quo tuas; vt neuter quemquam omnium pluris facere, quam me, videretur. verum quid agam? non quaero illa vltima, (si enim castris res geretur, video cum altero vinci satius esse, quam cum altero vincere) sed illa, quae

tum agentur, cùm venero; ne ratio absentis habeatur, vt exercitum dimittat. dic M. Tulli. quid dicam? exspecta, amabo te, dum Atticum conueniam. non est locus ad tergiuersandum. contra Cæsarem? vbi illæ sunt densæ dexteræ? nam vt illi hoc liceret, adiuui, rogatus ab ipso Rauenna de Cœlio Tribuno pl. ab ipso autem? etiam a Cnæo nostro, in illo diuino tertio Consulatu. aliter sensero? αἰδέομαι non Pompeium modo, sed Τρῶας, καὶ Τρῳάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην καταθήσει, quis? tu ipse scilicet, laudator & factorum & scriptorum meorum. hanc ego plagam effugi per duos superiores Marcellorum Consulatus, cùm est actum de prouincia Cæsaris. nunc incido in discrimen ipsum. itaque, vt stultus primus suam sententiam dicat, mihi valdè placet de triumpho nos moliri aliquid: extra vrbem esse cum iustissima caussa. tamen dabunt operam, vt eliciant sententiam meam. ridebis hoc loco fortasse. quam vellem etiam nunc in prouincia morari! planè opus fuit, si hoc impendebat. etsi nil miserius. nam ὁδοῦ πάρεργον, volo te hoc scire: omnia illa prima, quæ etiam tuis litteris in cælum ferebas, ἐπίτηδες fuerunt. quam non est facilis virtus! quam vero difficilis eius diuturna simulatio! cùm enim hoc rectum & gloriosum putarem, ex annuo sumptu, qui mihi decretus esset, me C. Cœlio Quæstori relinquere annuum, referrre in ærarium aa HS CIↃ; ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere; vt ego amicior inuenirer Phrygum &

Cilicum ærariis, quàm nostro. sed me non mouerunt. nam & mea laus apud me plurimum valuit. nec tamen quicquam honorificè in quemquam fieri potuit, quod prætermiserim. Sed hæc fuerit, vt ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis. Tu autem de nostro statu cogitabis: primùm quo artificio tueamur beneuolentiam Cæsaris: deinde de ipso triumpho, quem video, nisi Reip. tempora impedient, εὐπόειστον. iudico autem cùm ex litteris amicorum, tum ex supplicatione; quam qui non decreuit, plus decreuit, quàm si omnes decresset triumphos. ei porrò assensus est vnus, familiaris meus, Fauonius: alter iratus, Hirrus. Cato autem & scribendo affuit, & ad me de sententia sua iucundissimas litteras misit. sed tamen gratulans mihi Cæsar de supplicatione, triumphat de sententia Catonis; nec scribit, quid ille sententiæ dixerit, sed tantùm, supplicationem eum mihi non decreuisse. Redeo ad Arrium: cœperas eum mihi placare: perfice. habes Scrofam, habes Silium. ad eos ego etiam antea scripsi, & ad ipsum Hirrum. locutus enim erat cum iis commodè, se potuisse impedire, sed noluisse: assensum tamen esse Catoni, amicissimo meo; cùm is honorificentissimam in me sententiam dixisset; nec me ad se vllas litteras misisse, cùm ad omnes mitterem. verum dicebat. ad eum enim solum, & ad Crassipedem non scripseram. Atque hæc de rebus forensibus. redeamus domum. Diiungere me ab illo volo. mirus est φυρ∂της, germanus Lartidius.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.

Hirrum. e

Reliqua expediamus, hoc primum, quo accessit cura dolori meo, sed hoc tamen, quidquid est. Pręcianum cum iis rationibus, quas ille meas tractat, admisceri nolo. scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum, me, quidquid possem nummorum, ad apparatum sperati triumphi ad te redacturum. ista puto ἄμεμπτα fore. verùm vt lubebit. Hanc quoque suscipe curam, quemadmodum experiamur. id & ostendisti quibusdam litteris, ex Epiro, an Athenis datis? & in eo ego te adiuuabo.

CICERO ATTICO. S. II.

BRVNDISIVM venimus VII. KAL. Decemb. vsi tua felicitate nauigandi. ita bellè nobis flauit ab Epiro lenissimus Onchesmites. hunc σπονδειάζοντα, si cui voles τῶν νεωτέρων, pro tuo vendito. Inualetudo tua me valde conturbat. significant enim tuę litterę, te prorsus laborare. ego autem, cùm sciam, quàm sis fortis, vehementius esse quiddam suspicor, quod te cogat cedere, & propemodum infringat: etsi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit decessisse, & alteram leuiorem accedere. Terentia vero, quę quidem eodem tempore ad portam Brundisinam venit, quo ego in portum, mihíque obuia in foro fuit, L. Pontium sibi in Trebulano dixisse narrabat, etiam eam decessisse. quod 5
si ita est, est quod maximè mehercule opto; idque spero tua prudentia & temperantia te consecutum. Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas vno tem-

pore accepi, aliam alia iucundiorem, quæ quidem erant tua manu. nam Alexidis animum amabam, quòd tam prope accedebat ad similitudinem tuæ litteræ: manum non amabam, quod indicabat te non valere. cuius quoniam mentio facta est; Tironem Patris ægrum reliqui, adolescentem, vt nosti, (& adde, siquid vis) probum: nihil vidi melius. itaque careo ægrè. quamquam videbatur se non grauiter habere; tamen sum solicitus, maximámque spem habeo in M'. Curij diligentia, de qua ad me scripsit Tyro, & multi nuntiarunt. Curius autem ipse sensit, quàm tu velles se à me diligi; & eo sum admodum delectatus; & mehercule est, quàm facile diligas, αὐτόχθων in homine vrbanitas. eius est testamentum de Tortorij vncis, Geronum signis obsignatum, cohortísque Prætoriæ: fecit palam te exlibratus, me exartuatus. Corcyræ Alexion me opiparè muneratus est. Q. Ciceroni obsisti non potuit, quò minùs Thyamim videret. Filiola tua te delectari lætor, & probari tibi, φυσικὴν esse, τὴν πρὸς τὰ τέκνα. etenim si hæc non est, nulla potest homini esse ad hominem naturæ adiunctio; qua sublata, vitæ societas tollitur. bene eueniat, inquit Carneades, spurcè; sed tamen prudentius, quàm Lucius noster, & Patron: qui cùm omnia ad se referant, quicquam alterius caussa fieri putent, & cùm ea re bonum virum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit, non intelligant se de callido homine loqui, non de bono viro; sed hæc opinor sunt in iis libris, quos tu laudando, animos

mihi addidisti. Redeo ad rem. Commodè exspectabam epistolam, quam Philoxeno dedisses (scripseras enim, in ea esse de sermone Pompeij Neapolitano) eam mihi Patron Brundisii reddidit: Corcyræ, vt opinor, acceperat. nihil potuit esse iucundius. erat enim de Republica, de opinione, quam is vir haberet integritatis meæ; de beneuolentia, quam ostendit eo sermone, quem habuit de triumpho. sed tamen hoc iucundissimum, quòd intellexi, te ad eum venisse, vt eius animum erga me perspiceres: hoc mihi inquam accidit iucundissimum. De triumpho autem, nulla me cupiditas vnquam tenuit ante Bibuli impudentissimas litteras, quas amplissimè supplicatio consecuta est: à quo si ea gesta sunt, quæ scripsit; gauderem, & honori fauerem. nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri, me, in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi, dedecus est nostrum, nostrum, inquam, te coniungens. itaque omnia experiar; &, vt spero, assequar. quòd si tu valeres; iam mihi quædam explorata essent. sed, vt spero, valebis. De randusculo Numeriano multum te amo. Hortensius quid egerit, haueo scire; Cato quid agat: qui quidem in me turpiter fuit maliuolus. dedit integritatis, iustitiæ, clementiæ, fidei mihi testimonium, quod non quærebam; quod postulabam, negauit id. itaque Cæsar iis litteris, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quo modo exultat Catonis, in me ingratissimi, iniuria? at hic idem Bibulo dierum xx. ignosce

mihi. non possum hæc ferre, nec feram. cupio ad omnes tuas epistolas; sed nihil necesse est. iam enim te videbo. illud tamen de Chrysippo. nam de altero illo minùs sum admiratus, operario homine. sed tamen ne illo quidem quicquam improbius. Chrysippum verò, quem ego, propter litterularum nescio quid, libenter vidi, in honore habui, discedere à puero, insciente me? mitto alia, quæ audio, multa: mitto furta: fugam non fero, qua mihi nihil visum est sceleratius. itaque vsurpaui vetus illud Drusi, vt ferunt, Prætoris in eo, qui eadem liber non iuraret; me istos liberos non addixisse; præsertim cùm adesset nemo, à quo rectè vindicarentur. id tu vt videbitur, ita accipies. ego tibi assentior. Vni tuæ disertissimæ epistolæ non rescripsi, in qua est de periculis Reipublicæ. quid rescriberem? valde eram perturbatus. sed, vt nihil magnopere metuam; Parthi faciunt, qui repentè Bibulum semiuiuum reliquerunt.

CICERO ATTICO S. III.

A. D. VIII. ID. *Decemb. Herculanum veni, & ibi tuas litteras legi, quas Philotimus mihi reddidit: è quibus hanc primo aspectu voluptatem cepi, quòd erant à te ipso scriptæ: deinde earum accuratissima diligentia sum mirum in modum delectatus. Ac primum illud, in quo te Dicæarcho assentiri negas, & si cupidissimè expetitum à me sit, & approbante te, ne diutiùs anno in prouincia essem, tamen*

tamen non est nostra contentione perfectum. sic enim scito, verbum in Senatu factum esse numquam de vllo nostrum, qui prouincias obtinuimus, quo in his diutiùs, quàm ex S. C. maneremus: vt iam ne istius quidem rei culpam sustineam, quod minùs diu fuerim in prouincia, quàm fortasse fuerit vtile. sed, QVID SI HOC MELIVS? *sæpe oportunè dici videtur, vt in hoc ipso. siue enim ad concordiam res adduci potest, siue ad bonorum victoriam; vtriusuis rei me aut adiutorem velim esse, aut certè non expertem. sin vincuntur boni; vbicunque essem, vnà cum iis victus essem. quare celeritas nostri reditus* ἀμεταμέλητος *debet esse. quòd si ista nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, quam tu quoque approbas, ne tu haud multum requireres illum virum, qui in* VI. *libro informatus est. quid enim tibi faciam, qui illos libros deuorasti? quin nunc ipsum non dubitabo rem tantam abiicere, si id erit rectius. vtrunque verò simul agi non potest, & de triumpho ambitiosè, & de Rep. liberè. sed ne dubitaris, quin, quod honestius, id mihi futurum sit antiquius. Nam quod putas vtilius esse vel mihi, quòd tutius sit, vel etiam vt Reip. prodesse possim, me esse cum imperio; id coram considerabimus quale sit. habet enim res deliberationem; etsi ex parte magna tibi assentio. De animo autem meo erga Remp. bene facis, quòd non dubitas, & illud probè indicas, nequaquam satis pro meis officiis, pro ipsius in alios effusione illum in me liberalem fuisse: eiúsque rei caussam verè explicas; & eis, quæ de*

Fabio, Caniniòque acta ſcribis, valde conſentiunt: quæ ſi ſecus eſſent, totúmque ſe ille in me profudiſſet; tamen illa, quam ſcribis, cuſtos vrbis me præclaræ inſcriptionis memorem eſſe cogeret; nec mihi concederet, vt imitarer Volcacium, aut Seruium, quibus tu es contentus; ſed aliquid nos vellet nobis dignum & ſentire & defendere. quod quidem agerem, ſi liceret, alio modo, ac nunc agendum eſt. de ſua potentia dimicant homines hoc tempore, periculo ciuitatis. nam, ſi Reſp. defenditur; cur ea, Conſule iſto ipſo, defenſa non eſt? cur ego, in cuius cauſſa Reip. ſalus conſiſtebat, defenſus poſtero anno non ſum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum eſt? cur tantopere pugnatum eſt, vt de eius abſentis ratione habenda decem Tribuni pleb. ferrent? his ille rebus ita conualuit, vt nunc ni vno ciui res ad reſiſtendum ſit: qui mallem, tantas ei vires non dediſſet, quàm nunc tam valenti reſiſteret. ſed quoniam res eò deducta eſt, non quæram, vt ſcribis, τῦ σκάφος τὸ τῶν Ατρειδῶν, mihi σκάφος vnum erit, quod à Pompeio gubernabitur. illud ipſum, quod ais, quid fiet, cùm erit dictum? dic M. Tulli σωύτομα. Cn. Pompeio aſſentio. ipſum tamen Pompeium ſeparatim ad concordiam hortabor. ſic enim ſentio; maximo in periculo rem eſſe. vos ſcilicet plura, qui in vrbe eſtis. verumtamen hoc video, cum homine audaciſſimo, paratiſſimóque negotium eſſe; omnis damnatos, omnis ignominia affectos, omnis damnatione, ignominiáque dignos illac facere, omnem ferè iuuentutem,

omnem illam vrbanam, ac perditam plebem, Tribunos valentis, addito C.Cassio, omnis, qui ære alieno premantur; quos pluris esse intelligo, quàm putaram. caussam solùm illa caussa non habet; ceteris rebus abundat. hic omnia facere omnis, ne armis decernatur; quorum exitus semper incerti, nunc verò in alteram partem magis timendi. Bibulus de prouincia decessit; Veientonem præfecit. in decedendo erit, vt audio, tardior: quem cùm ornauit Cato, declarauit, iis se solis nunc inuidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem posset accedere. Nunc venio ad priuata. ferè enim respondi tuis litteris de Republica, & iis, quas in suburbano, & iis, quas postea scripsisti. ad priuata venio. Vnum etiam de Cœlio. tantum abest, vt meam ille sententiam moueat, vt valde ego ipsi, quòd de sua sententia decesserit, pœnitendum putem. sed quid est, quod ei vici Luccei sint addicti? hoc te prætermisisse miror. De Philotimo, faciam equidem, vt mones. sed ego mihi ab illo, hoc tempore, non rationes exspectabam, quas tibi edidit, verùm id reliquum, quod ipse in Tusculano me referre in commentarium mea manu voluit, quódque idem in Asia mihi sua manu scriptum dedit. id si præstaret, quantum mihi æris alieni esse ibi edidit, tantum, & plus etiam ipse mihi deberet. sed in hoc genere, si modò per Remp. licebit, non accusabimur posthac: neque hercule antea negligentes fuimus, sed amicorũ multitudine occupati. ergo vtemur, vt polliceris, & opera & consilio tuo: nec tibi erimus, vt spero,

non

ios negotiorum

in eo molesti. De serperastris cohortis meæ, nihil est, quod doleas, ipsi enim se collegerunt admiratione vitæ integritatis meæ. sed me mouerat nemo magis, quàm is, quem tu neminem putas. idem & initio fuerat, & nunc est egregius. sed in ipsa decessione significauit, sperasse se aliquid; & id, quod animum induxerat paulisper, non tenuit: sed cito ad se rediit; meísque honorificentissimis erga se officiis victus, pluris ea duxit, quàm omnem pecuniam. Ego à Curio tabulas accepi, quas mecum porto. Hortensii legata cognoui. nunc baueo scire, quid hominis sit, & quarum rerum auctionem instituat. nescio enim, cur, cùm portam Flumentanam Cœlius occuparit, ego Puteolos non meos faciam. Venio ad Piraea, in quo magis reprehendendus sum, quòd homo Romanus Piraea scripserim, non Piræeum, (sic enim omnes nostri locuti sunt) quàm quòd, in, addiderim. non enim hoc vt oppido præposui, sed vt loco: & tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, & Nicias Cous non rebatur, oppidum esse Piræea. sed de re videro. nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quòd, non vt de oppido, locutus sum, sed vt de loco; secutúsque sum, non dico Cæcilium, Mane vt ex portu in Piræeum; (*malus enim auctor latinitatis est*) *sed Terentium, cuius fabellæ, propter elegantiam sermonis, putabantur à C. Lælio scribi:* Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum, *& idem,* Mercator hoc addebat, captam è Sunio. *quòd si δήμους oppida volumus esse; tam est oppidum Sunium, quàm Piræeus. sed, quoniam*

grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα persolueris, magna me molestia liberaris. Ille mihi litteras blandas mittit. facit idem pro eo Balbus. mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam. sed scis illi reliquum quantum sit. putásne igitur verendum esse, ne aut obiiciat id nobis aliquis, si languidius; aut repetat, si fortius? quid ad hac reperis? soluamus, inquis. age, à Cœlio mutuabimur. hoc tu tamen cōsideres velim. puto enim, in Senatu si quando praeclarè pro Rep. dixero, Tartessium istum tuum mihi exeunti, Iube sodes nummos curari. Quid superest? etiam. gener est suauis mihi, Tulliæ, Terentiæ: quantumuis vel ingenij, vel humanitatis: satis. reliqua, quæ nosti, ferenda. scis enim, quos aperserimus: qui omnes, præter eum, de quo per te egimus, rem me facere verentur. ipsis enim expensum nemo ferret. Sed hac coram. nam multi sermonis sunt. Tironis reficiendi spes est in M'Curio: cui ego scripsi, tibi eum gratissimum facturum. Dat. v. ID. Decemb. à Pontio ex Trebulano.

Balbum

fere.

CICERO ATTICO. S. IIII.

DIONYSIVM, *flagrantem desiderio tui, misi ad te, nec mehercule æquo animo; sed fuit concedendum: quem quidem cognoui cùm doctum, quod mihi iam ante erat notum, tum sanctum, plenum officij, studiosum etiam meæ laudis, frugi hominem, ac, ne libertinum laudare videar, plane virum bonum. Pompeium vidi* IIII. ID. *Decembres: fui-*

mus vna horas duas fortaſſe. magna lætitia mihi viſus eſt affici meo aduentu: de triumpho hortari, ſuſcipere partis ſuas; monere, ne ante in Senatum accederem, quàm rem confeciſſem; ne dicendis ſententiis, aliquem Tribunum alienarem. quid quæris? in hoc officio ſermonis nihil potuit eſſe prolixius. de Rep. autem ita mecum locutus eſt, quaſi non dubium bellum haberemus. nihil ad ſpem concordiæ: planè illum ab ſe alienatum, cùm ante intelligeret, tum verò proximè iudicaſſe: veniſſe Hirtium à Cæſare, qui eſſet illi familiariſſimus; ad ſe non acceſſiſſe: &, cùm ille A. D. VIII Idus Decemb. veſperi veniſſet, Balbus de tota re conſtituiſſet A. D. VII. ad Scipionem ante lucem venire; multa de nocte eum profectum eſſe ad Cæſarem. hoc illi τεκμηριῶδες videbatur eſſe alienationis. quid multa? nihil me aliud conſolatur, niſi quòd illum, cui etiam inimici alterum Conſulatum, fortuna ſummam potentiam dederit, non arbitror fore tam amentem, vt hæc in diſcrimen adducat. quòd ſi ruere cœperit; ne ego multa timeo; quæ non audeo ſcribere. ſed, vt nunc eſt, A. D. III. Nonas Ianu. ad vrbem cogito.

CICERO ATTICO. S.

MVLTAS vno tempore accepi epiſtolas tuas: quæ mihi, quamquam recentiora audiebam ex iis, qui ad me veniebant, tamen erant iucundæ. ſtudium enim & beneuolentiam declarabant. Inualetudine tua moueor: &, Piliam in idem genus morbi dela-

pſam, curam tibi afferre maiorem ſentio. date igitur operam, vt valeatis. De Tirone, video tibi curæ eſſe: quem quidem ego, etſi mirabilis vtilitates mihi præbet, cùm valet, in omni genere vel negotiorum, vel ſtudiorum meorum, tamen propter humanitatem, & modeſtiam malo ſaluum, quàm propter vſum meum. Philogenes mecum nihil vmquam de Luſcieno locutus eſt: de ceteris rebus habes Dionyſium. Sororem tuam non veniſſe in Arcanum miror. De Chryſippo, meum conſilium probari tibi, non moleſtè fero. Ego in Tuſculanum nihil ſanè hoc tempore. deuium eſt τοῖς ἀπαντῶσιν, *& habet alia* δύχρηστα. *ſed de Formiano Tarracinam pridie* KAL. *Ianu. inde Pontinum: [illegible]: inde Albanum Pompeij: ita ad vrbem* III. *Nonas natali meo. De Rep. quotidie magis timeo. non enim boni, vt putant, conſentiunt. quos ego Equites Rom. quos Senatores vidi, qui acerrimè cum cetera, tum hoc iter Pompeij vituperarent? pace opus eſt. ex victoria cùm multa mala, tum certè tyrannis exiſtet. ſed hæc propediem coram. Iam planè mihi deeſt, quod ad te ſcribam. nec enim de Rep. quòd vterque noſtrum ſcit eadem: & domeſtica nota ſunt ambobus. reliquum eſt iocari, ſi hic ſinat. nam ego is ſum, qui, illi concedi, putem vtilius eſſe quod poſtulat, quàm ſigna conferri. ſerò enim reſiſtimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. quid ſentis igitur? inquis. nihil ſcilicet, niſi de ſententia tua; nec prius quidem, quàm noſtrum negotium aut confecerimus, aut depoſuerimus. Cura igitur, vt*

valeas. aliquando ἀπότεμψαι quartanam iſtam diligentia, quæ in te ſumma eſt.

CICERO ATTICO. S. VI.

PLANE *deeſt quod ad te ſcribam: nota omnia tibi ſunt: nec ipſe habeo, à te quid exſpectem. tantùm igitur noſtrum illud ſolemne ſeruemus, vt ne quem iſtuc euntem ſine litteris dimittamus. De Rep. valde timeo: nec adhuc ferè inueni, qui non concedendum putaret Cæſari, quod poſtularet, potiùs, quàm depugnandum. eſt illa quidem poſtulatio, opinione valentior. cur autem nunc primum ei reſiſtamus? οὐ γὰρ ἂν τόδε μεῖζον ἔχει κακὸν, quàm cùm quinquennium prorogabamus; aut cùm, vt abſentis ratio haberetur, ferebamus. niſi fortè hæc illi tum arma dedimus, vt nunc cum bene parato pugnáremus. dices, quid tu igitur ſenſurus es? non idem, quod dicturus. ſentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur: dicam idem, quod Pompeius; neque id faciam humili animo. ſed rurſus hoc permagnum Reip. malum eſt: at quodam modo mihi præter ceteros non rectum, me in tantis rebus à Pompeio diſſidere.*

CICERO ATTICO. S. VII.

DIONYSIVS, VIR OPTIMVS, VT MIHI QVOQVE EST PERSPECTVS, ET DOCTISSIMVS, TVIQVE AMAN-

TISSIMVS, ROMAM VENIT XV. KAL. IANV. ET LITTERAS A TE MIHI REDDIDIT: *tot enim verba sunt de Dionysio in epistola tua. Illud puta tu non adscribis*; ET TIBI GRATIAS EGIT: *atqui certè ille agere debuit: &, si esset factum, quæ tua est humanitas, adscripsisses. mihi autem nulla de eo παλινῳδία datur propter superioris epistolæ testimonium. sit igitur sanè bonus vir. hoc enim ipsum bene fecit, quod mihi sui cognoscendi penitus etiam istam facultatem dedit. Philogenes rectè ad te scripsit. curauit enim, quod debuit. eum ego vti ea pecunia volui, quoad liceret. itaque vsus est menses* XIIII. *Pomtinum cupio valere: &, quod scribis in vrbem introisse, vereor quid sit. nam id nisi graui de caussa non fecisset. Ego quoniam* IIII. *Nonas Ianu. Compitalicius dies est, nolo eo die in Albanum venire, ne molestus sim familiæ. veniam* III. *Nonas igitur: inde ad vrbem pridie Nonas. Tua λῆψις quem in diem incurrat, nescio: sed prorsus te commoueri incommodo valetudinis tuæ nolo. De honore nostro, nisi quid occultè Cæsar per suos Tribunos molitus erit, cetera videntur esse tranquilla. tranquillissimus autem animus meus, qui totum istuc æqui boni facit; & eò magis, quòd iam à multis audio constitutum esse Pompeio & eius consilio, in Siciliam me mittere, quòd imperium habeam. id est* Ἀβδηριτικόν. *nec enim Senatus decreuit, nec populus iussit, me imperium in Sicilia habere. sin hoc Resp. ad Pompeium refert; qui me magis, quam priuatum*

aliquem, mittat? itaque, si hoc imperium mihi molestum erit; vtar ea porta, quam primum videro. Nam quod scribis, mirificam exspectationem esse mei; neque tamen quemquam bonorum, aut satis bonorum dubitare, quid sensurus sim: ego, quos tu bonos esse dicas, non intelligo: ipse nullos noui: sed ita, si ordines bonorum quærimus. nam singulares sunt boni viri. verùm in dissensionibus ordines bonorum & genera quærenda sunt. Senatum bonum putas, per quem sine imperio prouinciæ sunt? numquam enim Curio sustinuisset, si cum eo agi cœptum esset: quam sententiam Senatus sequi noluit: ex quo factum est, vt Cæsari non succederetur: an Publicanos? qui numquam firmi: sed nunc Cæsari sunt amicissimi: an fœneratores? an agricolas? quibus optatissimum est otium; nisi eos timere putas, ne sub regno sint, qui id numquam, dum modo otiosi essent, recusarunt. quid ergo? exercitum retinentis, cùm legis dies transierit, rationem haberi placet? mihi verò ne absentis quidem. sed, cùm id datum est, illud vna datum est. annorum enim decem imperium: a & ita latum placet? placet igitur etiam me expulsum, & agrum Campanum periisse, & adoptatum patricium à plebeio, Gaditanum à Mitylenæo: & Labieni diuitiæ, & Mamurræ placent, & Balbi horti, & Tusculanum. sed horum omnium fons vnus est: imbecillo resistendum fuit: & id erat facile. nunc legiones XI. equitatus tantus, quantum volet; Transpadani, plebes vrbana, tot Tribuni pleb. tam perdita iuuentus, tanta auctoritate dux, tanta

audacia. cum hoc aut depugnandum est, aut habenda è lege ratio. depugna, inquis, potiùs, quàm seruias: vt quid? si victus eris, proscribare? si viceris, tamen seruias? quid ergo, inquis, acturus es? idem quod pecudes, quæ dispulsæ sui generis sequuntur greges. vt bos armenta, sic ego bonos viros: aut eos, quicunque dicentur boni, sequar, etiam si ruent. quid sit optimum malè contractis rebus, planè video. nemini est enim exploratum, cùm ad arma ventum est, quid futurum sit: at illud omnibus, si boni victi sint, nec in cæde principum clementiorem hunc fore, quàm Cinna fuerit, nec moderatiorem, quàm Sylla, in pecuniis locupletium. ἐμπολιτεύομαί σοι iam dudum: & facerem diutiùs, nisi me lucerna desereret. Ad summam, dic M. Tulli. assentior Cn. Pompeio, id est T. Pomponio. Alexim, humanissimum puerum, nisi fortè, dum ego absum, adolescens factus est; (id enim agere videbatur) saluere iubeas velim.

ἵνα ἤ;

CICERO ATTICO. S. VIII.

Q V I D *opus est de Dionysio tam valde affirmare? an mihi nutus tuus non faceret fidem? suspicionem autem eo mihi maiorem tua taciturnitas attulerat, quòd & tu soles conglutinare amicitias testimoniis tuis; & illum aliter cum aliis de nobis locutum audiebam. sed prorsus ita esse, vt scribis, mihi persuades. itaque ego is in illum sum, quem tu me esse vis. Diem tuum ego quoque ex epistola qua-*

dam tua, quam incipiente febricula ſcripſeras, mihi notaueram; & animadverteram, poſſe, pro re nata, te non incommodè ad me in Albanum venire III. Nonas Ianu. ſed, amabo te, nihil incommodo valetudinis feceris. quid enim eſt tantum in vno, aut altero die? Dolabellam video Liuiæ teſtamento cum duobus coheredibus eſſe in triente; ſed iuberi mutare nomen. eſt πολιτικὸν σκέμμα, rectúmne ſit nobili adoleſcenti mutare nomen mulieris teſtamento. ſed id φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, cùm ſciemus, quantum quaſi ſit in trientis triente. Quod putaſti fore, vt antequàm iſtuc venirem, Pompeium viderem; factum eſt ita. nam VI. KAL. ad L. Auernum me conſecutus eſt. vnà Formias venimus, & ab hora octaua ad veſperum ſecretò collocuti ſumus. Quod quæris, ecqua ſpes pacificationis ſit: quantum ex Pompeij multo & accurato ſermone perſpexi, ne voluntas quidem eſt. ſic enim exiſtimat, ſi ille, vel dimiſſo exercitu, Conſul factus ſit, σύγχυσιν τῆς πολιτείας fore. atque etiam putat eum, cùm audierit, contra ſe diligenter parari, Cõſulatum hoc anno neglecturum, ac potiùs exercitum prouinciámque retenturum. ſin autem ille fureret; vehementer hominem contemnebat, & ſuis, & Reip. copiis confidebat. quid quæris? etſi mihi crebrò ξυνὸς ἐνυάλιος occurrebat; tamen leuabar cura, virum fortem & peritum, & plurimùm auctoritate valentem audiens, πολιτικῶς de pacis ſimulatæ periculis diſſerentem. habebamus autem in manibus Antonij contionem, habitam X. KAL. Ianu. in qua erat accuſa-

tio Pompeij vsque à toga pura, querela dé damnatis, terror armorum: in quibus ille, Quid censes, aiebat, facturum esse ipsum, si in possessionem Reip. venerit, cùm hæc Quæstor eius, infirmus & inops, audent dicere? quid multa? non modò non expetere pacem istam, sed etiam timere visus est. ex illa autem sententia ἴυγξ relinquendæ vrbis mouet hominem, vt puto. mihi autem molestissimum est, quod soluendi sunt nummi Cæsari, & instrumentum triumphi eò conferendum. est enim ἄμορφον, ἀντιπολιτευόμενον χρεωφειλέτην esse. Sed hæc, & multa alia coram.

CICERO ATTICO S. IX.

QVOTIDIE *ne, inquis, à te accipiendæ literæ sunt? si habebo, cui dem, quotidie. at iam ipse ades. tum igitur, cùm venero, desinam. Vnas video mihi à te non esse redditas; quas L. Quinctius, familiaris meus, cùm ferret, ad bustum Basili vulneratus & despoliatus est. videbis igitur, num quid fuerit in his, quod me scire opus sit: & simul tu hoc διευκρινήσεις πρόβλημα, sanè πολιτικὸν: cùm sit necesse, aut haberi Cæsaris rationem, illo exercitum vel per Senatum, vel per Tribunos pleb. obtinente, aut persuaderi Cæsari, vt tradat prouinciam, atque exercitum, & ita Consul fiat; aut, si id non persuadeatur, haberi comitia sine illius ratione, illo patiente, atque obtinente prouinciam; aut, si per Tribunos pleb. non patiatur, tamen quiescat, rem*

adduci ad interregnum; aut, si ob eam caussam, quòd ratio eius non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere; illum autem initium facere armorum aut statim nobis minùs paratis, aut tum, cùm comitiis, amicis eius postulantibus, vt è lege ratio habeatur, impetratum non sit: ire autem ad arma, aut hanc vnam ob caussam, quòd ratio non habeatur; aut addita caussa, si fortè Tribunus pl. Senatum impediens, aut populum incitans, notatus, aut Senatus consulto circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit, dicénsve se expulsum, ad illum confugerit: suscepto autem bello, aut tenenda sit vrbs, aut ea relicta, ille commeatu, & reliquis copiis intercludendus: quod horum malorum, quorum aliquod certè subeundum est, minimum putes. dices profectò, persuaderi illi, vt tradat exercitũ, & ita Consul fiat. est omnino id eiusmodi, vt, si ille eò descendat, contra dici nihil possit: idque eum, si non obtinet, vt ratio habeatur retinentis exercitum, non facere miror. nobis autem, vt quidam putant, nihil est timendum magis, quàm ille Consul. at sic malo, inquies, quàm cum exercitu. certè. sed istuc ipsum, (sic O magnum) malum putet aliquis: neque ei remedium est vllum. cedendum est, si id volet. vide Consulem illum iterum, quem vidisti Consulatu priore. at tum imbecillus plus, inquis, valuit, quàm tota Resp. quid nunc putas? & eò Consule, Pompeio certum est esse in Hispania. ô rem miseram! si quidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest; & quod ille si faciat, iam iam à

[handwritten marginal note:] provinciam atque

[handwritten marginal note:] Sed istuc ipsum, sic malo, magnum malum putet aliquis.

bonis omnibus ſummam ineat gratiam. Tollamus igitur hoc, quò illum poſſe adduci negant. de reliquis quid eſt deterrimum? concedere illi, quod, vt idem dicit, impudentiſſimè poſtulat. nam quid impudentius? tenuiſti prouinciam per decem annos, non tibi à Senatu, ſed à te ipſo per vim, & per factionem datos. præteriit tempus, non legis, ſed libidinis tuæ: fac tamen, legis. vt ſuccedatur, decernitur: impedis; & ais, habe mei rationem. habe tu noſtrûm. exercitum habeas diutiùs, quàm populus iuſſit, inuito Senatu? Depugnes oportet, niſi concedis. cum bona quidem ſpe, vt ait idem, vel vincendi, vel in libertate moriendi. iam ſi pugnandum eſt; quo tempore, in caſu; quo conſilio, in temporibus ſitum eſt. itaque te in ea quæſtione non exerceo. ad ea, quæ dixi affer, ſi quid habes. equidem dies, noctéſque torqueor. tu

CICERO ATTICO S. X.

SVBITO *conſilium cepi, vt ante quàm luceret, exirem; ne qui conſpectus fieret, aut ſermo; lictoribus præſertim laureatis. de reliquo, neque hercule, quid agam, nec, quid acturus ſim, ſcio: ita ſum perturbatus temeritate noſtri amentiſſimi conſilij. tibi verò quid ſuadeam, cuius ipſe conſilium exſpecto? Cneus noſter quid conſilij ceperit, capiátve, neſcio, adhuc in oppidis coarctatus, & ſtupens. omnes, ſi in Italia conſiſtat, erimus vna: ſin cedet, conſilij res eſt. adhuc certè, niſi ego inſanio, ſtultè*

omnia & incautè. Tu quæso, crebrò ad me scribe, vel quod in buccam venerit.

CICERO ATTICO. S. XI.

QVAESO, *quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebræ sunt. Cingulum, inquis, nos tenemus: Anconem amisimus. Labienus discessit ab Cæsare: vtrum de imperatore populi Romani, an de Hannibale loquimur? ô hominem amentem & miserum, qui ne vmbram quidem vmquam* τοῦ καλοῦ *viderit! atque hæc ait omnia facere se dignitatis caussa: vbi est autem dignitas, nisi vbi honestas? nisi. honestum igitur, habere exercitum nullo publico consilio? occupare vrbes ciuium, quo facilior sit aditus ad patriam?* χρεῶν ἀποκοπὰς, φυγάδων καθόδους, *sexcenta alia scelera moliri,* τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ᾽ ἔχειν τυραννίδα? *sibi habeat suam fortunam. vnam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quàm omnia istiusmodi regna; vel potius mori millies, quàm semel istiusmodi quicquam cogitare. quid si tu velis? inquis. age quis est, cui velle non liceat? sed ego hoc ipsum, velle, miserius esse duco, quàm in crucem tolli. vna res est ea miserior, adipisci, quod ita volueris. Sed hæc hactenus. libenter enim in his molestiis* ἐνσχολάζω σοι. *redeamus ad nostrum. Per fortunas, quale tibi consilium Pompeij videtur? hoc quæro, quòd vrbem reliquerit. ego enim* ἀπορῶ: *tum nihil absurdius. vrbem tu relinquas? ergo idem, si Galli venirent. non*

est, in-

est, inquit, in parietibus Resp. at in aris & focis. fecit idem Themistocles. fluctum enim totius barbariæ ferre urbs una non poterat. at idem Pericles non fecit, annum fere post quinquagesimum, cùm præter mœnia nihil teneret. nostri olim, urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt.

οὕτω που τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν.

rursus autem ex dolore municipali, sermonibúsque eorum, quos conuenio, videtur hoc consilium exitum habiturum. mira hominum querela est, (nescio istic: sed facies, ut sciam) sine magistratibus vrbem esse, sine Senatu. fugiens denique Pompeius mirabiliter homines mouet. quid quæris? alia caussa facta est; nihil iam concedendum putant Cæsari. hæc, tu mihi explica, qualia sint. Ego negotio præsum non turbulento. vult enim me Pompeius esse, quem tota hæc Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & summa negotij referatur. itaque vagus esse cogitabam. Te puto iam videre, quæ sit ὁρμὴ Cæsaris, qui populus, qui totius negotij status: ea velim scribas ad me, & quidem, quoniam mutabilia sunt, quam sæpissimè. acquiesco enim & scribens ad te, & legens tua.

CICERO ATTICO. S. XII.

VNAM adhuc à te epistolam acceperam, datam XII. KAL. in qua significabatur, aliam te ante dedisse, quam non acceperam. sed quæso, ut scribas quamsepissimè, non modò si quid scies, aut audieris;

ſed etiam ſi quid ſuſpicabere; maximéque quid nobis faciendum, aut non faciendum putes. Nam quòd rogas, curem, vt ſcias, quid Pompeius agat, ne ipſum quidem ſcire puto; noſtrum quidem nemo. vidi Lentulum COS. *Formiis* X. KAL. *vidi Libonem: plena timoris & erroris omnia. ille iter Larinum: ibi enim cohortes, & Luceria, & Theani, reliquáq; in Apulia. inde vtrum conſiſtere vſpiam velit, an mare tranſire, neſcitur. ſi manet; vereor, ne exercitum firmum habere non poſſit. ſin diſcedet: quò, aut quà, aut quid nobis agendum eſt, neſcio. nam iſtum quidem, cuius* φαλαρισμὸν *times, omnia teterrimè facturum puto. nec eum rerum prolatio, nec Senatus, magiſtratuúmque diſceſſus, nec ærarium clauſum tardabit. Sed hæc, vt ſcribis, citò ſciemus. interim velim mihi ignoſcas, quòd ad te ſcribo tam multa toties. acquieſco enim, & tuas volo elicere litteras: maximéque conſilium, quid agam, aut quo me pacto geram; dimittámne me penitus in cauſſam, (non deterreor periculo, ſed dirumpor dolore; támne nullo conſilio, aut tam contra meum conſilium geſta eſſe omnia?) an cuncter & tergiuerſer, & iis me dem, qui tenent, qui potiuntur.* αἰδέομαι Τρῶας; *nec ſolùm ciuis, ſed etiam amici officio reuocor. etſi frangor ſæpe miſericordia puerorum. vt igitur ita perturbato, etſi te eadem ſolicitant, ſcribe aliquid, & maximè, ſi Pompeius Italia cedit, quid nobis agendum putes. M. quidem Lepidus (nam fuimus vna) eum finem ſtatuit, L. Torquatus eundem. me cùm*

multa, tum etiam lictores impediunt; nihil vidi vmquam, quod minus explicari posset. itaque à te nihil dum certi exquiro, sed quid videatur. denique ipsam ἀπορίαν tuam cupio cognoscere. Labienum ab illo discessisse, propemodum constat. si ita factum esset, vt ille Romam veniens magistratum & Senatum Romæ offenderet, magno vsui caussæ nostræ fuisset. damnasse enim sceleris hominem amicum, Reip. caussa, videretur: quod nunc quoque videtur; sed minus prodest. non enim habet, cui prosit: eúmque arbitror pœnitere: nisi forte id ipsum est falsum, discessisse illum. nos quidem pro certo habebamus. & velim, (quamquam, vt scribis, domesticis te finibus tenes) formam mihi vrbis exponas, ecquod Pompeij desiderium, ecqua Cæsaris inuidia appareat; etiam quid censeas de Terentia & Tullia, Romæ eas esse, an mecum, an aliquo tuto loco. & hæc, & si quid aliud, ad me scribas velim, vel potiùs scriptites.

CICERO ATTICO S. XIII.

De Vennonianis rebus tibi assentior. Labienum ἥρωα iudico. facinus iam diu nullum ciuile præclarius: qui vt aliud nihil, hoc tamen profecit; dedit illi dolorem. sed etiam ad summam profectum aliquid puto. amo etiam Pisonem: cuius iudicium de genero suspicor visum iri graue. quamquam, genus belli quod sit, vides. ita ciuile est, vt non ex ciuium dissensione, sed ex vnius perditi ciuis audacia

natum sit. is autem valet exercitu; tenet multos spe & promissis; omnia omnium concupiuit. huic tradita vrbs est, nuda præsidio, referta copiis. quid est, quod ab eo non metuas, qui illa templa, & tecta non patriam, sed prædam putet? quid autem sit acturus, aut quo modo, nescio, sine Senatu, sine magistratu. ne simulare quidem poterit quicquam πολιτικῶς. nos autem vbi exsurgere poterimus? aut quando? quorum dux quàm ἀστρατήγητος, tu quoque animaduertis; cui ne Picena quidem nota fuerint: quam autem sine consilio, res testis. vt enim alia omittam decem annorum peccata, quæ condicio non huic fugæ præstitit? nec verò nunc quid cogitet scio: ac non desino per litteras sciscitari. nihil esse timidius constat, nihil perturbatius. itaque nec præsidium, cuius parandi caussa ad vrbem retentus est, nec locum ac sedem præsidij vllam video. spes omnis in duabus, inuidiosè retentis, pæne alienis legionibus. nam delectus adhuc quidem inuitorum est, & à pugnando abhorrentium. condicionum autem amissum tempus est. quid futurum sit, non video. commissum quidem à nobis certè est, siue à nostro duce, vt, è portu sine gubernaculis egressi, tempestati nos traderemus. itaque de Ciceronibus nostris dubito quid agam. nam mihi interdum amandandi videntur in Græciam. de Tullia autem & Terentia, cùm mihi barbarorum aduentus ad vrbem proponitur, omnia timeo: cùm autem Dolabellæ venit in mentem, paulum respiro. sed velim consideres, quid faciendum putes: primum πρὸς τὸ ἀσφαλὲς: (aliter

enim mihi de illis, ac de me ipso, consulendum est) deinde ad opiniones, ne reprehendamur, quòd eas Romæ velimus esse in communi bonorum fuga: quin etiam tibi & Peduceo, (scripsit enim ad me) quid faciatis, videndum est. is enim splendor est vestrum, vt eadem postulentur à vobis, quæ ab amplissimis ciuibus. sed de hoc tu videbis, quippe cùm de me ipso, ac de meis te considerare velim. Reliquum est, vt, & quid agatur, quoad poteris, explores, scribásque ad me, & quid ipse coniectura assequare: quod etiam à te magis exspecto. nam, acta omnibus nuntiantibus, à te exspecto futura. μάντις δ' ἄριστος. Loquacitati ignosces; quæ & me leuat, ad te quidem scribentem, & elicit tuas litteras. Aenigma Oppiorum ex Velia planè non intellexi. est enim numero Platonis obscurius. iam intellexi tuum. Oppios enim de Velia succones dicis. in eo æstuaui diu: quo aperto, reliqua patebant, & cum Terentiæ summa congruebant. L. Cæsarem vidi Minturnis A. D. VIII. KAL. Febr. mane, cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas: vt id ipsum mihi ille videatur irridendi caussa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit; nisi fortè non dedit, & hic sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. Labienus, vir mea sententia magnus, Theanum venit A.D. IX. KAL. ibi Pompeium Consulésque conuenit. qui sermo fuerit, & quid actum sit, scribam ad te, cùm certum sciam. Pompeius ab Theano Larinum versus profectus est A. D. VIII. KAL. eo die mansit Venafri. aliquantum animi vi-

aenigma

detur nobis attulisse Labienus. sed ego nondum habeo, quid ad te ex his locis scribam. ista magis exspecto; quid illim afferatur; quo pacto de Labieno ferat; quid agat Domitius in Marsis, Iguuij Thermus, P. Attius Cinguli; quæ sit populi vrbani volũtas; quæ tua coniectura de rebus futuris: hæc velim crebro, & quid tibi de mulieribus nostris placeat, et quid acturus ipse sis, scribas. Si scriberem ipse, lõgior epistola fuisset: sed dictaui propter lippitudinem.

CICERO ATTICO. S. XIIII.

A. D. VI. KAL. *Febr. Capuam Calibus proficiscens, cùm fluenter lippirem, has litteras dedi. L. Cæsar mandata Cæsaris detulit ad Pompeium* A. D. VIII. KAL. *cum is esset cum Cõsulibus Theani. probata condicio est, sed ita, vt ille de iis oppidis, quæ extra suam prouinciam occupauisset, præsidia deduceret. id si fecisset, responsum est, ad vrbem nos redituros esse, & rem per Senatum confecturos. spero esse in præsentia, pacem nos habere. nam & illum furoris, & hũc nostrum copiarum suppænitet. Me Pompeius Capuam venire voluit, & adiuuare delectum: in quo parum prolixè respondent Campani coloni. Gladiatores Cæsaris, qui Capuæ sunt, de quibus ante ad te falsum ex Torquati litteris scripseram, sanè commodè Pompeius distribuit, binos singulis patribus familiarum. secutorum in ludo* I Ↄ Ↄ *fuerunt: eruptionem facturi fuisse dicebantur. sane multùm in eo Reip. prouisum est. De*

mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quæso videas, ut satis honestum nobis sit, eas Romæ esse, cùm ceteræ ulla dignitate discesserint: hoc scripsi ad eas, & ad te ipsum antea. velim, eas cohortere, ut exeant; præsertim cùm ea prædia in ora maritima habeamus, cui ego præsum, ut in his pro re nata non incommodè possint esse. nam si quid offendimus, in genero nostro; quod quidem ego præstare non debeo. sed id fit maius, quòd mulieres nostræ præter ceteras Romæ remanserunt. tu ipse cum Sexto, scire velim, quid cogites de exeundo, de totáque re quid existimes. equidem ad pacem hortari non desino: quæ vel iniusta utilior est, quàm iustissimum bellum. sed hæc, ut fors tulerit.

CICERO ATTICO. S. XV.

VT AB *urbe discessi, nullum adhuc intermisi diem, quin aliquid ad te litterarum darem; non quò haberem magnopere, quid scriberem; sed ut loquerer tecum absens: quo mihi, cùm coram id non licet, nihil est iucundius. Capuam cùm venissem* A. D. VI. KAL. *pridie, quàm has litteras dedi, Consules conveni, multósque nostri ordinis. omnes cupiebant Cæsarem, abductis præsidiis, stare condicionibus iis, quas tulisset. uni Favonio leges ab illo nobis imponi non placebat: sed is haud auditus in consilio. Cato enim ipse iam servire, quàm pugnare, mavult. sed tamen ait, in Senatu se adesse velle, cùm de condicionibus agatur, si Cæsar adductus sit, ut*

e

præsidia deducat. ita, quod maximè opus est, in Siciliam ire non curat: quod metuo ne obsit, in Senatu esse vult. Postumus autem, de quo nominatim Senatus decreuit, vt statim in Siciliam iret, Furfanóque succederet, negat se sine Catone iturum: & suam in Senatu operam, auctoritatémque magni æstimat. ita res ad Fannium peruenit: is cum imperio in Siciliam præmittitur. In disputationibus nostris summa varietas est. plerique negant, Cæsarem in condicione mansurum; postulatáque hæc ab eo interposita esse, quo minùs, quod opus esset ad bellum, à nobis pararetur. ego autem eum puto facturum, vt præsidia deducat. vicerit enim, si Consul factus erit, & minore scelere vicerit, quàm quo ingressus est. sed accipienda plaga est. sumus enim flagitiosè imparati cùm à militibus, tum à pecunia: quam quidem omnem, non modò priuatam, quæ in vrbe est, sed etiam publicam, quæ in ærario est, illi reliquimus. Pompeius ad legiones Attianas est profectus: Labienum secum habet. ego tuas opiniones de his rebus exspecto. Formias me continuò recipere cogitabam.

CICERO ATTICO. S. XVI.

OMNIS *arbitror mihi tuas litteras redditas esse, sed primas præposterè, reliquas ordine, quo sunt missæ, per Terentiam. De mandatis Cæsaris, aduentúq; Labieni, & responsis Consulum ac Pompeij, scripsi ad te litteris iis, quas* A. D. V. KAL.

Capua dedi: pluráque præterea in eandem epistolam conieci. nunc has exspectationes habemus duas; vnam, quid Cæsar acturus sit, cùm acceperit ea, quæ referenda ad illum data sunt L. Cæsari; alteram, quid Pompeius agat: qui quidem ad me scribit, paucis diebus se firmum exercitum habiturum; spémque affert, si in Picenum agrum ipse venerit, nos Romam redituros esse. Labienum secum habet, non dubitantem de imbecillitate Cæsaris copiarum: cuius aduentu Cnæus noster multo animi plus habet. Nos à Consulibus Capuam venire iussi sumus ad Nonas Febr. Capua profectus sum Formias III. KAL. *eo die cùm Calibus tuas litteras hora ferè nona accepissem, has statim dedi. De Terentia & Tullia tibi assentior; ad quas scripseram, ad te vt referrent: si nondum profectæ sunt, nihil est quòd se moueat, quoad perspiciamus, quo loci sit res.*

CICERO ATTICO. S. XVII.

TVAE *litteræ mihi gratæ iucundǽq; sunt. De pueris in Græciam transportandis tum cogitabam, cùm fuga ex Italia quæri videbatur. nos enim Hispaniam peteremus. illis hoc æquè commodum non erat. tu ipse cum Sexto etiam nunc mihi videris Romæ rectè esse posse. etenim minimè amici Pompeio nostro esse debetis. nemo enim vmquam tantum de vrbanis præsidiis detraxit. vidésne me etiam iocari? Scire iam te oportet, L. Cæsar quæ responsa referat à Pompeio, quas ab eodem ad Cæsarem ferat*

litteras. ſcripta enim & data ita ſunt, vt proponerentur in publico: in quo accuſaui mecum ipſe Pompeium, qui, cùm ſcriptor luculentus eſſet, tantas res, atque eas, quæ in omnium manus ventura eſſent, Seſtio noſtro ſcribendas dederit. itaque nihil vmquam legi ſcriptum σηςιωδέστερον. perſpici tamen ex litteris Pompeij poteſt, nihil Cæſari negari, omniáque & cumulatè, quæ poſtulet, dari, quæ ille, amentiſſimus fuerit, niſi acceperit, præſertim cùm impudentiſſimè poſtulauerit. quis enim tu es, qui dicas, ſi in Hiſpaniam profectus erit, ſi præſidia dimiſerit? tamen idq conceditur; minùs honeſte nunc quidem, violata iam ab illo Rep. illatóque bello, quàm ſi olim de ratione habenda impetraſſet: & tamen vereor, vt his ipſis contentus ſit. nam cùm iſta mandata dediſſet L. Cæſari, debuit eſſe paulo quietior, dum reſponſa referrentur. dicitur autem nunc eſſe acerrimus. Trebatius quidem ſcribit, ſe ab illo IX. KAL. Febr. rogatum eſſe, vt ſcriberet ad me, vt eſſem ad vrbem: nihil ei me gratius facere poſſe. hæc verbis plurimis. intellexi ex dierum ratione, vt primum de diſceſſu noſtro Cæſar audiſſet, laborare eum cœpiſſe, ne omnes abeſſemus. itaque non dubito, quin ad Piſonem, quin ad Seruium ſcripſerit. illud admiror non ipſum ad me ſcripſiſſe, non per Dolabellam, non per Cœlium egiſſe. quamquam non aſpernor Trebatij litteras, à quo me vnicè diligi ſcio. reſcripſi ad Trebatium, (nam ad ipſum Cæſarem, qui mihi nihil ſcripſiſſet, nolui) quàm illud hoc tempore eſſet difficile: me tamen in prædiis meis eſ-

ſe, neque delectum vllum, neque negotium ſuſcepiſſe. in quo quidem manebo, dum ſpes pacis erit. ſin bellum geretur; non deero officio, nec dignitati meæ, pueros ὑπεκθέμενος in Græciam. totam enim Italiam flagraturam bello intelligo. tantum mali excitatum partim ex improbis, partim ex inuidis ciuibus. ſed hæc paucis diebus ex illius ad noſtra reſponſa reſponſis intelligentur, quorſum euaſura ſint. tum ad te ſcribam plura, ſi erit bellum: ſi autem etiam induciæ, te ipſum, vt ſpero, videbo. Ego IIII. NON. *Febr. quo die has litteras dedi, in Formiano, quo Capua redieram, mulieres exſpectabam: quibus quidem ſcripſeram, tuis litteris admonitus, vt Romæ manerent. ſed audio maiorem quendam in vrbe timorem eſſe. Capuæ* NON. *Febr. eſſe volebam, quia Conſules iuſſerant. quidquid huc erit à Pompeio allatum, ſtatim ad te ſcribam: tuáſque de iſtis rebus litteras exſpectabo.*

CICERO ATTICO S. XVIII.

IV. NON. *Febr. mulieres noſtræ Formias venerunt, tuáque erga ſe officia, plena tui ſuauiſſimi ſtudij, attulerunt: eas ego, quoad ſciremus vtrum turpi pace nobis, an miſero bello eſſet vtendum, in Formiano eſſe volui, & vna Cicerones. ipſe cum fratre Capuam ad Conſules (Nonis enim adeſſe iuſſi ſumus)* III. NON. *profectus ſum, cum has litteras dedi. Reſponſa Pompeij grata populo, & probata contioni eſſe dicuntur. ita putaram: quæ quidem*

ille si repudiarit, iacebit: si acceperit? vtrum igitur, inquies, mauis? responderem, si quemadmodum parati essemus, scirem. Cassium, erat hîc auditum, expulsum Ancone, eámque vrbem à nobis teneri. si bellum futurum est, negotium vtile. Cæsarem quidem, L. Cæsare cum mandatis de pace misso, tamen aiunt acerrime delectum habere, loca occupare, vinciri præsidiis. ô perditum latronem! ô vix vllo otio compensandam hanc Reip. turpitudinem! sed stomachari desinamus, tempori pareamus, cum Pompeio in Hispaniam eamus. hæc opto in malis; quoniam illius alterum consulatum à Rep. ne data quidem occasione, repulimus. Sed hæc hactenus. De Dionysio, fugit me ad te antea scribere: sed ita constitui; exspectare responsa Cæsaris; vt, si ad vrbem rediremus, ibi nos exspectaret; sin tardius id fieret, tum eum arcesseremus. omnino quid ille facere debuerit in nostra illa fuga, quid docto homine & amico dignum fuerit, cùm præsertim rogatus esset scio. sed hæc non nimis exquiro à Græcis. tu tamen videbis, si erit, quod nolim, arcessendus, ne molesti simus inuito. Quinctus frater laborat, vt tibi, quod debet, ab Egnatio soluat: nec Egnatio voluntas deest: nec parum locuples est: sed cùm tale tempus sit, vt Q. Titinius (multum enim est nobiscum) viaticum se neget habere; idémque debitoribus suis denuntiarit, vt eodem fœnore vterentur; atque hoc idem etiam L. Ligus fecisse dicatur; nec hoc tempore aut domi nummos Quinctus habeat, aut exigere ab Egnatio, aut versuram vsquam facere possit;

miratur, te non habuisse rationem huius publicæ difficultatis. ego autem: etsi illud ψευδησιόδειον (ita enim putatur) obseruo, μηδὲ δίκην, præsertim in te, à quo nihil vmquam vidi temere fieri; tamen illius querela mouebar. hoc, quidquid est, te scire volui.

CICERO ATTICO. S. XIX.

NIHIL habeo, quod ad te scribam. quin etiam epistolam, quam eram elucubratus, ad te non dedi. erat enim plena spei bonæ; quòd & contionis voluntatem audieram, & illum condicionibus vsum putabam, præsertim suis. ecce tibi II. NON. Febr. III.
manè accepi litteras tuas, Philotimi, Furnij, Curionis ad Furnium, quibus irridet L. Cæsaris legationem. planè oppressi videmur: nec, quid consilij capiam, scio: nec mehercule de me laboro; de pueris quid agam, non habeo. Capuam tamen proficiscebar hæc scribens, quo faciliùs de Pompeij rebus cognoscerem.

CICERO ATTICO. S. XX.

BREVILOQVENTEM iam me tempus ipsum facit. pacem enim desperaui: bellum nostri nullum administrant. caue enim putes, quicquam esse minoris his Consulibus: quorum ergo, spe audiendi aliquid, & cognoscendi nostri apparatus, maximo imbri Capuam veni pridie Nonas, vt eram iussus.

illi autem non dum venerant, ſed erat venturi, inanes, imparati. Cnaus autem Luceriæ dicebatur eſſe, & adire cohortis legionum Attlanarum, non firmiſſimarum. at illum ruere nuntiant, & iam iámque adeſſe, non vt manum conferat, (quicum enim?) ſed vt fugam intercludat. ego autem in Italia καὶ συναποθανεῖν: *nec te id conſulo. ſin extra, quid ago? ad manendum hiems, lictores, improuidi & negligentes duces; ad fugam hortatur amicitia Cnæi, cauſſa bonorum, turpitudo coniungendi cum tyranno: qui quidem incertum eſt, Phalarímne, an Piſiſtratum ſit imitaturus. Hæc velim explices, & me iuues conſilio. etſi te ipſum iſtic iam calere puto. ſed tamen quantùm poteris. ego ſi quid hîc hodie noui cognoro, ſcies. iam enim aderunt Conſules ad ſuas Nonas. Tuas quotidie litteras exſpectabo. ad has autem, cum poteris, reſcribes. Mulieres & Cicerones in Formiano reliqui.*

CICERO ATTICO. S. XXI.

DE *malis noſtris tu prius audis, quàm ego. iſtinc enim emanant. boni autem hinc quod exſpectes, nihil eſt. Veni Capuam ad Nonas Febr. ita vt iuſſerant Conſules. eo die Lentulus venit ſero: alter Conſul omnino non venerat* VII. *Idus. eo enim die ego Capua diſceſſi, & manſi Calibus. inde has litteras poſtridie ante lucem dedi. hæc, Capuæ dum fui, cognoui, nihil in Conſulibus, nullũ vſquam delectum. nec enim conquiſitores* φαινεπροσωπεῖν *au-*

dent; cùm ille adsit contra; cùm noster dux nusquam sit, nihil agat : nec nomina dant. deficit enim non voluntas, sed spes. Cnæus autem noster (ô rem miseram & incredibilem) vt totus iacet! non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. mittam illa, fugam ab vrbe turpissimam, timidissimas in oppidis contiones, ignorationem non solum aduersarij, sed etiam suarum copiarum. hoc cuiusmodi est? VII. id. Febr. Capuam C. Cassius Trib. pl. venit, attulit mandata ad Consules, vt Romam venirent, pecuniam de sanctiore ærario auferrent, statim exirent vrbe relicta. redeant; quo præsidio? deinde exeant; quis sinat? Consul ei rescripsit, vt prius ipse in Picenum. at illud totum erat amissum: sciebat nemo, præter me ex litteris Dolabellæ. mihi dubium non erat, quin ille iam iámque foret in Apulia. Cnæus noster in naui. ego quid agam, σκέμμα magnum; neque mehercule mihi quidem vllum, nisi omnia essent acta turpissimè; neque ego vllius consilij particeps. sed tamen, quod me deceat. ipse me Cæsar ad pacem hortatur. sed antiquiores litteræ, quàm ruere cœpit. Dolabella, Cœlius, me illi valde satisfacere. mira me ἀπορία torquet. iuua me consilio, si potes : & tamen ista, quantum potes, prouide. nihil habeo, tãta rerum perturbatione, quod scribam. tuas litteras exspecto.

CICERO ATTICO. S. XXII.

PEDEM in Italia video nullum esse, qui non in

istius potestate sit. De Pompeio scio nihil; eúmque, nisi in nauim se contulerit, exceptum iri puto. ô celeritatem incredibilem! huius autem nostri. sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor & crucior. Tu cadem non sine caussa times: non quo minus quicquã Cæsari expediat ad diuturnitatem victoriæ & dominationis; sed video, quorum arbitrio sit acturus. recte sit. censeo cedendum de oppidis his. egeo consilij. quod optimum factu videbitur facies. cum Philotimo loquêre: atque adeo Terentiam habebis Idibus. Ego quid agam? quà aut terra, aut mari persequar eum, qui vbi sit, nescio? etsi terra quidem quî possum? mari quo? tradam igitur isti me? fac posse tuto. multi enim hortantur. num etiam honeste? nullo modo. quid? a te petam consilium, vt soleo? explicari res non potest. sed tamen, si quid in mentem venit, velim scribas, & ipse quid sis acturus.

CICERO ATTICO. S. XXIII.

V. IDVS *Febr. vesperi a Philotimo litteras accepi; Domitium exercitum firmum habere; cohortis ex Piceno, Lentulo & Thermo ducentibus, cum Domitij exercitu coniunctas esse; Cæsarem intercludi posse, eúmque id timere; bonorum animos recreatos; Romæ improbos quasi perculsos. hæc, metuo equidem ne sint somnia: sed tamen M. Lepidum, L. Torquatum, C. Cassium Trib. pleb. (hi enim sunt nobiscum, id est, in Formiano) Philotimi*

litteræ ad vitam reuocauerunt. ego autem illa metuo ne veriora sint, nos omnis pæne iam captos esse, Pompeium Italia cedere: quem quidem (ô rem acerbam) persequi Cæsar dicitur. persequi Cæsar Pompeium? quid? vt interficiat? ô me miserum: & non omnes nostra corpora opponimus? in quo tu quoque ingemiscis. sed quid faciamus? victi, oppressi, capti planè sumus. Ego tamen, Philotimi litteris lectis, mutaui consilium de mulieribus: quas, vt scripseram ad te, Romam remittebam: sed mihi venit in mentem, multum fore sermonem, me iudicium iam de caussa publica fecisse; qua desperata, quasi hunc gradum mei reditus esse, quòd mulieres reuertissent. De me autem ipso tibi assentior, ne me dem incertæ & periculosæ fugæ; cum Reip. nihil prosim, nihil Pompeio; pro quo emori cum piè possum, tum lubenter. manebo igitur: etsi viuere. Quod quæris, hîc quid agatur: tota Capua, & omnis hic delectus iacet. desperata res est; in fuga omnes sunt; nisi quid eiusmodi fuerit, vt Pompeius istas Domitij copias, cum suis coniũgat. sed videbamur omnia biduo, triduóve sciturι. Cæsaris litterarum exemplum tibi misi: rogaras enim: cui nos valde satisfacere, multi ad me scripserunt; quod patior facile, dum, vt adhuc, nihil faciam turpiter.

CICERO ATTICO. S. XXIIII.

PHILOTIMI *litteræ me quidem non nimis, sed eos, qui in his locis erant, admodum delectarunt.*

ecce postridie Cassio littera Capua, à Lucretio, familiari eius, Nigidium à Domitio Capuam venisse; eum dicere, Vibullium cum paucis militibus è Piceno currere ad Cnæum, confestim sequi Cæsarem, Domitium non habere militum III. *millia. idem scripsit, Consules Capua discessisse. non dubito, quin Cnæus in fuga sit; modò effugiat. à consilio fugiendi, vt tu censes, absum.*

CICERO ATTICO. S. XXV.

CVM *dedissem ad te litteras tristes, & metuo ne veras, de Lucretij ad Cassium litteris Capua missis; Cephalio venit à vobis, attulit etiam à te litteras hilariores, nec tamen firmas, vt soles. omnia faciliùs credere possum, quàm quod scribitis Pōpeium exercitum habere. nemo huc ita affert; omniaq; quæ nolim. ô rem miseram. malas caussas semper obtinuit, in optima concidit. quid dicam? nisi, illud eum scisse? neque enim erat difficile, hoc nescisse. erat enim ars difficilis, rectè Remp. regere. Sed iam iámque omnia sciemus, & scribemus ad te statim.*

CICERO ATTICO S. XXVI.

NON *venit idem vsu mihi, quod tu tibi scribis;* QVOTIES EXORIOR, *ego enim nunc paulùm exorior, & maximè quidem iis litteris, quæ Roma afferuntur, de Domitio, de Picentium cohortibus. omnia erant facta hoc biduo lætiora. itaque fuga,*

quæ parabatur, repressa est. Cæsaris interdicta,
Si te secundo lumine hic offendero,
respuntur. bona de Domitio, præclara de Afranio fama est. Quod me amicissimè admones, vt me integrum, quoad possim, seruem; gratum est. Quod addis, ne propensior ad turpem caussam videar; certè videri possum. ego me ducem in ciuili bello, quoad de pace ageretur, negaui esse: non quin rectum esset: sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. planè eum, cui Cnæus noster alterum Consulatum deferret & triumphum, at quibus verbis? PRO SVIS R. GESTIS AMPLISSIMIS, *inimicum habere nolueram. ego scio, & quem metuam, & quam ob rem. sin erit bellũ, vt video fore; partes meæ non desiderabuntur. De* HS XX. *millibus Terentia tibi rescripsit. Dionysio, dum existimabam vagos nos fore, nolui molestus esse. tibi autem, crebrò ad me scribenti de eius officio, nihil rescripsi; quòd diem ex die exspectabam, vt statuerem, quid esset faciendum. nunc, vt video, pueri certè in Formiano videntur hiematuri: num & ego, nescio. si enim erit bellum, cum Pompeio esse constitui. quod habebo certi, faciam, vt scias. ego bellum fœdissimum futurum puto; nisi qui, vt tu scis, Parthicus casus extiterit.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER VIII.

CICERO ATTICO. S. I.

CVM ad te litteras dedissem, redditæ mihi litteræ sunt à Pompeio: cetera de rebus in Piceno gestis, quæ ad se Vibullius scripsisset; de delectu Domitij, quæ sunt vobis nota; nec tamen tam læta erant in his litteris, quàm ad me Philotimus scripserat: (ipsam tibi epistolam misissem; sed subitò fratris puer proficiscebatur: cras igitur mittam:) sed in ea Pompeij epistola erat in extremo, ipsius manu: TV, CENSEO, LVCERIAM VENIAS: NVSQVAM ERIS TVTIVS. Id ego in eam partem accepi; hæc oppida, atque oram maritimam illum pro derelicto habere: nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere. ei statim rescripsi, hominémque certum misi de comitibus meis, non me quærere, vbi tutissimè essem: si me vellet sua, aut Reip. caussa Luceriam venire statim esse venturum: hortatúsque sum, vt oram maritimam retineret, si rem frumentariam sibi ex prouinciis suppeditari vellet. hoc me frustra scribere videbam. sed vti in vrbe retinenda tunc, si nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam. sic enim parari video, vt Luce-

sic

riam omnes copiæ contrahantur: & ne is quidem locus stabilis: sed ex eo ipso, si vrgeamur, paretur fuga. quo minus mirêre, si inuitus in eam caussam descendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæsita sit vmquam, sed semper flagitiosæ & calamitosæ fugæ. eundum; vt, quemcumque fors tulerit casum, subeam potiùs cum iis, qui dicuntur esse boni, quàm videar à bonis dissentire. etsi propediem video bonorum, id est lautorum, & locupletium, vrbem refertam fore: municipiis verò his relictis, refertissimam. quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos non haberem: nec me M. Lepidi, L. Volcacij, Ser. Sulpicij comitum pœniteret: quorum nemo nec stultior est, quam L. Domitius; nec inconstantior, quàm App. Claudius. vnus Pompeius me mouet, beneficio, non auctoritate. quam enim ille habeat auctoritatem in hac caussa, qui, cùm omnes Cæsarem metuebamus, ipse eum diligebat? postquam ipse metuere cœpit, putat omnes hostes illi oportere esse? ibimus tamen Luceriam: nec eum fortasse delectabit noster aduentus. dissimulare enim non potero, mihi, quæ adhuc acta sunt, displicere. Ego, si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem. tu, si tibi eadem caussa est, me remunerere sanè velim.

CICERO ATTICO. S. II.

MIHI *verò omnia grata; & quòd scripsisti ad me, quæ audieras; & quòd non credidisti, quæ*

digna diligentia mea non erant; & quòd monuisti, quod sentiebas. Ego ad Cæsarem vnas Capua litteras dedi, quibus ad ea rescripsi, quæ mecum ille de gladiatoribus suis egerat, breuis, sed beneuolentiam significantes, non modò sine contumelia, sed etiam cum maxima laude Pompeij. id enim illa sententia postulabat, qua illum ad concordiam hortabar. eas si quò ille misit, in publico proponat velim. Alteras eodem die dedi, quo has ad te. non potui non dare, cùm & ipse ad me scripsisset, & Balbus. earum exemplum ad te misi. nihil arbitror fore, quod reprehendas. si qua erunt, doce me, quo modo eapse effugere possim. nihil, inquies, omnino scripseris. qui magis effugias eos, qui volent fingere? verumtamen ita faciam, quoad fieri poterit. Nam quòd me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum; facis amicè tu quidem, mihique gratissimum: sed mihi videris aliud tu honestum, méque dignum in hac caussa iudicare, atque ego existimem. mihi enim nihil vlla in gente vmquam, ab vllo auctore Reip. ac duce, turpius factum esse videtur, quàm a nostro amico factum est: quoius ego vicem doleo: qui vrbem reliquit, id est patriam; pro qua, & in qua mori præclarum fuit. ignorare mihi videris, hæc quanta sit clades. es enim etiam nunc domi tua. sed, inuitis perditissimis hominibus, esse diutiùs non potes. hoc miserius, hoc turpius quicquam? vagamur egentes, cum coniugibus & liberis. in vnius hominis, quotannis periculosè ægrotantis, anima positas omnis nostras spes ha-

bemus, non expulsi, sed euocati è patria, quam non seruandam ad reditum nostrum; sed diripiendam & inflammandam reliquimus. ita multi nobiscum sunt, non in suburbanis, non in hortis, non in ipsa vrbe: & si nunc sunt, non erunt. nos interea, ne Capuæ quidem, sed Luceriæ: & oram quidem maritimam iam relinquemus; Afranium exspectabimus, & Petreium. nam in Labieno parum est dignitatis. hic tu in me illud: des, id feras. nihil de me dico: alij viderint. hic quidem quæ est? domi vestræ estis, & eritis omnes boni. qui istim se mihi non ostendit? quis nunc adest hoc bello? sic enim iam appellandum est. Vibullij res gestæ sunt adhuc maximæ. id ex Pompeij litteris cognosces: in quibus animaduertito illum locum, vbi erit διπλῆ*: videbis, de Cnæo nostro ipse Vibullius quid existimet. Quò igitur hæc spectat oratio? ego pro Pompeio lubenter emori possum. facio pluris omnium hominum neminem. sed non ita,* VNO IN EO IVDICO SPEM DE SALVTE REIP. *significas enim aliquanto secus, quàm solebas: vt etiam, Italia si ille cedat, putes cedendum. quod ego nec Reipub. puto esse vtile, nec liberis meis: præterea neque rectum, neque honestum. sed cur? poterísne igitur videre tyrannum? quasi intersit, audiam, an videam; aut locupletior mihi sit quærendus auctor, quàm Socrates; qui, cùm* XXX. *tyranni essent, pedem porta non extulit. Est mihi præterea præcipua caussa manendi: de qua vtinam aliquando tecum loquar. Ego* XIII. KAL. *cùm eadem lucerna hac episto-*

lam scripsissem, qua inflammaram tuam, Formiis ad Pompeium, si de pace ageretur, præfectus; si de bello, quid ero? videro.

praefectus eram.

CICERO ATTICO. S. III.

MAXIMIS & miserrimis rebus perturbatus, cùm coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, vti tamen tuo consilio volui. deliberatio autem omnis hæc est; si Pompeius Italia cedat, quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes: & quo facilius consilium dare possis; quid in vtranque partem mihi inmentem veniat explicabo breui. Cùm merita Pompeij summa erga salutem meam, familiaritásque, quæ mihi cum eo est, tum ipsa Reip. caussa me adducit, vt mihi vel consilium meum cum illius consilio, vel fortuna cum fortuna coniungenda esse videatur. Accedit illud: si maneo, & illum comitatum optimorum & clarissimorum ciuium desero, cadendum est in vnius potestatem: qui, etsi multis rebus significat se nobis esse amicum; &, vt esset, à me est (tute scis) propter suspicionem huius impendentis tempestatis multo ante prouisum: tamen vtrunque considerandum est, & quanta fides ei sit habenda; &, si maxime exploratum sit, eum nobis amicum fore, sitne viri fortis & boni ciuis, esse in ea vrbe, in qua cum summis honoribus imperiisque vsus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo præditus, non futurus sit sui iuris, subeundúmque periculum sit, cum

aliquo fortè dedecore, quando Pompeius Remp. recuperarit. In hac parte hæc sunt. vide nunc, quæ sint in altera. Nihil actum est à Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter; addo etiam, nihil nisi contra consilium actoritatémque meam. omitto illa vetera, quòd istum in Remp. ille aluit, auxit, armauit: ille legibus per vim, & contra auspicia ferendis auctor: ille Galliæ vlterioris adiunctor; ille gener; ille in adoptando P. Clodio augur; ille restituendi mei, quàm retinendi, studiosior; ille prouinciæ prorogator; ille absentis in omnibus adiutor: idem etiam tertio Consulatu, postquam esse defensor Reip. cœpit, contendit, vt decem Tribuni pleb. ferrent, vt absentis ratio haberetur: quod idem ipse sanxit lege quadam sua; Marcóque Marcello Consuli, finienti prouincias Gallias KAL. *Mart. restitit. sed, vt hæc omittam, quid fœdius, quid perturbatius hoc ab vrbe discessu, siue potius turpissima fuga? quæ condicio non accipienda fuit potius, quàm relinquenda patria? malæ condiciones erant, fateor: sed numquid hoc peius? at recuperabit Remp. quando? aut quid ad eam spem est parati? non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad vrbem? non pecunia omnis & publica & priuata aduersario tradita? denique nulla caussa, nullæ vires, nulla sedes, quò concurrant, qui Remp. defensam velint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiæ, & ab impetu huius belli remotissima: fuga & maritima oportunitas visa quæri desperatione. inuitè cepi Capuam, non quo munus illud defu-*

Sicut gerem; sed sic ne caussam; in qua nullus esset ordinum, nullus apertus priuatorum dolor: bonorum autem esset, aliquis, sed hebes, vt solet; &, vt ipse sensissem: multitudo & infimus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi. dixi ipsi, me nihil suscepturum sine præsidio & sine pecunia. itaque habui nihil omnino negotij, quòd ab initio vidi, nihil quæri præter fugam. Eam si nunc sequor, quonam? cum illo non: ad quem cùm essem profectus, cognoui in iis locis esse Cæsarem, vt tuto Luceriam venire non possem. infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima nauigandum est. Age iam, cum fratre, an sine? cum filio, aut quomodo? in vtraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos absentes fortunásque nostras? acrior, quàm in ceterorum; quòd putabit fortasse in nobis violandis aliquid se habere populare. Age iam has compedes, fasces inquam hos laureatos ecferre ex Italia, quàm molestum est? Qui autem locus erit nobis tutus, (vt iam placatis vtamur fluctibus) ante quàm ad illum venerimus? quà autem, aut quò, nihil scimus. At si restitero, & fuerit nobis in hac parte locus; idem fecero, quod in Cinnæ dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius; quoquo modo ea res huic quidem cecidit: qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est; sed malle, quàm armatum ad patriæ Soc mœnia accedere. aliter Thrasybulus, & fortasse meliùs. sed est certa quædam illa Mucij ratio atque

sententia; est illa etiam Thrasybuli; &, cùm sit necesse, seruire tempori; & non amittere tempus, cum sit datum. sed in hoc ipso habent tamen iidem fasces molestiam. sit enim nobis amicus, quod incertum est; sed sit: deferet triumphum. non acciperéne periculosum sit, an accipere inuidiosum ad bonos? ô rem, inquis, difficilem & inexplicabilem. atqui explicanda est. quî enim fieri potest? ac ne me existimaris ad manendum esse propensiorem, quòd plura in eam partem verba fecerim: potest fieri, quod fit in multis quæstionibus, vt res verbosior hæc fuerit, illa verior. quamobrem, vt maxima de re, æquo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim. nauis & in Caieta est parata nobis & Brundisii. sed ecce nuntij, scribente me hæc ipsa noctu in Caleno, ecce litteræ, Cæsarem ad Corfinium, Domitium Corfinij cum firmo exercitu, & pugnare cupiente. non puto etiam hoc Cnæum nostrum commissurum, vt Domitium relinquat: etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus præmiserat; legionem Fausto conscriptam, in Siciliam sibi placere à Consule duci, scripserat ad Consules. sed turpe Domitium deserere erit, implorantem eius auxilium. est quædam spes mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pireneo cum Trebonio pugnasse, pulsum Treboniũ, etiã Fabium tuum transisse cum cohortibus: summa autem, Afranium cum magnis copiis aduentare. id si est, in Italia fortasse manebitur. ego autem, cùm esset incertum iter Cæsaris, quòd vel ad Capuã, vel ad Luceriã iturus

putabatur, Leptam ad Pompeium misi, & litteras; ipse, ne quò inciderem, reuerti Formias. Haec te scire volui, scripsique sedatiore animo, quàm proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum.

CICERO ATTICO. S. IIII.

DIONYSIVS *quidem tuus potiùs, quàm noster, cuius ego cùm satis cognossem mores, tuo tamen potiùs stabam iudicio, quam meo, ne tui quidem testimonij, quod ei saepe apud me dederas, veritus, superbum se praebuit in fortuna, quam putauit nostram fore: cuius fortunae nos, quantum humano consilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus. cui, qui noster honos, quod obsequium, quae etiam ad ceteros contempti cuiusdam hominis commendatio defuit? vt meum iudicium reprehendi à Quincto fratre, vulgóque ab omnibus mallem, quàm illum non efferre laudibus; Ciceronésque nostros meo potius labore subdoceri, quàm me alium vis magistrum quaerere. ad quem ego quas litteras, dij immortales, miseram? quantum honoris significantes? quantum amoris? Dicaearchum mehercule, aut Aristoxenum diceres arcessi, non vnũ omnium loquacissimum, & minimè aptum ad docendum. sed est memoria bona. me dicet esse meliore. quibus litteris ita respondit, vt ego nemini, cuius caussam non reciperem. semper enim,* SI POTERO; SI ANTE SVSCEPTA CAVSSA NON IMPE-

DIAR. *numquam reo cuiquam, tam humili, tam ſordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcisè negaui, quàm hic mihi. planè ſine vlla exceptione præcidit. nihil cognoui ingratius: in quo vitio nihil mali non ineſt. Sed de hoc nimis multa. Ego nauem paraui. tuas litteras tamen expecto; vt ſciam, quid reſpondeant conſultationi meæ. Sulmone C. Attium Pelignum aperuiſſe Antonio portas, cùm eſſent cohortes quinque, Q. Lucretium inde effugiſse, ſcis, Cneum ire Brundiſium deſertum. confecta res eſt.*

CICERO ATTICO. S. V.

CVM *ante lucem* VIII. KAL. *litteras ad te de Dionyſio dediſsem, veſperi ad nos eodem die venit ipſe Dionyſius, auctoritate tua permotus, vt ſuſpicor. quid enim putem aliud? etſi ſolet eum, cùm aliquid furiosè fecit, pænitere: numquam autem certior fuit, quàm in hoc negotio. nam, quod ad te non ſcripſeram, poſtea audiui, à tertio miliario tum eum* ῥίψας

πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα:

multa, inquam, mala eum dixiſse, ſuo capiti, vt aiunt. ſed ô meam manſuetudinem. conieceram in faſciculũ vna cum tua venientem ad illum epiſtolam: hanc ad me referri volo; nec vllam ob aliam cauſſam Pollicem, ſeruum à pedibus ~~meis~~, Romam miſi. meum *eo autem ad te ſcripſi, vt, ſi tibi forte reddita eſſet, mihi curares referendam; ne in illius manus perueniret. Noui ſi quid eſset, ſcripſiſsem. pendeo*

animi exspectatione Corfiniensi; in qua de salute Reip. decernitur. Tu fasciculum, qui est ~~DEO~~ M'. CVRIO *inscriptus, velim cures ad eum perferendum; Tironémque Curio commendes; vt ei, vt petij, si quid opus erit, in sumptum eroget.*

CICERO ATTICO. S. VI.

OBSIGNATA *iam epistola, quam de nocte daturus eram, sicut dedi, (nam eam vesperi scripseram) C. Sosius Prætor in Formianum venit ad M'. Lepidum, vicinum nostrũ, quoius Quæstor fuit; Pompeij litterarum ad Cõsulem exemplum attulit.*

Litteræ mihi à L. Domitio A. D. XIII. KAL. Mart. allatæ sunt: earum exemplum infra scripsi. nunc, vt ego non scribam, tua sponte te intelligere scio, quanti Reip. intersit, omnes copias in vnum locum primo quoque tempore conuenire. tu, si tibi videbitur, dabis operam, quamprimum ad nos venias. præsidij Capuæ, quantum constitueritis esse satis, relinquas.

Deinde *supposuit exemplum epistolæ Domitij, quod ego ad te pridie miseram. Dij immortales, qui me horror perfudit! quàm sum solicitus, quidnam futurum sit. hoc tamen spero, magnum nomen imperatoris fore, magnum in aduentu terrorem. spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil in vita. sed ne recenta hoc, quòd cùm fortiter Dij illigent te, tum etiam herculeo nodo. modò enim audiui, quartanam à te discessisse. moriar, si*

magis gauderem, si id mihi accidisset. Piliæ dic, non esse æquum, eam ditiùs habere, nec id esse vestra concordia. Tironem nostrum ab altera relictum audio. sed eum video in sumptum ab aliis mutuatum. ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram. malo Tironis verecundiam in culpa esse, quàm illiberalitatem Curij.

CICERO ATTICO. S. VII.

VNVM *etiam restat amico nostro ad omne dedecus, vt Domitio non subueniat. at nemo dubitat, quin subsidio venturus sit: ego non puto. deseret igitur talem ciuem, & eos, quos vna scis esse? cùm habeat præsertim & ipse cohortes* XXX? *nisi me omnia fallunt, deseret. incredibiliter pertimuit. nihil spectat, nisi fugam: quoi tu (video enim quid sentias) me comitem putas debere esse. ego verò, quem fugiam, habeo; quem sequar, non habeo. quod enim tu meum laudas, & memorandum ducis, malle quòd dixerim me cum Pompeio vinci, quàm cum istis vincere: ego verò malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse videbatur: cum hoc verò, qui ante fugit, quàm scit, aut quem fugiat, aut quò, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit, si malui; contigit; victus sum. quod superest, nec ista videre possum, quæ, numquam timui, ne viderem; nec mehercule istum, propter quem mihi* [illegible] *meis, sed memet ipso carendum est. Ad* [illegible]*am scripsi de viatico,*

non modo
Pomponium

ſiue à Moneta, (nemo enim ſoluit) ſiue ab Oppiis, tuis contubernalibus. cetera appoſita tibi mandabo.

CICERO ATTICO. S. VIII.

O REM *turpem, & ea re miſeram! ſic enim ſentio, id demum, aut potius id ſolum eſſe miſerum, quod turpe ſit. aluerat Cæſarem: eundem repente timere cœperat: condicionem pacis nullam probarat: nihil ad bellum pararat: vrbem reliquerat: Picenum amiſerat culpa: in Apuliam ſe compegerat: ibat in Græciam: omnes nos* ἀπροσφωνήτοις, *expertis ſui tanti, tam inuſitati conſilij, relinquebat. ecce ſubito litteræ Domitij ad illum, ipſius ad Conſules. fulſiſſe mihi videbatur* τὸ καλὸν *ad oculos eius, & exclamaſſe ille vir, qui eſſe debuit,* Πρὸς τοῦθ' ὅ, τι χρὴ, καὶ παλαμάσθων, καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων; τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ. *at ille tibi,* πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ *dicens, pergit Brundiſium. Domitium autem aiunt, re audita, & eos, qui vna eſſent, ſe tradidiſſe. ô rem lugubrem! itaque intercludor dolore, quo minus ad te plura ſcribam. tuas litteras exſpecto.*

CICERO ATTICO. S. IX.

EPISTOLAM *meam quòd peruulgatam ſcribis eſſe, non fero moleſtè. quin etiam ipſe multis dedi deſcribendam. ea enim & acciderunt iam, & impendent, vt teſtatum eſſe velim, de pace quid ſenſerim. cùm*

ſerim. cùm autem ad eam hortarer, eum præſertim hominem, non videbar vllo modo faciliùs moturus, quàm ſi id, quod eum hortarer, conuenire eius ſapientiæ dicerem. eam ſi admirabilem dixi, cùm eum ad ſalutem patriæ hortabar; non ſum veritus, ne viderer aſſentari; quoi tali in re lubenter me ad pedes abiecissem. Quà autem eſt, ALIQVID IMPERTIAS TEMPORIS; non eſt de pace, ſed, de me ipſo, & de meo officio, vt aliquid cogitet. Nam quod teſtificor, me expertem belli fuiſſe; etſi id re perſpectũ eſt, tamen eò ſcripſi, quo in ſuadendo plus auctoritatis haberem; eodémque pertinet, quòd cauſſam eius probo. Sed quid hæc nunc? vtinam aliquid profectum eſſet. ne ego iſtas litteras in contione recitari velim; ſi quidem ille ipſe ad eundem ſcribens in publico propoſuit epiſtolam illam, in qua eſt, PRO TVIS REBVS GESTIS AMPLISSIMIS: amplioribúſne, quàm ſuis, quàm Africani? ita tempeſtas ferebat. ſi quidem etiam vos duo Cales ad quinctum milliarium: quid, nunc ipſum, vnde ſe recipenti? quid agenti? quid acturo? quanto autem ferocius ille cauſſæ ſuæ confidet, cùm vos, cùm veſtri ſimiles non modò frequentes, ſed læto vultu gratulantis viderit? Num igitur peccamus? minimè vos quidem. ſed tamen ſigna conturbantur, quibus voluntas à ſimulatione diſtingui poſſet. Quæ vero S. C. video? ſed apertiùs, quàm propoſueram. Ego Arpini volo eſſe pridie KAL. deinde circum villulas noſtras errare, quas

visurum me postea desperaui. ἰυγενῆ tua consilia, & tamen pro temporibus non incauta, mihi valde probantur. Lepido quidem (nam ferè συνδιημερεύομεν: quod gratissimum illi est) numquam placuit ex Italia exire, Tullo multo minus. crebrò enim illius litteræ ab aliis ad nos commeant. sed me illorum sententiæ minùs mouebant. minùs multa dederant illi Reip. pignora. tua mehercule auctoritas vehementer mouet. affert enim & reliqui temporis recuperandi rationem, & præsentis tuendi. sed, obsecro te, quid hoc miserius, quàm alterum plausus in fœdissima caussa quærere, alterum offensiones in optima? alterum existimari conseruatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum? & mehercule quamuis amemus Cnæum nostrum; vt & facimus, & debemus; tamen hoc, quòd talibus viris non subuenit, laudare non possum. nam siue timuit; quid ignauius? siue, vt quidam putant, meliorem suam caussam illorum cæde fore putauit; quid iniustius? Sed hæc omittamus. augemus enim dolorem retractando. VI. KAL. *vesperi Balbus minor ad me venit, occulta via currens ad Lentulum* COS. *missu Cæsaris, cum litteris, cum mandatis, cum promissione prouinciæ, Romam vt redeat: cui persuaderi posse non arbitror, nisi erit conuentus. idem aiebat, nihil malle Cæsarem, quàm vt Pompeium assequeretur; id credo; & rediret in gratiam; id non credo; & metuo, ne omnis hæc clementia ad vnam illam crudelitatem colligatur. Balbus quidem maior ad me*

ſcribit, nihil malle Cæſarem, quàm principe Pompeio ſine metu viuere. tu puto hæc credis. ſed, cùm hæc ſcribebam V. KAL. *Pompeius iam Brundiſium veniſſe poterat. expeditus enim anteceſſerat legiones Luceria. ſed hoc* τέρας *horribili vigilantia, celeritate, diligentia eſt. planè, quid futurum ſit, neſcio.*

CICERO ATTICO S. X.

DIONYSIVS *cùm ad me præter opinionem meam veniſſet, locutus ſum cum eo liberaliſſimè: tempora expoſui: rogaui, vt diceret, quid haberet in animo: me nihil ab ipſo inuito contendere. reſpondit: ſe, quod in nummis haberet, neſcire quo loci eſſet: alios non ſoluere, aliorum diem non dum eſſe. dixit etiam alia quædam de ſeruulis ſuis, quare nobiſcum eſſe non poſſet. morem geſſi: dimiſi a me, vt magiſtrum Ciceronum, non lubenter; vt hominem ingratum, non inuitus. Volui te ſcire, quid ego de eius facto iudicarem.*

CICERO ATTICO. S. XI.

QVOD *me magno animi motu perturbatum putas; ſum equidem, ſed non tam magno, quàm tibi fortaſſe videor. leuatur enim omnis cura, cùm aut cõſtitit conſiliũ, aut cogitãdo nihil explicatur. lamentari autem licet. illud tamen totos dies. ſed vereor, ne, nihil cùm proficiã, etiã dedecori ſim ſtudiis ac litteris*

nostris. consumo igitur omne tempus, considerans, quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter, vt tibi quidem videmur, expressimus. tenésne igitur, moderatorem illum Reip. quò referre velimus omnia? nam sic quincto, vt opinor, in libro loquitur Scipio. VT ENIM GVBERNATORI CVRSVS SECVNDVS, MEDICO SALVS, IMPERATORI VICTORIA, SIC HVIC MODERATORI REIP. BEATA CIVIVM VITA PROPOSITA EST, VT OPIBVS FIRMA, COPIIS LOCVPLES, GLORIA AMPLA, VIRTVTE HONESTA SIT. HVIVS ENIM OPERIS, MAXIMI INTER HOMINES ATQVE OPTIMI, ILLVM ESSE PERFECTOREM VOLO. *Hoc Cnæus noster cùm antea numquam, tum in hac caussa minimè cogitauit. dominatio quæsita ab vtroque ést: non id actum, beata & honesta ciuitas vt esset. Nec verò ille vrbem reliquit, quod eam tueri non posset; nec Italiam, quòd ea pelleretur: sed hoc à primo cogitauit, omnes terras, omnia maria mouere, reges barbaros incitare, gentis feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. genus illud Sullani regni iampridem appetitur, multis, qui vna sunt, cupientibus. an censes, nihil inter eos conuenire? nullam pactionem fieri potuisse? hodie potest. sed neutri σκοπὸς est ille, vt nos beati simus; vterque regnare vult. Hæc, à te inuitatus, breuiter exposui. voluisti enim me, quid de his malis sentirem, ostendere. προθεσπίζω igitur, noster Attice,*

non ariolans, vt illa, cui nemo credidit, ſed coniectura proſpiciens;

Iámque mari magno.

non multo inquam ſecus poſſum vaticinari: tanta malorum impendet ἰλιὰς. atque hoc noſtra grauior eſt cauſſa, qui domi ſumus, quàm illorum, qui vna tranſierunt, quòd illi quidem alterum metuunt, nos vtrunque. cur igitur, inquis, remanſimus? vel tibi paruimus; vel non occurrimus; vel hoc fuit rectius. conculcari, inquam, miſeram Italiam videbis proxima æſtate, & quati vtriuſque vi mancipiis ex omni genere collectis: nec tam proſcriptio pertimeſcenda, quæ Luceriæ multis ſermonibus denuntiata eſt licituris, quàm vniuerſim interitus: tantas in confligendo vtriuſque vires video futuras. Habes coniecturam meam. tu autem conſolationis fortaſſe aliquid exſpectaſti; nihil inuenio; nihil fieri poteſt miſerius, nihil perditius, nihil fœdius. Quod quæris, quid Cæſar ad me ſcripſerit: quod ſæpe: gratiſſimum ſibi eſſe, quòd quierim: orátque, in eo vt perſeuerem. Balbus minor hæc eadem mandata. iter autem eius erat ad Lentulum COS. *cum litteris Cæſaris, præmiorúmque promiſſis, ſi Romam reuertiſſet. verùm, cùm habeo rationem dierum, ante puto tranſmiſſurum, quàm potuerit conueniri. Epiſtolarum Pompeij duarum, quas ad me miſit, negligentiam, meámque in reſcribendo diligentiam volui tibi notam eſſe. earum exempla ad te miſi. Cæſaris hic per Apuliam ad Brundiſium curſus quid efficiat, exſpecto. vtinam aliquid ſimile Parthicis*

rebus. simul aliquid audiero, scribam ad te. tu ad me velim bonorum sermones. Romæ frequentes esse dicuntur. scio equidem te in publicum non prodire. sed tamen, audire te multa, necesse est. Memini librum tibi afferri à Demetrio Magnete (ad te missum scio) περὶ ὁμονοίας. eum mihi velim mittas. vides, quam caussam mediter.

CN. MAGNVS PROCOS. S. D. M. CICERONI IMP.

Q. Fabius ad me venit A.D. IIII. KAL. Febr. is nuntiat L. Domitium cum suis cohortibus XI, & cohortibus XIV, quas Vibullius adduxit, ad me iter habere: habuisse in animo proficisci Corfinio, A.D. V. ID. Febr. C. Hirrum cum V. cohortibus subsequi. censeo, ad nos Luceriam venias. nam te hic tutissime puto fore.

M. CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.

A. D. XV. KAL. Mart. Formiis accepi tuas literas: ex quibus ea, quæ in agro Piceno gesta erant, cognoui commodiora esse multo, quàm vt erat nobis nuntiatum: Vibulliiq; virtutem, industriámque libenter agnoui. Nos adhuc in ea ora, vbi præpositi sumus, ita fuimus, vt nauem paratam haberemus. ea enim audiebamus, & ea verebamur, vt, quodcunque tu consilium præcepisses, id nobis

persequendum putaremus. nunc, quoniam auctoritate & consilio tuo in spe firmiore sumus; si teneri posse putas Terracinam, & oram maritimam, in ea manebo: etsi præsidia in oppidis nulla sunt. nemo enim nostri ordinis in his locis est, præter M. Eppium, quem ego Minturnis esse volui, vigilantem hominem & industrium. nam L. Torquatum, virum fortem & cum auctoritate, Formiis non habemus: ad te profectum arbitramur. ego omnino, vt proximè tibi placuerat, Capuam veni eo ipso die, quo tu Theano Sidicino es profectus. volueras enim me cum M. Considio Proprǽt. illa negotia tueri. cùm eò venissem, vidi T. Ampium delectum habere diligentissimè, ab eo accipere Libonem summa item diligentia, & in illa colonia auctoritate. fui Capuæ, quoad Consules. iterũ, vt erat dictum ab Consulibus, veni Capuam A. D. Nonas Febr. cùm fuissem triduũ, recepi me Formias. nunc quod tuum consiliũ, aut quæ ratio belli sit, ignoro. si tenendã hanc oram putas, quæ & oportunitatem & dignitatem habet, & egregios ciues, &, vt arbitror, teneri potest; opus est esse, qui præsit. sin omnia in vnum locum contrahenda sunt; non dubito, quin ad te statim veniã: quo mihi nihil optatius est: idque tecum, quo die ab vrbe discessimus, locutus sum. ego, si cui adhuc videor segnior fuisse, dum ne tibi videar, non laboro: & tamen, si, vt video bellum gerendũ est, confido me omnibus facile satisfacturum. M. Tullium, meum necessariũ, ad te misi: cui tu, si tibi videretur, ad me litteras dares.

CN. MAGNVS PROCOS. S. D.
M. CICERONI IMP.

S. V. B. E. Tuas litteras libenter legi. recognoui enim tuam pristinam virtutem etiam in salute communi. Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, venerunt. Magnopere te hortor pro tuo singulari perpetuóq; studio in Rēp. vt te ad nos conferas; vt communi consilio Reip. afflictæ opem atque auxilium feramus. censeo, via Appia iter facias, & celeriter Brundisium venias.

M. CICERO IMP. S. D.
CN. MAGNO PROCOS.

Cvm ad te litteras misissem. quæ tibi Canusij redditæ sunt, suspicionem nullam habebam, te Reip. caussa mare transiturum; erámque in spe magna, fore, vt in Italia possemus aut concordiam constituere, qua mihi nihil vtilius videbatur, aut Remp. summa cum dignitate defendere. interim, non dum meis litteris ad te perlatis, ex his mandatis, quæ D. Lælio ad Consules dederas, certior tui consilij factus, non exspectaui, dum mihi à te litteræ redderentur: confestímque cum Quincto fratre, & cum liberis nostris iter ad te in Apuliam facere cœpi. cùm Theanum Sidicinum venissem, C. Messius, familiaris tuus, mihi dixit, aliíque complures, Cæsarem iter habere Capuam: & eo ipso

die manſurum eſſe Eſerniæ. ſanè ſum commotus; quòd, ſi ita eſſet, non modò iter meum interclu-ſum, ſed meipſum planè exceptum putabam. itaque tum Cales proceſſi, vt ibi potiſſimum conſiſterem, dum certum nobis ab Eſernia de eo, quod audieram, referretur. at mihi, cùm Calibus eſſem, affertur litterarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum COS. miſiſſes. hæ ſcriptæ ſic erant: Litteras tibi à L. Domitio A. D. XIII. KAL. Mart. allatas eſſe; earúmque exemplum ſubſcripſeras; magníque intereſſe Reip. ſcripſeras, omnes copias primo quoque tempore in vnum locum conuenire; & vt, præſidij quod ſatis eſſet, Capuæ relinqueret. His ego litteris lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copiis ad Corfinium eſſe venturum: quò mihi, cùm Cæſar ad oppidum caſtra haberet, tutum iter eſſe non arbitrabar. cùm res in ſumma exſpectatione eſſet, vtrunque ſimul audimus, & quæ Corfinij acta eſſent, & te iter Brundiſium facere cœpiſſe: cúmque nec mihi, nec fratri meo dubium eſſet, quin Brundiſium contenderemus; à multis, qui è Samnio, Apuliáque veniebant, admoniti ſumus, vt caueremus, ne exciperemur à Cæſare; quòd is in eadem loca, quæ nos petebamus, profectus, celeriùs etiam, quàm nos poſſemus, eò, quò intenderat, venturus eſſet. quod cùm ita eſſet; nec mihi, nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, vt temeritas noſtra non ſolum nobis, ſed etiam Reip. noceret; cùm præſertim non dubitaremus,

quin, ſi etiam tutum nobis iter fuiſſet, te tamen iam conſequi non poſſemus. interim accepimus tuas litteras, Canuſio A. D. X. KAL. Mart. datas, quibus nos hortaris, vt celerius Brundiſium veniamus: quas cùm accepiſſemus. A. D. III. KAL. Mart. non dubitabamus, quin tu iam Brundiſium perueniſſes: nobiſque iter illud omnino interclusum videbatur: neque minùs nos eſſe captos, quàm qui Corfinium veniſſent. neque enim eos ſolos arbitrabamur capi, qui in armatorũ manus incidiſſent, ſed eos nihilo minùs, qui regionibus excluſi, intra præſidia, atque intra arma aliena veniſſent. quod cùm ita ſit, maximè vellem primùm ſemper tecum fuiſſe; quod quidem tibi oſtenderam, cùm à me Capuam reiiciebam: quod feci non vitandi oneris cauſſa, ſed quòd videbam, teneri illam vrbem ſine exercitu non poſſe: accidere autem mihi nolebam, quod doleo viris fortiſsimis accidiſſe. quoniam autem, tecum vt eſſem, non contigit: vtinam tui conſilij certior factus eſſem. nam ſuſpicione aſſequi non potui; quòd omnia prius arbitratus ſum fore, quàm vt hæc Reipub. cauſſa in Italia non poſſet duce te conſiſtere. neque verò nunc conſilium tuum reprehendo, ſed fortunam Reipub. lugeo: nec, ſi ego, quid tu ſis ſecutus, non perſpicio, idcirco minus exiſtimo, te nihil niſi ſumma ratione, feciſſe. mea quæ ſemper fuerit ſententia, primùm de pace vel iniqua condicione retinenda, deinde de vrbe, (nam de Italia quidem nihil mihi vmquam oſtenderas) meminiſſe

te arbitror. ſed mihi non ſumo, vt meum conſilium valere debuerit: ſecutus ſum tuum; neque id Reipub. cauſſa, de qua deſperaui, quæ & nunc afflicta eſt, nec excitari ſine ciuili perniciosiſſimo bello poteſt: ſed te quærebam: tecum eſſe cupiebam: neque eius rei facultatem, ſi qua erit prætermittam. Ego me in hac omni cauſſa facilè intelligebam pugnandi cupidis hominibus non ſatisfacere. primum enim præ me tuli, me nihil malle, quàm pacem; non quin eadem timerem, quæ illi: ſed ea bello ciuili leuiora ducebam. inde, ſuſcepto bello, cùm pacis condiciones ad te afferri, à téque ad ea honorificè & largè reſponderi viderem; duxi meam rationem; quam tibi facilè me probaturum, pro tuo in me beneficio, arbitrabar. Memineram me eſſe vnum, qui pro meis maximis in Remp. meritis ſupplicia miſerrima & crudeliſſima pertuliſſem: me eſſe vnum, qui, ſi offendiſſem eius animum, cui tum cùm iam in armis eſſemus, Conſulatus tamen alter, & triumphus ampliſſimus deferebatur, ſubiicerer eiſdem prœliis: vt mea perſona ſemper ad improborũ ciuiũ impetus aliquid videretur habere populare. atque hæc non ego priùs ſum ſuſpicatus, quàm mihi palam denuntiata ſunt: neque ea tam pertimui, ſi ſubeunda eſſent, quàm declinanda putaui, ſi honeſtè vitare poſſem. Quam breuem illius temporis, dum in ſpe pax fuit rationem noſtram vides; reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus non ſatisfacio, facile reſpondeo. neque enim

ego amicior C. Cæſari vmquam fui, quàm illi: neque illi amiciores Reip. quàm ego. hoc inter me, & illos intereſt; quòd, cum & illi ciues optimi ſint, & ego ab iſta laude non abſim, ego condicionibus, quod idem te intellexeram velle, illi armis diſceptari maluerunt. quæ quoniam ratio vicit; perficiam profectò, vt neque Reip. ciuis à me animum, neque tu amici deſideres.

CICERO ATTICO. S. XII.

M I H I *moleſtior lippitudo erat etiam, quàm ante fuerat. dictare tamen hanc epiſtolam malui, quàm Gallo Fabio, amantiſſimo vtriuſque noſtrum, nihil ad te litterarum dare. nam pridie quidem, quoquo modo potueram, ſcripſeram ipſe eas litteras, quarum vaticinationem falſam eſſe cupio. huius autem epiſtolæ non ſolùm ea cauſſa eſt, vt ne quis à me dies intermittatur, quin dem ad te litteras; ſed etiam hæc iuſtior, vt à te impetrarem, vt ſumeres aliquid temporis; quo quia tibi perexiguo opus eſt, explicari mihi tuum conſilium planè volo, vt penitus intelligam. Omnia ſunt integra nobis. nihil prætermiſſum eſt, quod non habeat ſapientem excuſationem, non modò probabilem. nam certe neque tum peccaui, cùm imparatam iam Capuam, non ſolùm ignauiæ delectus, ſed etiam perfidiæ ſuſpicionem fugiens, accipere nolui: neq; cùm poſt condiciones pacis per L. Cæſarem & Fabatum allatas, caui, ne animũ eius offenderem, cui Põpeius iam armatus*

armato Consulatum triumphúmque deferret. Nec verò hæc extrema quisquam potest iure reprehendere, quòd mare non transierim. id enim, etsi erat deliberationis, tamen obire non potui. neque enim suspicari debui; præsertim cùm ex ipsius Pompeij litteris, idem quod video te existimasse, non dubitarim, quin is Domitio subuenturus esset. & planè, quid rectum, & quid faciendum mihi esset, diutiùs cogitare malui. Primùm igitur, hæc qualia tibi esse videãtur, etsi significata sunt à te, tamen accuratiùs mihi perscribas, velim: deinde aliquid etiam in posterum prospicias, fingásque, quem me esse deceat, & vbi me plurimum prodesse Reip. sentias; ecqua pacifica persona desideretur; an in bellatore sint omnia. Atque ego, qui omnia officio metior, recordor tamen tua consilia; quibus si paruissem, tristitiam illorum temporum non subiissem. memini, quid mihi tum suaseris per Theophanem, per Culeonem: ídque sæpe ingemiscens sum recordatus. quare nunc saltem ad illos calculos reuertamur, quos tum abiecimus; vt non solùm gloriosis consiliis vtamur, sed etiam paulo salubribus. sed nihil præscribo. accuratè velim perscribas tuam ad me sententiam. Volo etiam exquiras, quàm diligentissimè poteris, (habebis autem, per quos possis) quid Lentulus noster, quid Domitius agat, quid acturus sit, quemadmodum nunc se gerant, num quem accusent, num cui suscenseant. quid dico, num cui? num Pompeio. omnino culpam omnem Pompeius in Domitium confert: quod ipsius litteris cognosci potest: quarum exem-

plum ad te mitto. Hæc igitur videbis; &, quod ad te ante scripsi, Demetrij Magnetis librum, quem ad te misit de concordia, velim mihi mittas.

CN. MAGNVS PROCOS. M. MARCELLO, L. LENTVLO COSS. S. D.

EGO, quòd existimabam, dispersos nos, neque Reip. vtiles, neque nobis præsidio esse posse, idcirco ad L. Domitium litteras misi, primùm vti ipse cum omni copia ad nos veniret: si de se dubitaret, vt cohortes XIX. quæ ex Piceno ad me iter habebant, ad nos mitteret. quod veritus sum, factum est, vt Domitius implicaretur; neque ipse satis firmus esset ad castra facienda: quòd meas XIX. & suas XII. cohortis tribus in oppidis distributas haberet: (nam partim Albæ, partim Sulmone collocauit) neque se, si vellet, expedire posset. nunc scitote, me esse in summa solicitudine. nam & tot & talis viros periculo obsidionis liberare cupio: neque subsidio ire possum; quòd his duabus legionibus non puto esse comittendum, vt illuc ducãtur; ex quibus tamen non amplius XIIII. cohortis contrahere potui: quod Brundisium præsidium misi: neque Canusium sine præsidio, dum abessem, putaui esse dimittendum. Dellio mandaram, quòd maiores copias sperabam nos habituros, vt, si vobis videretur, alteuter vestrum ad me veniret: alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ, & circum Capuam comparastis; & cum iis

militibus, quos Faustus legit, proficisceretur; Domitius cum XII. suis cohortibus eodem adiungeretur, reliquæ copiæ omnes Brundisium cogerentur: & inde nauibus Dyrrachium transportarentur. nunc, cùm hoc tempore nihilo magis ego, quàm vos, subsidio Domitio ire possim, se per montis explicare; non est nobis committendum, vt ad has XIIII. cohortes, quas ego dubio animo habeo, hostis accedere, aut in itinere me consequi possit. Quamobrem placitum est mihi, & ita video censeri Marcello, & ceteris nostri ornis, qui hic sunt vt Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo. vos hortor, vt quodcunque militum contrahere poteritis, contrahatis, & eodem veniatis quamprimum. arma, quæ ad me missuri eratis, iis, censeo, armetis milites, quos vobiscum habetis. quæ arma superabunt, ea si Brundisium iumentis deportaritis, vehementer Reip. profueritis. de hac re vellem nostros certiores faciatis. ego ad P. Lupum, & C. Coponium Prætores misi, vt se nobis coniungerent; &, militum quod haberent, ad vos deducerent.

CN. MAGNVS PROCOS. S. D.
L. DOMITIO PROCOS.

MIROR, te ad me nihil scribere, & potiùs ab aliis, quàm à te, de Rep. me certiorē fieri. Nos, disiecta manu, pares aduersariis esse nō possumus. cōtractis nostris copiis, spero nos & Reip. & com-

muni ſaluti prodeſſe poſſe. quamobrem cùm conſtituiſſes, vt Vibullius mihi ſcripſerat A. D. I D. Feb. Corfinio proficiſci cum exercitu, & ad me venire; miror, quid cauſſæ fuerit, quare conſilium mutaris. nam illa cauſſa, quam mihi Vibullius ſcribit, leuis eſt, te propterea moratum eſſe, quòd audieris, Cæſarem Firmo progreſſum in Caſtrum Truentinum veniſſe. quanto enim magis appropinquare aduerſarius cœpit, eo tibi celeriùs agendum erat, vt te mecum coniungeres, prius, quàm Cæſar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere poſſet. Quamobrem etiam & etiam te rogo & hortor, id quod non deſtiti ſuperioribus litteris à te petere, vt primo quoque die Luceriam aduenires ante quàm copiæ, quas inſtituit Cæſar contrahere, in vnūm locum coactæ nos à nobis diſtrahant. ſed ſi erunt, qui te impediant, vt illas ſuas ſeruent, æquum eſt me à te impetrare vt cohortes, quæ ex Piceno & Camerino venerunt, quæ fortunas ſuas reliquerunt, ad me miſſum facias.

CN. MAGNVS PROCOS. S. D.
L. DOMITIO PROCOS.

LITTERAS abs te M. Calenius ad me attulit A. D. XIIII. KAL. Mart. in quibus litteris ſcribis, tibi in animo eſſe, obſeruare Cæſarē; &, ſi ſecundum mare ad me ire cœpiſſet, confeſtim in Samnium ad me venturum; ſin autem ille circum iſtæc loca commoraretur, te ei, ſi propiùs acceſſiſſet,

ſiſſet, reſiſtere velle. te animo magno & forti iſtam rem agere exiſtimo: ſed diligentiùs nobis eſt videndum, ne diſtracti pares eſſe aduerſario non poſſimus; cùm ille magnas copias habeat, & maioris breui habiturus ſit. non enim pro tua prudentia debes illud ſolùm animaduertere, quot in præſentia cohortes contra te habeat Cæſar, ſed quantas breui tempore equitum & peditum copias contracturus ſit. cui rei teſtimonio ſunt litteræ, quas Buſſenius ad me miſit; in quibus ſcribit, id quod ab illis quoque mihi ſcribitur, præſidia Curionem, quæ in Vmbria & Tuſcis erant, contrahere, & ad Cæſarem iter facere. quæ ſi copiæ in vnum locum fuerint coactæ, vt pars exercitus ad Albam mittatur, pars ad te accedat, vt non pugnet, ſed locis ſuis repugnet, hærebis: neque ſolus cum iſta copia tantam multitudinem ſuſtinere poteris, vt frumentatum eas. Quamobrem te magnopere hortor, vt quamprimum cum omni copia huc venias. Conſules conſtituerunt idem facere. ego Metuſcilio ad te mandata dedi, prouidendum eſſe, ne duæ legiones ſine Picentinis cohortibus in conſpectum Cæſaris committerentur. Quamobrem nolito commoueri, ſi audieris me regredi, ſi forte Cæſar ad me veniet. cauendum enim puto eſſe, ne implicatus hæream. nam neque caſtra, propter anni tempus & militum animos, facere poſſum: neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit; ne receptum amittam. itaque non amplius XIV. cohortes Luceriam coegi. Conſules præſidia omnia

deducturi sunt, aut in Siciliam ituri. nam aut exercitum firmũ habere oportet, quo confidamus perrũpere nos posse; aut regiones eiusmodi obtinere, è quibus repugnemus. id quod neutrum nobis hoc tempore contingit: quòd & magnam partem Italiæ Cæsar occupauit; & nos non habemus exercitum tam amplum, neque tam magnum, quàm ille. itaque nobis prouidendum est, vt summam Reip. rationem habeamus. Etiam atque etiam te hortor, vt cum omni copia quamprimum ad me venias. possumus etiam nunc Remp. erigere, si communi consilio negotium administrabimus: sin distrahemur, infirmi erimus. mihi hoc constitutum est. His litteris scriptis, Sica à te mihi litteras attulit & mandata. Quod me hortare, vt istuc veniam: id me facere non arbitror posse; quòd non magnopere his legionibus confido.

CN. MAGNVS PROCOS. S. D. L. DOMITIO PROCOS.

LITTERAE mihi à te redditæ sunt A. D. XIII. KAL. Mart. in quibus scribis, Cæsarem apud Corfinium castra posuisse. quod putaui & præmonui, fit, vt nec in præsentia committere tecum prœlium velit; &, omnibus copiis conductis, te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit: atque istas copias cõiungere optimorum ciuium possis cum his legionibus, de quarum voluntate dubitamus: quo etiam magis tuis litteris sum cõmotus. neque

enim eorum militum, quos mecum habeo, voluntati satis confido, vt de omnibus fortunis Reip. dimicem: neque etiam, qui ex delectibus conscripti sunt à Consulibus, conuenerunt. Quare da operam, si vlla ratione etiam nunc efficere potes, vt te explices, huc quamprimum venias ante, quàm omnes copiæ aduersariūm cōueniant. neque enim celeriter ex delectibus huc homines cōuenire possunt: & , si conuenirent, quantum iis committendum sit, quòd inter se ne noti quidem sunt, contra veteranas legiones, non te præterit.

CICERO ATTICO. S. XIII.

LIPPITVDINIS *meæ signum tibi sit librarij manus, & eadem caussa breuitatis: etsi nunc quidem, quod scriberem nihil erat. omnis exspectatio nostra erat in nuntiis Brundisinis. si nactus hic esset Cneum nostrum, spes dubia pacis: sin ille ante tramisisset, exitiosi belli metus. sed vidésne, in quem hominem inciderit Resp.? quàm acutum, quàm vigilantem, quàm paratum? si mehercule neminem occiderit, nec cuiquam quicquam ademerit, ab his, qui eum maximè timuerant, maxime diligetur. multùm mecum municipales homines loquũtur, multùm rusticani. nihil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi villulas, nisi nummulos suos. & vide, quàm conuersa res est. illum, quo antea confidebant, metuunt; hunc amant, quem timebant. id quãtis nostris peccatis, vitiisq; euenerit, non possum*

ſine moleſtia cogitare. quæ autem impendere putarem, ſcripſeram ad te; & iam tuas litteras exſpectabam.

CICERO ATTICO S. XIIII.

N ON *dubito, quin tibi odioſæ ſint epiſtolæ quotidianæ, cùm præſertim neque noua de re aliqua certiorem te faciam, neque nouam denique iam reperiam ſcribendi vllam ſententiam. ſed, ſi dedita opera, cùm cauſſa nulla eſſet, tabellarios ad te cum inanibus epiſtolis mitterem; facerem ineptè. euntibus verò, domeſticis præſertim, vt nihil ad te dem litterarum, facere non poſſum: & ſimul (crede mihi) requieſco paulum in his miſeriis, cùm quaſi tecum loquor: cùm vero tuas epiſtolas lego, multo etiam magis. omnino intelligo, nullum fuiſſe tempus poſt has fugas & formidines, quod magis debuerit mutum eſſe à litteris: propterea quòd neque Romæ quicquam auditur noui: nec in his locis, quæ à Brundiſio abſunt propiùs, quàm tu, biduum, aut triduum. Brundiſii autem omne certamen vertitur huius primi temporis. qua quidem exſpectatione torqueor. ſed omnia ante nos ſciemus. eodem enim die video Cæſarem à Corfinio poſt meridiem profectum eſſe, id eſt, Feralibus, quo Canuſio mane Pompeium. eo modo autem ambulat Cæſar, & iis dictis militum celeritatem incitat, vt timeam, ne citiùs ad Brundiſium, quàm opus ſit, acceſſerit. dices, Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei mole-*

ſtiam, quam triduo ſciturus ſis? nihil equidem. ſed, vt ſupra dixi, tecum perlibenter loquor: & ſimul ſcito, labare meum conſilium, illud, quod ſatis iam fixum videbatur. non mihi ſatis idonei ſunt auctores ij, qui à te probantur. quod enim vmquam eorum in Rep. forte factum extitit? aut quis ab his vllam rem laude dignam deſiderat? nec mehercule laudandos exiſtimo, qui trans mare belli parandi cauſſa profecti ſunt: (quamquam hæc ferenda non erant) video enim, quantum id bellum, & quàm peſtiferum futurum ſit. ſed me mouet vnus vir; cuius fugientis comes, Remp. recuperantis ſocius videor eſſe debere. Totiéſne igitur ſententiam mutas? ego tecum, tamquam mecum loquor. quis autem eſt, tanta quidem de re, quin variè ſecum ipſe diſputet? ſimul & elicere cupio ſententiã tuam; ſi manet, vt firmior ſim; ſi mutata eſt, vt tibi aſſentiar. omnino ad id, de quo dubito, pertinet, me ſcire, quid Domitius acturus ſit, quid noſter Lentulus. de Domitio varia audimus, modo eſſe in Tiburti, haud lepidè: quod cùm lepidius acceſſiſſe ad vrbem: quod item falſum video eſſe. ait enim Lepidus, eum neſcio quò penetraſſe itineribus; occultandi ſui cauſſa, an maris apiſcendi, ne id quidem ſcit. ignorat enim de filio. addit illud, ſanè moleſtum; pecuniam Domitio ſatis grandem, quam is Corfinij habuerit, non eſſe redditam. de Lentulo autem nihil audimus. hæc velim exquiras, ad méque perſcribas.

CICERO ATTICO. S. XV.

A. D. V. *Non. Mart. epistolas mihi tuas Aegypta reddidit, vnam veterem* IV. KAL. *quam te scribis dedisse Pinario, quem non vidimus; in qua exspectas, quidnam præmissus agat Vibullius; qui omnino non est visus a Cæsare: (in altera epistola, video, te scire ita esse) &, quemadmodum redeuntem excipiam Cæsarem; quem omnino vitare cogito: &, haue, Athenionis fugam intendis, commutationémque vitæ tuæ; quod tibi puto esse faciendum: &, ignoras, Domitius cum fascibúsne sit; quod cum scies, facies, vt sciamus. Habes ad primam epistolam. secutæ sunt duæ, pridie* KAL. *ambæ datæ, quæ me conuellerunt de pristino statu, iam tamen, vt ante ad te scripsi, labantem. Nec me mouet, quod scribis,* IOVI IPSI INIQVVM. *nam periculum in vtriusque iracundia positum est: victoria autem ita incerta, vt deterior caussa paratior mihi esse videatur: nec me Consules mouent, qui ipsi pluma aut folio facilius mouentur. officij me deliberatio cruciat, cruciauitque adhuc. cautior certè est mansio: honestior existimatur traiectio. malo interdum, multi me non cautè, quàm pauci me honestè, fecisse existiment. De Lepido & Tullo quod quæris; illi verò non dubitant, quin Cæsari præsto futuri, in Senatúmque venturi sint. Recentissima tua est epistola* KAL. *data; in quo optas congressum, pacémque non desperas. sed ego, cùm hæc scri-*

bebam, nec illos congressuros, nec, si congressi essent, Pompeium ad vllam condicionem accessurum putabam. Quod videris non dubitare, si Consules transeant, quid nos facere oporteat; certè transeunt: vel, quo modo nunc est, transierunt. sed memento, præter Appium, neminem esse ferè, qui non ius habeat transeundi. nam aut cum imperio sunt, vt Pompeius, vt Scipio, Setenas, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi Consules; quibus more maiorum concessum est vel omnes adire prouincias: aut legati sunt eorum. sed nihil differo. quid placeat tibi, & quid propemodum rectum sit, intelligo. Plura scriberem, si ipse possem. sed, vt mihi videor, potero biduo. Balbi Cornelij litterarum exemplum, quas eodem die accepi, quo tuas, misi ad te, vt meam vicem doleres, cùm me derideri videres.

BALBVS CICERONI IMP. S.

OBSECRO te Cicero, suscipe curam & cogitationem dignissimam tuæ virtutis, vt Cæsarem & Pompeium, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. crede mihi, Cæsarem nō solùm fore in tua potestate, sed etiam maximum beneficium te sibi dedisse iudicaturum, si huc te reiicis. velim, idem Pompeius faciat: qui vt adduci tali tempore ad vllam condicionem possit, magis opto, quàm spero. sed, cùm cōstiterit, & timere desierit, tum incipiam non desperare tuam auctoritatem plurimū valituram. Quòd Lētulum

COS. meum voluiſti hic remanere, Cæſari gratum, mihi verò gratiſſimum me dius fidius feciſti. nam illum tanti facio, qui non Cæſarem magis diligam: qui ſi paſſus eſſet, nos ſecum, vt conſueueramus, loqui; & non ſe totum etiam & etiam ab ſermone noſtro auertiſſet, minus miſer, quàm ſum, eſſem. nam caue putes, hoc tempore plus me quemquam cruciari, quòd eum, quem ante me diligo, video in Conſulatu quiduis potiùs eſſe, quàm Conſulem. quòd ſi voluerit tibi obtemperare, & nobis de Cæſare credere, & Conſulatum reliquum Romæ peragere, incipiam ſperare, etiam, conſilio Senatus, auctore te, illo relatore, Pompeium & Cæſarem coniungi poſſe. quod ſi factum erit, me ſatis vixiſſe putabo. Factum Cæſaris de Corfinio totum me probaturum ſcito. quo modo in huiuſmodi re, commodiùs cadere non potuit, quàm vt res ſine ſanguine confieret. Balbi mei tuíque aduentu delectatum te, valde gaudeo. is quæcunque tibi de Cæſare dixit, quæque Cæſar ſcripſit, ſcio re tibi probabit, quæcunque fortuna eius fuerit, veriſſimè ſcripſiſſe.

CICERO ATTICO. S. XVI.

OMNIA *mihi prouiſa ſunt, præter occultum, & tutum iter ad mare ſuperum. hoc enim mari vti non poſſumus hoc tempore anni. illuc autem, quò ſpectat animus, & quò res vocat, qua veniam? cedendum enim eſt celeriter; ne fortè qua re impediar,*

atque alliger. nec verò ille me ducit, qui videtur: quem ego hominem ἀπολιτικώτατον omnium iam ante cognoram; nunc verò etiam ἀστρατηγικώτατον. non me igitur is ducit, sed sermo hominum, qui ad me à Philotimo scribitur. is enim me ab optimatibus ait conscindi. quibus optimatibus, dij boni? qui nunc quo modo occurrunt, quo modo autem se venditant Cæsari? municipia vero Deum: nec simulant, vt cum de illo ægroto vota faciebant. sed planè, quidquid mali hic Pisistratus non fecerit, tam gratum est, quàm si alium facere prohibuerit. hunc propitium sperant; illum iratum putant. quas fieri censes ἀπαντήσεις ex oppidis? quos honores? metuunt, inquies: credo; sed mehercule illum magis. huius insidiosa clementia delectantur: illius iracundiam formidant. iudices DCCCL. qui præcipuè Cnæo nostro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem video, nescio quas eius Lucerias horrent. itaque quæro, qui sint isti optimates, qui me exturbent, cùm ipsi domi maneant. sed tamen, quicunque sunt, αἰδέομαι Τρῶας. etsi, qua spe proficiscar, video; coniungóque me cum homine magis ad vastandum Italiam, quàm ad vincendum parato: demum quem exspecto. & quidem, cùm hæc scribebam IV. Nonas iam exspectabam aliquid à Brundisio. quid autem aliquid? quàm inde turpiter fugisset, & victor hic quà se referret, & quò. quod vbi audissem; si ille Appia veniret, ego Arpinum cogitabam.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER IX.

CICERO ATTICO. S. I.

ETSI, cùm tu has litteras legeres, putabam fore, vt scirem iam, quid Brundisii actum esset; (nam Canusio VIII. KAL. profectus erat Cnæus; hæc autem scribebam pridie Nonas XIV. die postquam ille Canusio mouerat) tamen angebar singularum horarum exspectatione: mirabárque, nihil allatum esse ne rumoris quidem. nam erat mirum silentium. sed hæc fortasse κενόσπουδα sunt: quæ tamen iam sciantur, necesse est. illud molestum, me adhuc inuestigare non posse, vbi P. Lentulus noster sit, vbi Domitius. quæro autem, quò faciliùs scire possim, quid acturi sint, iturine ad Pōpeium: &, si sunt, quà quandóue ituri sunt. vrbem quidem iam refertam esse optimatium audio; Sosium, & Lupum, quos Cnæus noster ante putabat Brundisium venturos esse, quàm se, ius dicere. hic verò vulgo vadunt. etiam M. Lepidus, quocum diem conterere solebam, cras cogitabat. nos autem in Formiano morabamur, quo citiùs audiremus: deinde Arpinum volebamus. inde, iter quà maxime ἀναπάντητον esset, ad mare superum, remotis, siue omnino missis lictoribus. audio enim, bonis viris, qui & nunc, & sæpe antea magno

præſidio Reip. fuerunt, hanc cunctationem noſtram non probari, multáque in me, & ſeuerè in conuiuiis tempeſtiuis quidem diſputari. cedamus igitur; &, vt boni ciues ſimus, bellum Italiæ terra, maríque inferamus; & odia improborum rurſus in nos, quæ iam extincta erant, incendamus; & Luccey cõſilia, ac Theophani perſequamur. nam Scipio vel in Syriam proficiſcitur, ſorte; vel cum genero, honeſtè; vel Cæſarem fugit, iratum. Marcelli quidem, niſi gladium Cæſaris timuiſſent, manerent. Appius & eodem timore, & inimicitiarum recentium: & tamen, præter hunc, & C. Caſſium, reliqui legati; Fauſtus Proquæſtor: ego vnus, cui vtrumuis liceret: frater accederet; quem ſocium huius fortunæ eſſe, non erat æquum: cui magis etiam Cæſar iraſceretur. ſed impetrare non poſſum, vt maneat. dabimus hoc Pompeio, quod debemus. nam me quidem alius nemo mouet; non ſermo bonorum, qui nulli ſunt; non cauſſa, quæ acta timidè eſt, agetur improbè. vni, vni hoc damus, ne id quidem roganti, nec ſuam cauſſam (vt ait) agenti, ſed publicam. Tu quid cogites de tranſeundo in Epirum, ſcire ſanè velim.

CICERO ATTICO S. II.

ETSI *Nonis Mart. die tuo, vt opinor, exſpectabam epiſtolã à te lõgiorem; tamen ad eam ipſam breuem, quã* III. *Nonas* ὑπὸ τὴν διάληψιν *dediſti, reſcribendum putaui. Gaudere ais te, mãſiſſe me; et*

ſcribis, in ſententia te manere. mihi autem ſuperioribus litteris videbare non dubitare, quin cederem, ita, ſi & Cnæus bene comitatus cōſcendiſſet, & Conſules tranſiſſent. vtrum, hoc tu parum commeminiſti, an ego non ſatis intellexi, an mutaſti ſententiam? ſed aut ex epiſtola, quàm exſpecto, perſpiciam, quid ſentias; aut alias abs te litteras eliciam. Brundiſio nihil dum erat allatum. ô rem difficilem, planéque perditam! quàm nihil prætermittis in conſilio dando! quàm nihil tamen, quod tibi placeat, explicas! non eſſe me vna cum Pompeio, gaudes: ac proponis, quàm ſit turpe, me adeſſe, cùm quid de illo detrahatur, nec fas eſſe approbare. certè. contra igitur? dij, inquis, auerruncent. quid ergo fiet, ſi in altero ſcelus eſt, in altero ſupplicium? impetrabis, inquis, à Cæſare, vt tibi abeſſe liceat, & eſſe otioſo. ſupplicandum igitur? miſerum. quid, ſi non impetraro? & de triumpho erit, inquis, integrum. quid, ſi hoc ipſo premar? accipiam? quid fœdius? negem? repudiari ſe totum, magis etiam, quàm olim in XX. viratu, putabit. ac ſolet, cùm ſe purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me ſibi fuiſſe inimicum, vt ne honorem quidem à ſe accipere vellem. quanto nunc hoc idem accipiet aſperius? tanto ſcilicet, quanto & honor hic illo eſt amplior, & ipſe robuſtior. Nam quòd negas te dubitare, quin magna in offenſa ſim apud Pompeium hoc tempore, non video cauſſam, cur ita ſit, hoc quidem tempore. qui enim amiſſo Corfinio denique certiorem me ſui conſilij fecit, is

queretur Brundisium me non venisse, cùm inter me, & Brundisium Cæsar esset? deinde, etiam scit ἀπαρρησίαστον esse in ea caussa querelam suam. me putat de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de pace, de vrbe, de pecunia, de Piceno occupando plus vidisse, quàm se. sin, cùm potuero, non venero; tum erit inimicus: quod ego non eò vereor, ne mihi noceat: (quid enim faciet?

Τίς δ' ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;)

sed quia ingrati animi crimen horreo. confido igitur aduentum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, vt scribis, ἀσμένιστον fore. Nam quod ais, si hic temperantiùs egerit consideratius consilium te daturum; quî hic potest se gerere non perdite? vita, mores, ante facta, ratio suscepti negotij, socij, vires bonorum, aut etiam constantia. Vix dum epistolam tuam legeram, cum ad me, currens ad illum, Postumus Curtius venit, nihil nisi classis loquens & exercitus: eripiebat Hispanias: tenebat Asiam, Siciliam, Africam, Sardiniam: confestim in Græciam persequebatur. eundum igitur est, nec tam vt belli, quàm vt fugæ socij simus. nec enim ferre potero sermones istorum quicunque sunt. non sunt enim certè, vt appellantur, boni. sed tamen id ipsum scire cupio, quid loquantur; ídque vt exquiras, méque certiorem facias, te vehementer rogo. Nos adhuc, quid Brundisii actum esset, planè nesciebamus. cùm sciemus, tum ex re, & ex tempore consilium capiemus; sed vtemur tuo.

CICERO ATTICO. S. III

DOMITII *filius transiit Formias* VIII. ID. *currens ad matrem Neapolim, mihique nuntiari iussit, patrem ad vrbem esse; cùm de eo curiose quæsisset seruus noster Dionysius. nos autem audieramus eum profectum siue ad Pompeium, siue in Hispaniam. id cuiusmodi sit, scire sanè velim. nam ad id, quod delibero, pertinet, si ille certè nusquam discessit, intelligere Cnæum, non esse facilis nobis ex Italia exitus, cùm ea tota armis, præsidiisque teneatur, hieme præsertim. nam, si commodius anni tempus esset, vel infero mari liceret vti. nunc nihil potest, nisi supero, tramitti; quò iter interclusum est. quæres igitur & de Domitio & de Lentulo. A Brundisio nulla adhuc fama venerat: & erat hic dies* VII. ID. *quo die, suspicabamur, aut pridie Brundisium venisse Cæsarem. nam* KAL. *Arpis manserat. sed si Postumum audire velles, persecuturus erat Cnæum. transisse enim iam putabat, coniectura tempestatum ac dierum. ego nautas eum non putabam habiturum: ille confidebat, & eo magis, quòd audita nauiculariis hominis liberalitas esset. sed tota res Brundisina iam quo modo habeat se, diutiùs nescire non possum.*

CICERO ATTICO. S. IIII.

EGO *etsi tam diu requiesco, quam diu aut ad*

te ſcribo, aut tuas litteras lego: tamen & ipſe egeo argumento epiſtolarum, & tibi idem accidere certo ſcio. quæ enim ſoluto animo familiariter ſcribi ſolent, temporibus his excluduntur. quæ autem ſunt horum temporum, ea iam contriuimus. ſed tamen, ne me totum ægritudini dedam, ſumpſi mihi quaſdam tanquam θέσεις, *quæ & politicæ ſunt, & temporum horum; vt & abducam animum ab querelis, & in eo ipſo, de quo agitur, exercear. ea ſunt huiuſmodi.*

Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ. Τυραννουμένης δ' αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν. Εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται. Εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ. Εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν, ἀναχωρήσαντα ποι, τῆς πατρίδος τυραννουμένης. Εἰ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι. Εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον ταύτην τυραννουμένην. Εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις. Εἰ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. Εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτό τε τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν, καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος.

Εἰ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε, καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας. *in his ego me cõſultationibus exercens, & diſſerens in vtranque partem tum Græcè, tum Latinè, & ab-*

duco parumper animum à molestiis, & τῆς προβλήματος τι delibero. Sed vereor, ne tibi ἄκαιρος sim. si enim rectè ambulauerit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit.

CICERO ATTICO. S. V.

NATALI *die tuo scripsisti epistolam ad me plenam consilij, summaq; cùm beneuolentiæ, tum etiam prudentiæ: eam mihi Philotimus postridie, quàm à te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quæ disputas, difficillima, iter ad superum, nauigatio infero, discessus Arpinum, ne hunc fugisse; mansio Formiis, ne obtulisse nos gratulationi videamur: sed miserius nihil, quàm ea videre, quæ tamen, iam, iam, inquam, videnda erunt. Fuit apud me Postumus: scripsi ad te, quam grauis. venit ad me etiã Q. Fufius, quo vultu! quo spiritu! properans Brundisium, scelus accusans Pompeii, leuitatem & stultitiam Senatus. hæc qui in mea villa non feram, Curtium in Curia potero ferre? Age, finge me quamuis εὐστομάχως hæc ferentem: quid illa, dic M. tulli, quem habebunt exitum? Et omitto caussam Reip. quam ego amissam puto cùm vulneribus suis, tum medicamentis iis, quæ parantur. de Pompeio quid agam? cui planè (quid enim hoc negem?) suscensui. semper enim caussæ euentorum magis mouent, quàm ipsa euenta. hæc igitur mala, (quibus maiora esse quæ possunt?) considerans, vel potius iudicans eius opera accidisse & culpa. inimicior*

inimicior

inimicior eram huic, quàm ipsi Cæsari. ut maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quàm urbis captæ; quod hoc malum ex illo; itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus: sic ego, decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos, hoc non defendente, ne dicam grauias, afflixerat; præsentisque temporis cognoscens temeritatem, ignauiam, negligentiam, suscensebam. sed ea iam mihi exciderunt. beneficia eiusdem cogito; cogito etiam dignitatem. intelligo, seriùs equidem, quam vellem, propter epistolas sermonésque Balbi; sed video plane, nihil aliud agi, nihil actum ab initio, quàm ut hunc occideret. ego igitur, si quis apud Homerum, cum ei & mater & dea dixisset,

Αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος,

matri ipse respondit,

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ

Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι: *quid, si non ἑταίρῳ solùm, sed etiam εὐεργέτῃ? adde, tali viro, talem caussam agenti: & ego vero hæc officia mercanda vita puto. optimatibus vero tuis nihil confido, nihil iam ne inseruio quidem. video, ut se huic dent, vt daturi sint. quicquam tu illa putas fuisse de valetudine decreta municipiorum præ his de victoria gratulationibus? timent, inquies. at ipsi tum se timuisse dicunt. sed videamus, quid actum sit Brundisii. ex eo fortasse mea consilia nascentur, aliæque litteræ.*

V

CICERO ATTICO S. VI.

Nos adhuc Brundusio nihil: Romæ scripsit Balbus, putare iam Lentulum cos. transmisisse, nec eum à minore Balbo conuentum; quòd is hoc iam Canusii audisset: inde ad se eum scripsisse: cohortésque sex, quæ Albæ fuissent, ad Curium via Minucia transisse: id Cæsarem ad se scripsisse, & breui tempore eum ad vrbem futurum. ego vtar tuo consilio; neque me Arpinum hoc tempore abdam: etsi, Ciceroni meo togam puram cùm dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. sed fortasse in eo ipso offendetur, cur non Romæ potiùs. sed tamen, si est conueniendus, hîc potissimum. tum reliqua videbimus, id est & quo, & quà, & quando. Domitius, vt audio, in Cossano, & quidem, vt aiunt, paratus ad nauigandum: si in Hispaniam, non probo: si ad Cneum, laudo: quouis potiùs certè, quàm vt Curtium videat; quem ego patronus aspicere non possum. quid alios? sed, opinor, quiescamus; ne nostram culpam coarguamus; qui, dum vrbem, id est patriam, amamus, dúmque rem conuenturam putamus, ita nos gessimus, vt plane interclusi captique simus. Scripta iam epistola, Capua litteræ sunt allatæ hoc exemplo. Pompeius mare transiit cum omnibus militibus, quos secum habuit. hic numerus est hominum millia XXX. & Consules duo, & Tribuni pl. & Senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum vxoribus

& liberis. Conscendisse dicitur A. D. IV. Nonas Mart. ex ea die fuere Septemtriones venti. naues, quibus usus non est, omnis aut præcidisse, aut incendisse dicunt. de hac re litteræ L. Metello Trib. pl. Capuam allatæ sunt ab Clodia socru, quæ ipsa transiit. ante solicitus eram & angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, cùm consilio explicare nihil possem: nunc autem, postquam Pompeius, & Consules ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo dolore:

— οὐδέ μοι ἦτορ
ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι:

non sum, inquam, mihi crede, mentis compos; tantum mihi dedecoris admisisse videor. Méne non primùm cum Pompeio, qualicunque consilio usa, deinde cum bonis esse, quamuis caussa temere instituta? præsertim cùm ij ipsi, quorum ego caussa timidiùs me fortunæ committebam, uxor, filia, Cicerones pueri, me illud sequi mallent? hoc turpe, & me indignum putarent? nam Quinctus quidem frater, quidquid mihi placeret, id rectum se putare aiebat; id animo æquissimo sequebatur. tuas nunc epistolas à primo lego. hæ me paulum recreant. primæ monent & rogant, ne me proiiciam. proximæ te gaudere ostendunt, me remansisse. eas cùm lego, minùs mihi turpis videor, sed tam diu, dum lego: deinde emergit rursum dolor, & αἰσχροῦ φαντασία. quamobrem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem, aut consolatione, aut consilio, aut quacunque re potes. quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? vix

verò tua epistola non me solùm, sed meos omnes ægritudine leuauit. itaque vtar tuo consilio, & ero in Formiano: ne aut ad vrbem ἀπάντησις mea animaduertatur; aut, si nec hîc, nec illic eum videro, deuitatum se à me putet. Quod autem suades, vt ab eo petam, vt mihi concedat, vt idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim: id me iampridem agere intelliges ex litteris Balbi & Oppij: quarũ exempla tibi misi: misi etiam Cæsaris ad eos sana mente scriptas; quo modo in tanta insania. sin mihi Cæsar hoc non concedat; video tibi placere illud, me πολίτευμα de pace suscipere: in quo non extimesco periculum. cùm enim tot impendeant, cur non honestissimo depecisci velim? sed vereor, ne Pompeio quid oneris imponam;

μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου

intorqueat. mirandum enim in modum Cneus noster Sullani regni similitudinem concupiuit. εἰδὼς σοι λέγω: nihil ille vnquam minùs obscurè tulit. cum hócne igitur, inquies, esse vis? beneficium sequor, mihi crede, non caussam, vt in Milone, vt in. sed hactenus. Caussa igitur non bona est? immo optima: sed agetur (memento) fœdissimè. primùm, consilium est, suffocare vrbem, & Italiam fame; deinde, agros vastare, vrere, pecuniis locupletum non abstinere: sed, cùm eadem metuam ab hac parte; si illinc beneficium non sit, rectius putem quid vis domi perpeti. sed ita meruisse illum de me puto, vt ἀχαριστίας crimen subire non audeam. quamquam à te eius quoque rei iusta defensio est

explicata. De triumpho tibi assentior: quem quidem totum facilè & libenter abiecero. egregiè probo fore, vt, dum agamus, ὁ πλοῦς ὡραῖος obrepat: si modò, inquis, satis ille erit firmus. est firmior etiam quàm putabamus. de isto licet bene speres. promitto tibi, si valebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. tene igitur socio? contra mehercule meum iudicium, & contra omnium antiquorum auctoritatem: nec tam vt illa adiuuem, quàm vt hæc ne videam, cupio discedere. noli enim putare tolerabilis horum insanias, nec viiusmodi fore. etsi quid te horum fugit? legibus, iudiciis, Senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum, nec priuatas posse res, nec Rempub. sustinere. abeamus igitur inde qualibet nauigatione: etsi id quidem, vt tibi videbitur: sed certè abeamus. sciemus enim, id quod exspectas, quid Brundisii actum sit. Bonis viris quòd ais probari, quæ adhuc fecerimus, scirique ab iis nos non profectos, valde gaudeo; si est nunc vllus gaudendi locus. De Lentulo inuestigabo diligentiùs: id mandaui Philotimo, homini forti, ac nimium optimati. Extremum est, vt tibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit. nec enim alia de re nunc vlla scribi potest; & de hac quid iam amplius inueniri potest? sed quoniam & ingenium suppeditat, (dico mehercule, vt sentio) & amor, quo & meum ingenium incitatur; perge, vt facis, & scribe, quantum potes. In Epirum quòd me non inuitas, comitem non molestum, subirascor: sed vale.

COS. meum voluisti hic remanere, Cæsari gratum, mihi verò gratissimum me dius fidius fecisti. nam illum tanti facio, qui non Cæsarem magis diligam: qui si passus esset, nos secum, vt consueueramus, loqui; & non se totum etiam & etiam ab sermone nostro auertisset, minus miser, quàm sum, essem. nam caue putes, hoc tempore plus me quemquam cruciari, quòd eum, quem ante me diligo, video in Consulatu quiduis potiùs esse, quàm Consulem. quòd si voluerit tibi obtemperare, & nobis de Cæsare credere, & Consulatum reliquum Romæ peragere, incipiam sperare, etiam, consilio Senatus, auctore te, illo relatore, Pompeium & Cæsarem coniungi posse. quod si factum erit, me satis vixisse putabo. Factum Cæsaris de Corfinio totum me probaturum scito. quo modo in huiusmodi re, commodiùs cadere non potuit, quàm vt res sine sanguine confieret. Balbi mei tuíque aduentu delectatum te, valde gaudeo. is quæcunque tibi de Cæsare dixit, quæque Cæsar scripsit, scio re tibi probabit, quæcunque fortuna eius fuerit, verissimè scripsisse.

CICERO ATTICO. S. XVI.

OMNIA *mihi prouisa sunt, præter occultum, & tutum iter ad mare superum. hoc enim mari vti non possumus hoc tempore anni. illuc autem, quò spectat animus, & quò res vocat, qua veniam? cedendum enim est celeriter; ne fortè qua re impediar.*

atque alliger. nec verò ille me ducit, qui videtur: quem ego hominem ἀπολιτικώτατον omnium iam ante cognoram; nunc verò etiam ἀστρατηγικώτατον. non me igitur is ducit, sed sermo hominum, qui ad me à Philotimo scribitur. is enim me ab optimatibus ait conscindi. quibus optimatibus, dij boni? qui nunc quo modo occurrunt, quo modo autem se venditant Cæsari? municipia vero Deum: nec simulant, vt cum de illo ægroto vota faciebant. sed planè, quidquid mali hic Pisistratus non fecerit, tam gratum est, quàm si alium facere prohibuerit. hunc propitium sperant; illum iratum putant. quas fieri censes ἀπαντήσεις ex oppidis? quos honores? metuunt, inquies: credo; sed mehercule illum magis. huius insidiosa clementia delectantur: illius iracundiam formidant. iudices DCCCL. *qui præcipuè Cnæo nostro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem video, nescio quas eius Lucerias horrent. itaque quæro, qui sint isti optimates, qui me exturbent, cùm ipsi domi maneant. sed tamen, quicunque sunt, αἰδέομαι Τρῶας. etsi, qua spe proficiscar, video; coniungóque me cum homine magis ad vastandum Italiam, quàm ad vincendum parato: demum quem exspecto. & quidem, cùm hæc scribebam* IV. *Nonas iam exspectabam aliquid à Brundisio. quid autem aliquid? quàm inde turpiter fugisset, & victor hic quà se referret, & quò. quod vbi audissem; si ille Appia veniret, ego Arpinum cogitabam.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.
LIBER IX.

CICERO ATTICO. S. I.

ETSI, cùm tu has litteras legeres, putabam fore, vt ſcirem iam, quid Brundiſii actum eſſet; (nam Canuſio VIII. KAL. profectus erat Cnæus; hæc autem ſcribebam pridie Nonas XIV. die poſtquam ille Canuſio mouerat) tamen angebar ſingularum horarum exſpectatione: mirabárque, nihil allatum eſſe ne rumoris quidem. nam erat mirum ſilentium. ſed hæc fortaſſe κενόσπουδα ſunt: quæ tamen iam ſciantur, neceſſe eſt. illud moleſtum, me adhuc inueſtigare non poſſe, vbi P. Lentulus noſter ſit, vbi Domitius. quæro autem, quò faciliùs ſcire poſſim, quid acturi ſint, iturine ad Pōpeium: & , ſi ſunt, quā quandóue ituri ſunt. vrbem quidem iam refertam eſſe optimatium audio; Soſium, & Lupum, quos Cnæus noſter ante putabat Brundiſium venturos eſſe, quàm ſe, ius dicere. hic verò vulgo vadunt. etiam M. Lepidus, quocum diem conterere ſolebam, cras cogitabat. nos autem in Formiano morabamur, quo citiùs audiremus: deinde Arpinum volebamus. inde, iter quà maxime ἀναπάντητον eſſet, ad mare ſuperum, remotis, ſiue omnino miſſis lictoribus. audio enim, bonis viris, qui & nunc, & ſæpe antea magno

præsidio Reip. fuerunt, hanc cunctationem nostram non probari, multáque in me, & seuerè in conuiuiis tempestiuis quidem disputari. cedamus igitur; &, vt boni ciues simus, bellum Italiæ terra, marique inferamus; & odia improborum rursus in nos, quæ iam extincta erant, incendamus; & Luccey cõsilia, ac Theophani persequamur. nam Scipio vel in Syriam proficiscitur, sorte; vel cum genero, honestè; vel Cæsarem fugit, iratum. Marcelli quidem, nisi gladium Cæsaris timuissent, manerent. Appius & eodem timore, & inimicitiarum recentium: & tamen, præter hunc, & C. Cassium, reliqui legati; Faustus Proquæstor: ego vnus, cui vtrumuis liceret: frater accederet; quem socium huius fortunæ esse, non erat æquum: cui magis etiam Cæsar irasceretur. sed impetrare non possum, vt maneat. dabimus hoc Pompeio, quod debemus. nam me quidem alius nemo mouet; non sermo bonorum, qui nulli sunt; non caussa, quæ acta timidè est, agetur improbè. vni, vni hoc damus, ne id quidem roganti, nec suam caussam (vt ait) agenti, sed publicam. Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sanè velim.

CICERO ATTICO S. II.

ETSI Nonis Mart. die tuo, vt opinor, exspectabam epistolã à te lõgiorem; tamen ad eam ipsam breuem, quã III. Nonas ὑπὸ τὴν διάληψιν dedisti, rescribendum putaui. Gaudere ais te, mãsisse me; et

ſcribis, in ſententia te manere. mihi autem ſuperioribus litteris videbare non dubitare, quin cederem, ita, ſi & Cnæus bene comitatus cõſcendiſſet, & Conſules tranſiſſent. vtrum, hoc tu parum commeminiſti, an ego non ſatis intellexi, an mutaſti ſententiam? ſed aut ex epiſtola, quàm exſpecto, perſpiciam, quid ſentias; aut alias abs te litteras eliciam. Brundiſio nihil dum erat allatum. ô rem difficilem, planéque perditam! quàm nihil prætermittis in conſilio dando! quàm nihil tamen, quod tibi placeat, explicas! non eſſe me vna cum Pompeio, gaudes: ac proponis, quàm ſit turpe, me adeſſe, cùm quid de illo detrahatur, nec fas eſſe approbare. certè. contra igitur? dij, inquis, auerruncent. quid ergo fiet, ſi in altero ſcelus eſt, in altero ſupplicium? impetrabis, inquis, à Cæſare, vt tibi abeſſe liceat, & eſſe otioſo. ſupplicandum igitur? miſerum. quid, ſi non impetraro? & de triumpho erit, inquis, integrum. quid, ſi hoc ipſo premar? accipiam? quid fœdius? negem? repudiari ſe totum, magis etiam, quàm olim in XX. *viratu, putabit. ac ſolet, cùm ſe purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me ſibi fuiſſe inimicum, vt ne honorem quidem à ſe accipere vellem. quanto nunc hoc idem accipiet aſperius? tanto ſcilicet, quanto & honor hic illo eſt amplior, & ipſe robuſtior. Nam quòd negas te dubitare, quin magna in offenſa ſim apud Pompeium hoc tempore, non video cauſſam, cur ita ſit, hoc quidem tempore. qui enim amiſſo Corfinio denique certiorem me ſui conſilij fecit, is*

quereretur Brundisium me non venisse, cùm inter me, & Brundisium Cæsar esset? deinde, etiam scit ἀπαρρησίαστον *esse in ea caussa querelam suam. me putat de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de paee, de vrbe, de pecunia, de Piceno occupando plus vidisse, quàm se. sin, cùm potuero, non venero; tum erit inimicus: quod ego non eò vereor, ne mihi noceat: (quid enim faciet?*

Τίς δ' ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;)

sed quia ingrati animi crimen horreo. confido igitur aduentum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, vt scribis, ἀσμένιστον *fore. Nam quod ais, si hic temperantiùs egerit consideratius consilium te daturum; quî hic potest se gerere non perdite? vita, mores, ante facta, ratio suscepti negotij, socij, vires bonorum, aut etiam constantia. Vix dum epistolam tuam legeram, cum ad me, currens ad illum, Postumus Curtius venit, nihil nisi classis loquens & exercitus: eripiebat Hispanias: tenebat Asiam, Siciliam, Africam, Sardiniam: confestim in Græciam persequebatur. eundum igitur est, nec tam vt belli, quàm vt fugæ socij simus. nec enim ferre potero sermones istorum quicunque sunt. non sunt enim certè, vt appellantur, boni. sed tamen id ipsum scire cupio, quid loquantur; idque vt exquiras, méque certiorem facias, te vehementer rogo. Nos adhuc, quid Brundisii actum esset, planè nesciebamus. cùm sciemus, tum ex re, & ex tempore consilium capiemus; sed vtemur tuo.*

CICERO ATTICO. S. III

DOMITII *filius transiit Formias* VIII. ID. *currens ad matrem Neapolim, mihíque nuntiari iussit, patrem ad vrbem esse; cùm de eo curiose quæsisset seruus noster Dionysius. nos autem audieramus eum profectum siue ad Pompeium, siue in Hispaniam. id cuiusmodi sit, scire sanè velim. nam ad id, quod delibero, pertinet, si ille certè nusquam discessit, intelligere Cnæum, non esse facilis nobis ex Italia exitus, cùm ea tota armis, præsidiísque teneatur, hieme præsertim. nam, si commodius anni tempus esset, vel infero mari liceret vti. nunc nihil potest, nisi supero, tramitti; quò iter interclusum est. quæres igitur & de Domitio & de Lentulo. À Brundisio nulla adhuc fama venerat: & erat hic dies* VII. ID. *quo die, suspicabamur, aut pridie Brundisium venisse Cæsarem. nam* KAL. *Arpis manserat. sed si Postumum audire velles, persecuturus erat Cnæum. transisse enim iam putabat, coniectura tempestatum ac dierum. ego nautas eum non putabam habiturum: ille confidebat, & eo magis, quòd audita nauiculariis hominis liberalitas esset. sed tota res Brundisina iam quo modo habeat se, diutiùs nescire non possum.*

CICERO ATTICO. S. IIII.

EGO *etsi tam diu requiesco, quam diu aut ad*

te ſcribo, aut tuas litteras lego: tamen & ipſe egeo argumento epiſtolarum, & tibi idem accidere certo ſcio. quæ enim ſoluto animo familiariter ſcribi ſolent, temporibus his excluduntur. quæ autem ſunt horum temporum, ea iam contriuimus. ſed tamen, ne me totum ægritudini dedam, ſumpſi mihi quaſdam tanquam θέσεις, *quæ & politicæ ſunt, & temporum horum; vt & abducam animum ab querelis, & in eo ipſo, de quo agitur, exercear. ea ſunt huiuſmodi.*

Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ. Τυραννουμένης δ' αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν. Εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται. Εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ. Εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν, ἀναχωρήσαντά ποι, τῆς πατρίδος τυραννουμένης. Εἰ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι. Εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον ταύτην τυραννουμένην. Εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις. Εἰ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. Εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτό τε τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν, καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος.

Εἰ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε, καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας. *in his ego me cōſultationibus exercens, & diſſerens in vtranque partem tum Græcè, tum Latinè, & ab-*

duco parumper animum à molestiis, & τῆς προύργου τι delibero. Sed vereor, ne tibi ἄκαιρος sim. si enim rectè ambulauerit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit.

CICERO ATTICO. S. V.

NATALI *die tuo scripsisti epistolam ad me plenam consilij, summaq́; cùm beneuolentiæ, tum etiam prudentiæ: eam mihi Philotimus postridie, quàm à te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quæ disputas, difficillima, iter ad superum, nauigatio infero, discessus Arpinum, ne hunc fugisse; mansio Formiis, ne obtulisse nos gratulationi videamur: sed miserius nihil, quàm ea videre, quæ tamen, iam, iam, inquam, videnda erunt. Fuit apud me Postumus: scripsi ad te, quam grauis. venit ad me etiã Q. Fufius, quo vultu! quo spiritu! properans Brundisium, scelus accusans Pompeii, leuitatem & stultitiam Senatus. hæc qui in mea villa non feram, Curtium in Curia potero ferre? Age, finge me quamuis εὐστομάχως hæc ferentem: quid illa, dic M. tulli, quem habebunt exitum? Et omitto caussam Reip. quam ego amissam puto cùm vulneribus suis, tum medicamentis iis, quæ parantur. de Pompeio quid agam? cui planè (quid enim hoc negem?) suscensui. semper enim caussæ euentorum magis mouent, quàm ipsa euenta. hæc igitur mala, (quibus maiora esse quæ possunt?) considerans, vel potius iudicans eius opera accidisse & culpa.*

inimicior

inimicior eram huic, quam ipsi Cæsari. ut maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quàm urbis captæ; quod hoc malum ex illo; itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus: sic ego, decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos, hoc non defendente, ne dicam grauius, afflixerat; præsentisque temporis cognoscens temeritatem, ignauiam, negligentiam, suscensebam. sed ea iam mihi exciderunt. beneficia eiusdem cogito; cogito etiam dignitatem. intelligo, serius equidem, quam vellem, propter epistolas sermonésque Balbi; sed video plane, nihil aliud agi, nihil actum ab initio, quàm ut hunc occideret. ego igitur, si quis apud Homerum, cum ei & mater & dea dixisset,

Αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος,

matri ipse respondit,

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ

Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι: *quid, si non* ἑταίρῳ *solum, sed etiam* εὐεργέτῃ? *adde, tali viro, talem caussam agenti: & ego verò hæc officia mercanda vita puto. optimatibus verò tuis nihil confido, nihil iam ne inseruio quidem. video, ut se huic dent, ut daturi sint. quicquam tu illa putas fuisse de valetudine decreta municipiorum præ his de victoria gratulationibus? timent, inquies. at ipsi tum se timuisse dicunt. sed videamus, quid actum sit Brundisii. ex eo fortasse mea consilia nascentur, aliaq. litteræ.*

V

CICERO ATTICO S. VI.

NOS adhuc Brundusio nihil: Roma scripsit Balbus, putare iam Lentulum COS. transmisisse, nec eum à minore Balbo conuentum; quòd is hoc iam Canusii audisset: inde ad se eum scripsisse: cohortésque sex, quæ Albæ fuissent, ad Curium via Minucia transisse: id Cæsarem ad se scripsisse, & breui tempore eum ad vrbem futurum. ego vtar tuo consilio; neque me Arpinum hoc tempore abdam: etsi, Ciceroni meo togam puram cùm dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. sed fortasse in eo ipso offendetur, cur non Romæ potiùs. sed tamen, si est conueniendus, hîc potissimum. tum reliqua videbimus, id est & quo, & quà, & quando. Domitius, vt audio, in Cossano, & quidem, vt aiunt, paratus ad nauigandum: si in Hispaniam, non probo: si ad Cneum, laudo: quouis potiùs certè, quàm vt Curtium videat; quem ego patronus aspicere non possum. quid alios? sed, opinor, quiescamus; ne nostram culpam coarguamus; qui, dum vrbem, id est patriam, amamus, dúmque rem conuenturam putamus, ita nos gessimus, vt plane interclusi captíque simus. Scripta iam epistola, Capua litteræ sunt allatæ hoc exemplo. Pompeius mare transiit cum omnibus militibus, quos secum habuit. hic numerus est hominum millia XXX. & Consules duo, & Tribuni pl. & Senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum vxoribus

& liberis. Conscendisse dicitur A. D. IV. Nonas Mart. ex ea die fuere Septemtriones venti. naues, quibus vsus non est, omnis aut precidisse, aut incendisse dicunt. de hac re litteræ L. Metello Trib. pl. Capuam allatæ sunt ab Clodia socru, quæ ipsa transiit: ante solicitus eram & angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, cùm consilio explicare nihil possem: nunc autem, postquam Pompeius, & Consules ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo dolore:

— οὐδέ μοι ἦτορ
ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι:

non sum, inquam, mihi crede, mentis compos; tantum mihi dedecoris admisisse videor. Méne non primùm cum Pompeio, qualicunque consilio vso, deinde cum bonis esse, quamuis caussa temere institutæ? præsertim cùm ij ipsi, quorum ego caussa timidiùs me fortunæ committebam, vxor, filia, Cicerones pueri, me illud sequi mallent? hoc turpe, & me indignum putarent? nam Q. uinctus quidem frater, quidquid mihi placeret, id rectum se putare aiebat, id animo æquissimo sequebatur. tuas nunc epistolas à primo lego. hæ me paulum recreant. primæ monent & rogant, ne me proiiciam. proximæ te gaudere ostendunt, me remansisse. eas cùm lego, minùs mihi turpis videor, sed tam diu, dum lego: deinde emergit rursum dolor, & αἰσχροῦ φαντασία. quamobrem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem, aut consolatione, aut consilio, aut quacunque re potes. quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? vix

Deus iam. equidem illud molior, quod tu mones, sperásque fieri posse; vt mihi Cæsar concedat, vt absim, cum aliquid in Senatu contra Cneum agatur. sed timeo, ne non impetrem. venit ab eo Furnius: (vt quidem scias, quod sequamur) Q. Titinij filium cum Cæsare esse nuntiat: sed illum maiores mihi gratias agere, quàm vellem. quid autem me roget, (paucis ille quidem verbis, sed ἐν δυνάμει) cognosce ex ipsius epistola. me miserum, quòd tu non valuisti. vna fuissemus: cõsilium certe non defuisset, σύν τε δύ' ἐρχομένω.

sed acta ne agamus: reliqua paremus. me adhuc hæc duo fefellerunt, initio spes compositionis, qua facta volebam uti populari vita, solicitudine senectutem nostram liberanti: deinde bellum crudele, & exitiosum suscipi à Pompeio intelligebam. melioris me dius fidius ciuis, & viri putabam, quouis supplicio affici, quàm illi crudelitati non solum præesse, verùm etiam interesse. videtur vel mori satius fuisse, quàm esse cum iis. Ad hæc igitur cogita, mi Attice, vel potiùs excogita. quemuis euentum fortiùs feram, quàm hunc dolorem.

CAESAR IMP. S. D. CICERONI IMP.

Cvm Furnium nostrum tantum vidissem; neque loqui, neque audire meo commodo potuissem; properarem, atque essem in itinere, præmissis iam legionibus; præterire tamen non potui, quin & scriberem ad te, & illum mitterem, gra-

tiásque agerem: & si hoc & feci sæpe, & sæpius mihi facturus videor; ita de me mereris. in primis à te peto, quoniam confido me celeriter ad vrbem venturum, vt te ibi videam; vt tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum vti possim. Ad propositum reuertar: festinationi meæ, breuitatíque litterarum ignosces. reliqua ex Furnio cognosces.

CICERO ATTICO. S. VII.

SCRIPSERAM *ad te epistolam, quam darem* IV. ID. *sed eo die is, cui dare volueram, non est profectus. venit autem eo ipso die ille celeripes, quem Saluius dixerat; attulit vberrimas tuas litteras, quæ mihi quiddam quasi animulæ restillarunt. recreatum enim me non queo dicere. sed plane τὸ συνέχον effecisti. ego enim non iam id ago, mihi crede, vt prosperos exitus consequar: sic enim video, nec duobus his viuis, nec, hoc vno, nos vmquam Remp. habituros. ita neque de otio nostro spero iam, nec vllam acerbitatem recuso. vnum illud extimescebam, ne quid turpiter facerem, vel, dicam, iam effecissem. sic ergo habeto, salutaris te mihi litteras misisse; neque solum has longioris, quibus nihil potest esse explicatius, nihil perfectius; sed etiam illas breuioris, in quibus hoc mihi iucundissimum fuit, consilium factúmque nostrum à Sexto probari: pergratúmque mihi tu fecisti, à quo diligi me, &, quid rectum sit, intelligi, scio. Longior*

verò tua epistola non me solùm, sed meos omnes ægritudine leuauit. itaque vtar tuo consilio, & ero in Formiano: ne aut ad vrbem ἀπαντήσεις mea animaduertatur; aut, si nec hîc, nec illîc eum videro, deuitatum se à me putet. Quod autem suades, vt ab eo petam, vt mihi concedat, vt idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim: id me iampridem agere intelliges ex litteris Balbi & Oppij: quarũ exempla tibi misi: misi etiam Cæsaris ad eos sana mente scriptas; quo modo in tanta insania. sin mihi Cæsar hoc non concedat; video tibi placere illud, me πολίτευμα de pace suscipere: in quo non extimesco periculum. cùm enim tot impendeant, cur non honestissimo depecisci velim? sed vereor, ne Pompeio quid oneris imponam;

μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου

intorqueat. mirandum enim in modum Cnæus noster Sullani regni similitudinem concupiuit. εἰδώς σοι λέγω: nihil ille vmquam minùs obscurè tulit. cum hócne igitur, inquies, esse vis? beneficium sequor, mihi crede, non caussam, vt in Milone, vt in. sed hactenus. Caussa igitur non bona est? immo optima: sed agetur (memento) fœdissimè. primùm, consilium est, suffocare vrbem, & Italiam fame; deinde, agros vastare, vrere, pecuniis locupletum non abstinere: sed, cùm eadem metuam ab hac parte; si illinc beneficium non sit, rectius putem quid vis domi perpeti. sed ita meruisse illum de me puto, vt ἀχαριστίας crimen subire non audeam. quamquam à te eius quoque rei iusta defensio est.

explicata. De triumpho tibi assentior: quem quidem totum facilè & libenter abiecero. egregiè probo fore, vt, dum agamus, ὁ πλοῦς ὡραῖος obrepat: si modò, inquis, satis ille erit firmus. est firmior etiam quàm putabamus. de isto licet bene speres. promitto tibi, si valebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. téne igitur socio? contra mehercule meum iudicium, & contra omnium antiquorum auctoritatem: nec tam vt illa adiuuem, quàm vt hæc ne videam, cupio discedere. noli enim putare tolerabilis horum insanias, nec vniusmodi fore. etsi quid te horum fugit? legibus, iudiciis, Senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum, nec priuatas posse res, nec Rempub. sustinere. abeamus igitur inde qualibet nauigatione: etsi id quidem, vt tibi videbitur: sed certè abeamus. sciemus enim, id quod exspectas, quid Brundisii actum sit. Bonis viris quòd ais probari, quæ adhuc fecerimus, scirique ab iis nos non profectos, valde gaudeo; si est nunc vllus gaudendi locus. De Lentulo inuestigabo diligentiùs: id mandaui Philotimo, homini forti, ac nimium optimati. Extremum est, vt tibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit. nec enim alia de re nunc vlla scribi potest; & de hac quid iam amplius inueniri potest? sed quoniam & ingenium suppeditat, (dico mehercule, vt sentio) & amor, quo & meum ingenium incitatur; perge, vt facis, & scribe, quantum potes. In Epirum quòd me non inuitas, comitem non molestum, subirascor: sed vale.

nam, vt tibi ambulandum vngendum, sic mihi dormiendũ. etenim litteræ tuæ mihi somnum attulerũt.

CICERO ATTICO S. VIII.

CENANTIBVS *pridie Idus nobis, ac noctu quidem, Statius à te epistolam breuem attulit. De L. Torquato quòd modò quæris, non modò Lucius, sed etiam Aulus profectus est; alter multos D. De Reatinorum corona quòd scribis, molestè fero in agro Sabino sementem fieri proscriptionis. Senatores multos esse Romæ, nos quoque audieramus. ecquid potes dicere, cur exierint? In his locis opinio est, coniectura magis, quàm nuntio, aut litteris, Cæsarem Formiis* A. D. XI. KAL. *Apr. fore. hic ego vellem habere Homeri illam illam Mineruam simulatam Mentori, cui dicerem:*

Μέντορ πῶς τ' ἄρ ἴω, πῶς τ' ἄρ προσπτύξομαι αὐτόν;

nullam rem vmquam difficilliorem cogitaui. sed cogito tamen; nec ero, vt in malis, imparatus. sed cura, vt valeas. puto enim diem tuum heri fuisse.

CAESAR OPPIO, CORNELIO S.

GAVDEO mehercule vos significare litteris, quam valde probetis ea, quæ apud Corfinium sunt gesta. consilio vestro vtar libenter, & hoc lubentius, quòd mea sponte facere constitueram, vt quamlenissimum me præberem; & Pompeium, darem operam, vt reconciliarem. temtemus hoc

modo, si possumus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria vti: quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neque victoriam diutiùs tenere, præter vnum L. Sullam, quem imitaturus non sum. hæc noua sit ratio vincendi; vt misericordia & liberalitate nos muniamus. id quemadmodum fieri possit, non nulla mi in mentem veniunt, & multa reperiri possunt. De rebus, rogo vos, vt cogitationem suscipiatis. Cn. Magium, Pompeij præfectũ, depræhendi. scilicet meo instituto vsus sum, & eum statim missum feci. iam duo præfecti fabrum Pompeij in meam potestatem venerunt, & à me missi sunt. si volent grati esse, debebunt Pompeium hortari, vt malit mihi esse amicus, quàm his, qui & illi, & mihi semper fuerunt inimicissimi: quorum artificiis effectum est, vt Resp. in hunc statum perueniret.

BALBVS CICERONI IMP. S.

S. V. B. E. postea quàm litteras communes cum Oppio ad te dedi, ab Cæsare epistolam accepi, cuius exemplum tibi misi; ex quibus perspicere poteris, quàm cupiat concordiam, & Pompeium reconciliare, & quàm remotus sit ab omni crudelitate: quod eum sentire, vt debeo, valde gaudeo. De te & tua fide, & pietate idem mehercule, mi Cicero, sentio, quod tu; non posse tuam famam & officium sustinere, vt contra eum arma feras, à quo tantum beneficium te accepisse prædices;

Cæſarem hoc idem probaturum, exploratum, pro ſingulari eius humanitate, habeo: eíque cumulatiſſimè ſatisfacturum te certè ſcio, cùm nullam partem belli contra eum ſuſcipias, neque ſocius eius aduerſariis fueris. atque hoc non ſolùm in te, tali & tanto viro, ſatis habebit, ſed etiam mihi ipſe ſua conceſſit voluntate, ne in iis caſtris eſſem, quæ contra Lentulum, aut Pompeium futura eſſent: quorum beneficia maxima haberem: ſibíque ſatis dixit, ſi rogatus vrbana officia ſibi pręſtitiſſem; quę etiam illi, ſi vellem, præſtare poſſem. itaque nunc Romæ omnia negotia Lentuli procuro, ſuſtineo; meúmque officium, fidem, pietatem his præſto. ſed mehercule rurſus iam abiectam compoſitionis ſpem non deſperatiſſimam eſſe puto; quoniam Cæſar eſt ea mente, qua optare debemus. hac re mihi placet, ſi tibi videtur, te ad eum ſcribere, & ab eo præſidium petere, vt petiſti à Pompeio, me quidem approbante, temporibus Milonianis. præſtabo (ſi Cæſarem bene noui) eum prius tuæ dignitatis, quàm ſuæ vtilitatis rationem habiturum. Hæc quàm prudenter tibi ſcribam, neſcio: ſed illud certè ſcio, me ab ſingulari amore ac beniuolentia, quæcunque ſcribo, tibi ſcribere: quòd te (ita, incolumi Cæſare, moriar) tanti facio, vt paucos æque ac te caros habeam. De hac re cùm aliquid conſtitueris, velim mihi ſcribas. nam non mediocriter laboro, vt vtrique, vt vis, tuam beniuolentiam præſtare poſſis: quam mehercule te præſtaturum confido. Fac vt valeas.

BALBVS, ET OPPIVS S. D. M. CICERONI.

NEDVM hominum humilium, vt nos ſumus, ſed etiam ampliſſimorum virorum cõſilia ex euentu, non ex voluntate, à pleriſque probari ſolent: tamen freti tua humanitate, quod veriſſimum nobis videbitur, de eo, quod ad nos ſcripſiſti, tibi conſilium dabimus: quod ſi non fuerit prudens, at certe ab optima fide & optimo animo proficiſcetur. Nos, niſi id, quod noſtro iudicio Cæſarem facere oportere exiſtimamus, vt ſimul Romam venerit, agat de reconciliatione gratiæ ſuæ & Pompeij, id eum facturum ex ipſo cognouiſſemus, te hortari deſineremus, vt velles iis rebus intereſſe, quò faciliùs, & maiore cum dignitate per te, qui vtrique es coniunctus, res tota confieret: aut, ſi ex contrario putaremus, Cæſarem id non facturum & eum velle cum Pompeio bellum gerere, ſciremus; numquam tibi ſuaderemus, contra hominem, optimè de te meritum, arma ferres; ſicuti te ſemper orauimus, ne contra Cæſarem pugnares. ſed cùm etiamnum, quid facturus Cæſar ſit, magis opinari, quàm ſcire poſſimus: non poſſumus, niſi hoc; non videri eam tuam eſſe dignitatẽ, neque fidem omnibus cognitam, vt contra alterutrum, cùm vtrique ſis maximè neceſſarius, arma feras: & hoc, non dubitamus, quin Cæſar pro ſua humanitate maximè ſit probaturus. nos tamen

(ſi tibi videbitur) ad Cæſarem ſcribemus, vt nos certiores faciat, quid in hac re acturus ſit: à quo ſi erit nobis reſcriptum, ſtatim, quæ ſentiemus, ad te ſcribemus: & tibi fidem faciemus, nos ea ſuadere, quæ nobis videntur tuæ dignitati, non Cæſaris actioni, eſſe vtiliſſima: & hoc Cæſarem, pro ſua indulgentia in ſuos probaturum putamus.

CICERO ATTICO. S. IX.

TRIS *epiſtolas tuas accepi poſtridie Idus. erant autem* IV. III. *pridie Idus datæ. igitur antiquiſſimæ cuique primùm reſpondebo. Aſſentio tibi, vt in Formiano potiſſimum commorer: etiam de ſupero mari: palpabóque, vt antea ad te ſcripſi, ecquonam modo poſſim, voluntate eius, nullam Reip. partem attingere. Quòd laudas, quia obliuiſci me ſcripſi ante facta, & delicta noſtri amici: ego verò ita facio: quin ea ipſa, quæ à te commemorantur ſecus ab eo in me ipſum facta eſſe, non memini: tanto plus ad me valere beneficij gratiam, quàm iniuriæ dolorem, volo. faciamus igitur, vt cenſes, colligamúſque nos. σοφιςεύω enim, ſimul vt rus decurro, atque in decurſu θέσεις meas commentari non deſino. ſed ſunt quædam earum perdifficiles ad iudicandum. De optimatibus, ſit ſanè ita, vt vis: ſed noſti illud, Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Titinij filius apud Cæſarem eſt. Quòd autem quaſi vereri videris, ne mihi tua conſilia diſpliceant; me verò nihil delectat aliud, niſi conſilium & litteræ tuæ. quare fac, vt*

ostendis, ne destiteris ad me, quidquid tibi in mentem venerit, scribere. mihi nihil potest esse gratius. Venio ad alteram nunc epistolam. Recte non credis de numero militum. ipso dimidio plus scripsit Clodia. falsum etiam de corruptis nauibus. Quod Consules laudas; ego quoque animum laudo, sed consilium reprehendo. dispersu enim illorum, actio de pace sublata est; quam quidem ego meditabar. itaque postea Demetrij librum de concordia tibi remisi, & Philotimo dedi. nec verò dubito, quin exitiosum bellum impendeat, cuius initium ducetur à fame. & me tamen doleo non interesse huic bello; in quo tanta vis sceleris futura est, vt, cùm parentis non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam & sanctissimam parentem, patriam, fame necandam putent. atque hoc non opinione timeo, sed interfui sermonibus. omnis hæc classis Alexandria, Colchis, Tyro, Sidone, Arado, Cypro, Pamphylia, Lycia, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Smyrna, Mileto, Coo, ad intercludendos commeatus Italiæ, & ad occupandas frumentarias prouincias comparatur. at quàm veniet iratus! & iis quidem maximè, qui eam maximè saluam volebant, quasi relictus ab iis quos reliquit. itaque mihi dubitanti, quid me facere par sit, permagnum pondus affert beniuolentia erga illum; qua dempta perire meliùs esset in patria, quàm patriam seruando euertere. De Septentrione, planè ita est. metuo, ne vexetur Epirus. sed quem tu locum Græciæ non direptum iri putas? prædicat enim palam, & militibus

ostendit, se largitione ipsa superiorem, quàm hunc fore. Illud me preclarè admones, cùm illum videro, ne nimis indulgenter, & vt cum grauitate potius loquar. plane sit faciendum. Arpinum, cùm eum conuenero, cogito, ne forte, aut absim, cùm veniet, aut cursem huc illuc via deterrima. Bibulum, vt scribis, audio venisse, & redisse pridie Idus. Philotimum, vt ais epistola tertia, exspectabas. at ille Idib. à me profectus est. eò seriùs ad tuam illam epistolam, cui ego statim rescripseram, reddite sunt meæ litteræ. De Domitio, vt scribis, ita opinor esse, vt & in Cossano sit, & consilium eius ignoretur. Iste omnium turpissimus & sordidissimus, qui Consularia comitia à Pretore ait haberi posse, est ille quidem, qui semper in Rep. fuit. itaque nimirum hoc illud est, quod Cæsar scribit in ea epistola, cuius exemplum ad te misi, se velle vti CONSILIO meo: age, esto hoc commune: GRATIA: ineptum id quidem; sed, puto, hoc simulat ad quasdam Senatorum sententias: DIGNITATE, fortasse sententiæ Consularis. illud extremum est, OPE OMNIVM RERVM. id ego suspicari cœpi tum ex tuis litteris, aut hoc ipsum esse, aut non multo secus. nam permagni eius interest, rem ad interregnum non venire. id assequitur, si per Pretorem Consules creantur. nos autem in libris habemus, non modo Consules à Pretore, sed ne Pretores quidem creari ius esse, idq; factum esse nunquam. Consules, eò non esse ius, quòd maius imperium à minore rogari non sit ius: Pretores autem, cùm ita rogentur, vt collegæ Consulum sint,

quorum est maius imperium. aberit non longè, quin hoc à me decerni velit, neque sit contentus Galba, Scæuola, Cassio, Antonio.

-- τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.

sed quanta tempestas impendeat, vides. Qui transierint Senatores, scribam ad te, cum certum habebo. De re frumentaria rectè intelligis; quæ nullo modo administrari sine vectigalibus potest: nec sine caussa & eos, qui circum illum sunt, omnia postulantes, & bellum nefarium times. Trebatium nostrum, etsi, vt scribis, nihil bene sperat, tamen videre sane velim: quem fac horteris, vt properet. opportunè enim ad me ante aduentum Cæsaris venerit. De Lanuino, statim, vt audiui Phameam mortuum, optaui, si modo esset futura Respublica, vt id aliquis emeret meorum: neque tamen de te, qui maxime meus, cogitaui. sciebam enim te quoto anno, & quantum in solo, solere quærere: neque solum Romæ, sed etiam Deli tuum digamma videram. veruntamen ego illud, quamquam est bellum, minoris æstimo, quam æstimabatur Marcellino Consule, cùm ego istos hortulos propter domum, Antij quam tum habebam, iucundiores mihi fore putabam, & minore impensa, quàm si Tusculanum refecissem. volui HS. Q. egi per prædem ille daret, Antij cùm haberet venale: noluit: sed nunc omnia ista iacere puto propter nummorum caritatem. mihi quidem erit aptissimum, vel nobis potiùs, si tu emeris. sed eius dementias caue contemnas. valde est venustum: quamquam mihi ista omnia iam addicta vastitati

videntur. Respondi epistolis tribus: sed exspecto alias. nam me adhuc tuæ ltiteræ sustentarunt. D. Liberalibus.

CICERO ATTICO. S. X.

NIHIL habebam, quod scriberem. neque enim noui quicquam audieram, & ad tuas omnes rescripseram pridie. sed, cùm me ægritudo non solùm somno priuaret, verùm ne vigilare quidem sine summo dolore pateretur; tecum vt quasi loquerer, in quo vno acquiesco, hoc nescio quid, nullo argumento proposito, scribere institui. Amens mihi fuisse videor à principio, & me vna hæc res torquet, quòd non, omnibus in rebus labentem, vel poties ruentem Pompeium tamquam vnus manipularis secutus sim. vidi hominem XIV. KAL. Febr. plenum formidinis. illo ipso die sensi, quid ageret. numquam mihi postea placuit; nec vmquam aliud in alio peccare destitit. nihil interim ad me scribere, nihil nisi fugam cogitare. quid quæris? sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienant ruri immundæ visu, illis vnde vnde decor fit: sic me illius fugæ, negligentiæque deformitas auertit ab amore. nihil enim dignum faciebat, quare eius fugæ comitem me adiungerem. nunc emergit amor; nunc desiderium ferre non possum; nunc mihi nihil libri, nihil litteræ, nihil doctrina prodest: ita dies & noctes, tamquam auis, illâ mare prospecto; euolare cupio. do, do pœnas temeritatis meæ: etsi quæ fuit illa temeritas? quid feci non considera-

consideratissime? si enim nihil præter fugam quæreretur, fugissem libentissimè: sed genus belli crudelissimi & maximi, quod, nondum vident homines, quale futurũ sit, perhorrui. quæ minæ municipiis? quæ nominatim viris bonis? quæ denique omnibus, qui remansissent? quàm crebro illud, Sulla potuit, ego non potero? mihi autem hæserunt illa· malè Tarquinius, qui Porsenam, qui Octauium Mamilium contra patriam; impiè Coriolanus, qui auxilium petiit à Volscis; rectè Themistocles, qui mori maluit; nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. at Sulla, at Marius, at Cinna rectè. immo iure fortasse. sed quid eorum victoria crudelius? quid funestius? huius belli genus fugi, & eo magis, quòd crudeliora etiam cogitari, & parari videbam. me, quem nonnulli conseruatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt, Getarum, & Armeniorum, & Colchorum copias ad eam adducere? me meis ciuibus famem, vastitatem inferre Italiæ? Hunc primùm mortalem esse, deinde etiam multis modis posse extingui cogitabam: vrbem autem, & populum nostrum seruandum ad immortalitatem quantum in nobis esset, putabam; & tamen spes quædam me obtentabat, fore, vt aliquid conueniret potius, quàm aut hic tantum sceleris, aut ille tantum flagitij admitteret. alia res nunc tota est, alia mea. Sol, vt est in tua quadam epistola, excidisse mihi è mundo videtur. Vt ægroto, dum anima est, spes esse dicitur; sic ego, quoad Pompeius

in Italia fuit, sperare non destiti. hæc, hæc me fefellerunt; &, vt verum loquar, ætas iam à diuturnis laboribus deuexa ad otium, domesticarum me rerum delectatione molliit. nunc, si vel periculosè experiundum erit, experiar certè, vt hinc auolem. ante oportuit fortasse. sed ea, quæ scripsisti, me tardarunt, & auctoritas maximè tua. nam cùm ad hunc locum venissem, euolui volumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo, seruóque diligentissime. erat igitur in ea, quam X. KAL. *Feb. dederas, hoc modo,* SED VIDEAMVS, ET CNAEVS QVID AGAT, ET ILLIVS RATIONES QVORSVM FLVANT. QVOD SI ISTE ITALIAM RELINQVET; FACIET OMNINO MALE, ET, VT EGO EXISTIMO, ΑΛΟΓΙΣΤΩΣ: SED TVM DEMVM CONSILIA NOSTRA COMMVTANDA ERVNT. *Hoc scribis post diē quartū, quàm ab vrbe discessimus. deinde* VIII. KAL. *Feb.* TANTVMMODO CNAEVS NOSTER, NE, VT VRBEM ΑΛΟΓΙΣΤΩΣ RELIQVIT, SIC ITALIAM RELINQVAT. *eodem die das alteras, quibus mihi consulēti planissimè respondes. est enim sic,* SED VENIO AD CONSVLTATIONEM. TVNC, SI CNAEVS ITALIA CEDIT, IN VRBEM REDEVNDVM PVTO: QVAE ENIM FINIS PEREGRINATIONIS? *hoc mihi planè hæsit: & nunc ita video, infinitum bellum iunctum miserrima fuga; quam tu peregrinationem ὑποκορίζῃ. Sequitur χρησμὸς* VI.

KAL. *Feb.* EGO; SI POMPEIVS MANET IN ITALIA, NEC RES AD PACTIONEM VENIT, LONGIVS BELLVM PVTO FORE: SIN ITALIAM RELINQVIT, AD POSTERVM BELLVM ΑΣΠΟΝΔΟΝ STRVI EXISTIMO. *Huius igitur belli ego particeps & socius & adiutor esse cogor; quod & ἄσπονδον, & cum ciuibus. Deinde* VII. *Idus Feb. cùm iam plura audires de Pompeij consilio, cõcludis epistolam quandam hoc modo,* EGO QVIDEM TIBI NON SIM AVCTOR, SI POMPEIVS ITALIAM RELINQVIT, TE QVOQVE PROFVGERE. SVMMO ENIM PERICVLO FACIES; NEC REIP. PRODERIS; CVI QVIDEM POSTERIVS POTERIS PRODESSE, SI MANSERIS. *Quem φιλόπατριν, ac πολιτικὸν hominis prudentis, & amici, tali admonitu, non moueret auctoritas? Deinceps* III, ID. *Feb. iterum mihi respondes consulenti sic,* QVOD QVAERIS A ME, FVGAM NEC FIDAM, AN MORAM DEFOEDAM VTILIOREM PVTEM: EGO VERO IN PRAESENTIA SVBITVM DISCESSVM, ET PRAECIPITEM PROFECTIONEM CVM TIBI, TVM IPSI CNAEO INVTILEM, ET PERICVLOSAM PVTO: ET SATIVS ESSE EXISTIMO, VOS DISPERTITOS, ET IN SPECVLIS ESSE. SED ME DIVS FIDIVS TVRPE NOBIS PVTO ESSE DE FVGA COGITARE. *Hoc turpe Cnæus noster biennio ante cogitauit; ita*

Sullaturit animus eius, & proscripturit diu. Inde, vt opinor, cùm tu ad me quadam γενικώτερον scripsisses, & ego mihi à te quadam significari putassem, vt Italia cederem; detestaris hoc diligenter XI. KAL. Mart. EGO VERO NVLLA EPISTOLA SIGNIFICAVI, SI CNAEVS ITALIA CEDERET, VT TV VNA CEDERES: AVT, SI SIGNIFICAVI, NON DICO FVI INCONSTANS, SED DEMENS. *In eadem epistola alio loco,* NIHIL RELINQVITVR, NISI FVGA: CVI TE SOCIVM NEVTIQVAM PVTO ESSE OPORTERE, NEC VMQVAM PVTAVI. *Totam autem hanc deliberationem euoluis accuratiùs in litteris* VIII. KAL. *Mart. datis.* SI M. LEPIDVS, ET L. VOLCATIVS REMANENT, MANENDVM PVTO, ITA VT, SI SALVVS SIT POMPEIVS, ET CONSTITERIT ALICVBI, HANC NEKYIAN RELINQVAS, ET TE IN CERTAMINE VINCI CVM ILLO FACILIVS PATIARIS, QVAM CVM HOC IN EA, QVAE PERSPICITVR FVTVRA, COLLVVIE REGNARE. *Multa disputas huic sententia conuenientia. inde ad extremum,* QVID SI, *inquit,* LEPIDVS, ET VOLCATIVS DISCEDVNT? PLANE ΑΠΟΡΩ. QVOD EVENERIT IGITVR, ET QVOD EGERIS, ID ΣΤΕΡΚΤΕΟΝ PVTABO. *Si tum dubitaras, nunc certè non dubitas, istis manentibus. Deinde in ipsa fuga* V. KAL. *Mart.* IN-

TEREA NON DVBITO, QVIN IN FORMIANO MANSVRVS SIS. COMMODISSIME ENIM ΤΟ ΜΕΛΛΟΝ IBI ΚΑΡΑΔΟΚΗΣΕΙΣ. A.D.KAL. *Mat. cùm ille quinctum iam diem Brundisii esset*, TVM POTERIMVS DELIBERARE, NON SCILICET INTEGRA RE, SED CERTE MINVS INFRACTA, QVAM SI VNA PROIECERIS TE *Deinde* IV. *Nonas Mart.* ὑπὸ τὴν λῆψιν *cùm breuiter scriberes, tamen ponis ho*, CRAS SCRIBAM PLVRA, ET AD OMNIA: HOC TAMEN DICAM, NON PAENITERE ME CONSILII DE TVA MANSIONE: ET, QVAMQVAM MAGNA SOLICITVDINE, TAMEN, QVIA MINVS MALI PVTO ESSE, QVAM IN ILLA PROFECTIONE, MANEO IN SENTENTIA, ET GAVDEO TE MANSISSE. *Cùm veò iam angerer, & timerem, ne quid à me dedeoris esset admissum;* III. *Nonas Mart.* TAMEN, TE NON ESSE VNA CVM POMPEIO, NON FERO MOLESTE. POSTEA SI OPVS FVERIT, NON ERIT DIFFICILE: ET ILLI, QVOQVO TEMPORE FIET, ERIT ΑΣΜΕΝΙΣΤΟΝ. SED HOC ITA DICO, SI HIC, QVA RATIONE INITIVM FECIT, EADEM CETERA AGET, SINCERE, TEMPERATE, PRVDENTER; VALDE VIDERO, ET CONSIDERATIVS VTILITATI NOSTRAE CONSVLVERO. VII.

Idus Mart. scribis Peduceo quoque nostro probari, quod quierim; cuius auctoritas multum apud me valet. His ego tuis scriptis me consolor, ut nihil à me adhuc delictum putem. tu modò auctoritatem tuam defendito; aduersus me, nihil opus est: sed consciis egeo aliis. ego, si nihil peccaui, reliqua tuebor. ad ea tute hortare, & me omnino tua cogitatione adiuua. Hic nihil dum de reditu Caesaris audiebatur. Ego his litteris hoc tamen profeci; perlegi omnis tuas, & in eo acquieui.

CICERO ATTICO. S. XI.

LENTVLVM *nostrum scis Puteolis esse: quod cùm e viatore quodam esset auditum, qui se diceret eum in Appia, cùm is paulum lecticam aperuisset, cognosse, etsi vix verisimile, misi tamen Puteolos pueros, qui peruestigarent, & ad eum litteras. inuentus est vix in hortis suis se occultans, litterásque mihi remisit, mirificè gratias agens Caesari: de suo autem consilio C. Caecio mandata ad me dedisse. eum ego hodie exspectabam, id est* XIII. KAL. *April. Venit etiam ad me Matius Quinquatribus, homo mehercule, ut mihi visus est, temperatus & prudens: existimatus quidem est semper auctor otij. quàm ille haec non probare mihi quidem visus est! quàm illam νέκυιαν, ut tu appellas, timere! huic ego in multo sermone epistolam ad me Caesaris ostendi, eam, cuius exemplum ad te antea misi; rogauique, ut interpretaretur, quid esset, quod ille*

ſcriberet, conſilio meo ſe vti velle, gratia, dignitate, ope rerum omnium. reſpondit, ſe non dubitare, quin & opem, & gratiam meam ille ad pacificationem quæreret. vtinã aliquod in hac miſeria Reip. πολιτικὸν opus efficere & nauare mihi liceat. Matius quidem & illum in ea ſententia eſſe confidebat, & ſe auctorem fore pollicebatur. Pridie autem apud me Craſſipes fuerat, qui ſe pridie Nonas Mart. Brundiſio profectum, atque ibi Pompeium reliquiſſe dicebat: quod etiam, qui VIII. Idus illinc profecti erant, nuntiabant: illa verò omnes, in quibus etiam Caſſipes, qui prudentia potis attendere, ſermones minacis, inimicos optimatium, municipiorum hoſtis, meras proſcriptiones, meros Sullas: quæ Lucceium loqui? quæ totam Græciam? quæ vero Theophanem? & tamen omnis ſpes ſalutis in illis eſt; & ego excubo animo, nec partem vllam capio quietis; &, vt has peſtis effugiam, cum diſſimillimis noſtri eſſe cupio. quid enim tu illic Scipionem, quid Fauſtum, quid Libonem prætermiſſurum ſceleris putas? quorum creditores conuenire dicuntur. quid eos autem, cùm vicerint, in ciuis effecturos? quam verò μικροψυχίαν Cnæi noſtri eſſe? nuntiant Aegyptum, & Arabiam εὐδαίμονα, & μεσοποταμίαν cogitare, Hiſpaniam abieciſſe. mõſtra narrant; quæ falſa eſſe poſſunt. ſed certè & hæc perdita ſunt, & illa nõ ſalutaria. Tuas litteras iam deſidero. poſt fugam noſtram numquam iam noſtrum earum interuallum fuit. Miſi ad te exemplum litterarum mearum ad Cæſarem; quibus me

aliquid profecturum puto.

CICERO IMP. S. D. CAESARI IMP.

Vt legi tuas litteras, quas à Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, vt ad vrbem essem; te velle vti consilio & dignitate mea, minus sum admiratus: de gratia, & de ope quid significares, mecum ipse quærebam: spe tamen deducebar ad eam cogitationem, vt te pro tua admirabili ac singulari sapiẽtia, de otio, de pace, de concordia ciuium agi velle arbitrarer: & ad eam rationem existimabam satis aptam esse & naturam & personam meam. quod si ita est; & si qua de Pompeio nostro tuendo, & tibi, ac Reip. reconciliando cura te attingit; magis idoneum, quam ego sum, ad eam caussam profectò reperies neminem: qui & illi semper, & Senatui, cùm primùm potui, pacis auctor fui; nec, sumptis armis, belli vllam partem attigi; iudicauíque eo bello te violari, contra cuius honorem, populi Romani beneficio concessum, inimici, atque inuidi niterentur. sed vt eo tempore non modò ipse fautor dignitatis tuæ fui, verùm etiam ceteris auctor ad te adiuuandum; sic me nunc Pompeij dignitas vehementer mouet. aliquot enim sunt anni, cùm vos duo delegi, quos præcipuè colerem, & quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem à te peto, vel potiùs omnibus precibus oro, & obtestor, vt in tuis maximis curis aliquid impertias

temporis huic quoque cogitationi, vt tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficij memoria possim; quæ si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me à te tamen impetraturum. sed, vt arbitror, & ad tuam fidem, & ad Remp. pertinet, me è paucis, & vtriusque vestrum, & ad ciuium concordiam, per te, quam accommodatissimum, conseruari. Ego, cùm antea tibi de Lentulo gratias egissem, cùm ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses: tamen, lectis eius litteris, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate, beneficióque misit, eandem me salutem à te accepisse putaui, quam ille: in quem si me intelligis esse gratum; cura, obsecro, vt etiam in Pompeium esse possim.

CICERO ATTICO S. XII.

LEGEBAM *tuas litteras* XIII. KAL. *cùm mihi epistola affertur à Lepta, circumuallatum esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri. non medius fidius præ lacrimis possum reliqua nec cogitare, nec scribere. misi ad te exemplum. miseros nos, cur non omnes fatum illius vna exsecuti sumus? ecce autem à Matio & Trebatio eadem: quibus Minturnis obuij Cæsaris tabellarij. torqueor infelix vt iam illum Mucianum exitum exoptem. at quàm honesta, at quàm expedita tua consilia, quàm euigilata tuis cogitationibus, quà itineris, quà nauiga-*

tionis, quæ congressus, sermonisque cum Cæsare? omnia tum honesta, tum cauta. in Epirum verò inuitatio quàm suauis, quàm liberalis, quàm fraterna? De Dionysio, sum admiratus: qui apud me honoratior fuit, quam apud Scipionem Panætius: à quo impurissimè hæc nostra fortuna despecta est. odi hominem, & odero: vtinam vlcisci possem: sed illum vlciscentur mores sui. Tu, quæso, nunc vel maximè, quid agendum nobis sit, cogita. Populi Romani exercitus Cn. Pompeium circunsidet; fossa & vallo septum tenet; fuga prohibet; nos viuimus, & stat vrbs ista? Prætores ius dicunt? Aediles ludos parant? viri boni vsuras perscribunt? ego ipse sedeo? coner illuc ire, vt insanus? implorare fidem municipiorum? boni non sequentur; leues irridebunt; rerum nouarum cupidi, victores præsertim & armati, vim & manus afferēt. Quid censes igitur? ecquidnam est tui consilij ad finis huius miserrimæ vitæ? nunc doleo, nunc torqueor, cùm quibusdam aut sapiens videor, quòd vna non ierim, aut felix fuisse. mihi contra. numquam enim illius victoriæ socius esse volui; calamitatis mallem fuisse. quid ego nunc tuas litteras, quid tuam prudentiam, aut beniuolentiam implorem? actum est. nulla re iam possum iuuari, qui ne quid optem quidem iam habeo, nisi vt aliqua inimici misericordia liberemur. οὐκ ἔς' ἔτυμος λόγος, vt opinor, ille de ratibus. quid enim est, quod Dolabella his litteris, quas III. Idus Mart. a Brundisio dedit, hanc εὐημερίαν quasi Cæsaris scriberet, Pompeium in fu-

ga esse? eumque primo vento nauigaturum? quod valde discrepat ab iis epistolis, quarum exempla antea ad te misi. hic quidem mera scelera loquuntur. sed non erat nec recentior auctor, nec huius rei quidem melior Dolabella.

CICERO ATTICO. S. XIII.

TVAS XI. KAL. accepi litteras, quibus omnia consilia differs in id tempus, cùm scierimus, quid actum sit: & certè ita est: nec interim potest quicquam statui, sed ne cogitari quidem. quamquam hæ mihi litteræ Dolabellæ iubent ad pristinas cogitationes reuerti. fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua ego illum vsum puto. Συναγωγὴ consiliorum tuorum non est à me collecta ad querelam, sed magis ad consolationem meam. nec enim me tam hæc mala angebant, quàm suspicio culpæ, ac temeritatis meæ: eam nullam puto esse; quoniam cum consiliis tuis mea facta & consilia consentiunt. Quod mea prædicatione factum esse scribis magis, quàm illius merito, vt tantum ei debere viderer; est ita. ego illa extuli semper, & eo quidem magis, ne quid ille superiorum meminisse me putaret: quæ si maximè meminissem; tamen illius temporis similitudinem iam sequi deberem. nihil me adiuuit, cùm posset: & postea fuit amicus, etiam valde: ecquam ob caussam, planè nescio. ergo ego quoque illi. quin etiam illud par in vtroque no-

ſtrum, quod ab eiſdem illecti ſumus. ſed vtinam tantum ego ei prodeſſe potuiſſem, quantum mihi ille potuit. mihi tamen, quod fecit, gratiſſimum: nec ego, nunc eum iuuare qua re poſſim, ſcio: nec, ſi poſſem, cùm tam peſtiferum bellum pararet, adiuuandum putarem. tantum offendere animum eius hîc manens nolo. nec me hercule iſta videre, quæ tu potes iam animo prouidere, nec intereſſe iſtis malis poſſem. ſed eo tardior ad diſcedendum fui, quòd difficilè eſt de diſceſſu voluntario ſine vlla ſpe reditus cogitare. nam ego hunc ita paratum video peditatu, equitatu, claſſibus, auxiliis Gallorum, quos Matius ἐλάπιζεν, vt puto; ſed certè dicebat, peditũ CCIↃↃ, equitum ſex polliceri ſumptu ſuo annos decem. ſed ſit hoc λάπισμα. magnas habet certè copias: & habebit non, vt ille, vectigal, ſed ciuium bona. adde confidentiam hominis; adde imbecillitatem bonorum virorum; qui quidem, quòd illum ſibi meritò iratum putant, oderunt, vt tu ſcribis, ludum. ac vellem, ſcribis, quiſnam hic ſignificaſſe te. ſedet iſte, quia plus oſtenderat, quàm fecit; & vulgo illum, qui amarunt, non amant. municipia vero, & ruſtici Romani illum metuunt, hunc adhuc diligunt. quare ita paratus eſt, vt, etiam ſi vincere non poſſit, quo modo tamen ipſe vinci poſſit, non videam. ego autẽ non tam γοητείαν huius timeo, quàm πειθανάγκην. αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inquit Πλάτων, οἶσθ᾽ ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. Illa ἀλίμενα video tibi non probari: quæ ne mihi quidem placebant: ſed habebam in illis &

occultationem, & ὑπηρεσίαν fidelem: quæ si mihi Brundisii suppetant, mallem. sed ibi occultatio nulla est. verùm, vt scribis, cùm scierimus. Viris bonis me non nimis excuso. quas enim eos cenas & facere, & obire scripsit ad me Sextus? quàm lautas? quàm tempestiuas? sed sint quamuis boni, non sunt meliores, quam nos: mouerent me, si essent fortiores. De Lanuino Phamea, errani: Troianum somniabam. id ego volui Q. sed pluris est. istuc tamen cuperem emeres, si vllam spem fruendi viderem. Nos quæ monstra quotidie intelligamus, ex illo libello, qui in epistolam coniectus est. Lentulus noster Puteolis est ἀδημονῶν, vt Cæcius narrat, quid agat: διατριβὴν Corfiniensem reformidat: Pompeio nunc putat satisfactum: beneficio Cæsaris mouetur; sed tamen mouetur magis prospecta re. Téne hæc ferre posse? Omnia misera: sed hoc nihil miserius; Pompeius N. Magium de pace misit; & tamen oppugnatur; quod ego non credebam: sed habeo à Balbo litteras, quarum ad te exemplũ misi: lege quæso, & illud infimum caput ipsius Balbi, optimi, cui Cneus noster locum, vbi hortos ædificaret, dedit: quem cui nostrum non sæpe prætulit? itaque miser torquetur. sed, ne bis eadem legas, ad ipsam te epistolam reiicio. spem autem pacis habeo nullam. Dolabella suis litteris, Idib. Mart. datis, merum bellum loquitur. maneamus ergo in illa eadem sententia misera & desperata: quando hoc miserius esse nihil potest.

BALBVS CICERONI IMP. S.

Cæſar nobis litteras prebreues miſit, quarum exemplum ſubſcripſi. breuitate epiſtolæ ſcire poteris eum valde eſſe diſtentum, qui tanta de re tam breuiter ſcripſerit. ſi quid præterea noui fuerit, ſtatim tibi ſcribam.

CAESAR OPPIO, CORNELIO. S.

A. D. VII. ID. Mart. Brundiſium veni: ad murum caſtra poſui. Pompeius eſt Brundiſii. miſit ad me N. Magium de pace. quæ viſa ſunt, reſpondi. hoc vos ſtatim ſcire volui. cùm in ſpem venero, de compoſitione aliquid me conficere, ſtatim vos certiores faciam. Quomodo me nunc putas, mi Cicero, torqueri, poſtquam rurſus in ſpem pacis veni, ne qua res eorum cõpoſitionem impediat? namque, quod abſens facere poſſum, opto. quòd ſi vna eſſem, aliquid fortaſſe proficere poſſe viderí. nũc exſpectatione crucior.

CICERO ATTICO S. XIIII.

MISERAM *ad te* IX. KAL. *exemplum epiſtolæ Balbi ad me, & Cæſaris ad eum; ecce tibi, eodem die Capua litteras accepi ab Q. Pedio, Cæſarem ad ſe pridie Idus Mart. miſiſſe hoc exemplo*, Pompeius ſe oppido tenet. nos ad portas caſtra habemus. conamur opus magnum, & multorum dierum, propter altitudinem maris. ſed tamen nihil eſt quod potiùs faciamus. ab vtro-

que portus cornu moles iacimus, vt aut illum quamprimum traiicere quod habet Brundisij copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus.

Vbi est illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se? ecquid acerbius? ecquid crudelius? atque eum loqui αὐθεντικῶς narrabat; Cn. Carbonis, M. Bruti se pœnas persequi, omniúmque eorum, in quos Sulla crudelis hoc socio fuisset: nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce: fecisse ad ambitionem, quibus exilij pœna superioribus legibus non fuisset; ab illo patriæ proditores de exilio reductos esse: queri de Milone per vim expulso: neminem tamen se violaturum, nisi qui arma hâc. contra Bæbius quidam à Curione III. ID *profectus, homo non infans, sed qui s. ulli non dicat. planè nescio, quid agam. illinc equidẽ Cnæum profectum puto. quidquid est, biduo sciemus. A te nihil, ne Anteros quidem, qui à te, litterarum: nec mirum. quid enim est quod scribamus? ego tamen nullum diem prætermitto. Scripta epistola, litteræ mihi ante lucem à Lepta Capua redditæ sunt Idib. Mart. Pompeium a Brundisio conscendisse, at Cæsarem* A. D. VII. KALEN. *Apr. Capuæ fore.*

CICERO ATTICO S. XV.

CVM *dedissem ad te litteras, vt scires Cæsarem Capuæ* VII. KAL. *fore, allatæ mihi sunt litteræ eum in Albano apud Curionem* V. KAL. *fore.*

eum cùm videro, Arpinum pergam. si mihi veniam, quam peto, dederit, vtar illius condicione: sin minùs, impetrabo aliquid à me ipso. ille, vt ad me scripsit, legiones singulas posuit Brundisii, Tarenti, Siponti. claudere mihi videtur maritimos exitus: & tamen ipse Græciam spectare potiùs, quàm Hispanias. sed hæc longiùs absunt. Me nunc & congressus huius stimulat; (is verò adest) & primas eius actionis horreo. volet enim, credo, S. C. facere: volet Augurum decretum: rapiemur, aut absentes vexabimur: vel vt Consules roget Prætor, vel Dictatorem dicat: quorum neutrum ius est. sed si Sulla potuit efficere, ab Interrege vt Dictator diceretur, & Magister equitum, cur hic non possit? nihil expedio, nisi vt aut ab hoc, tanquam Q. Mucius, aut ab illo, tamquam L. Scipio. Cùm tu hæc leges, ego illum fortasse conuenero. τέτλα, κύντερον. ne illud quidem nostrum proprium. erat enim spes propinqui reditus; erat hominum querela. nunc exire cupimus; qua spe reditus, mihi quidem numquam in mentem venit. non modò autem nulla querela est municipaliũ hominum, ac rusticorum, sed contra metuunt, vt crudelem, iratum. nec tamen mihi quicquam est miserius, quàm remansisse; nec optatius, quàm euolare, non tam ad belli, quàm ad fugæ societatem. sed tu omnia consilia differebas in id tempus, cùm sciremus, quæ Brundisii acta essent. scimus nempe: hæremus nihilo minus. vix enim spero mihi hunc veniam daturum: etsi multa affero iusta ad impetran-

impetrandum. ſed tibi omnem illius, meúmque ſermonem, omnibus verbis expreſſum, ſtatim mittam. Tu nunc omni amore enitere, vt nos cura tua, & prudentia iuues, ita ſubitto accurrit, vt ne T. Rebilum quidem, vt conſtitueram, poſſim videre. omnia nobis imparatis agenda. ſed tamen

—ἄλλα μὲν αὐτὸς, vt ait ille,

Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

quidquid egero, continuò ſcies. Mandata Cæſaris ad Conſules & ad Pompeium, quæ rogas, nulla habeo: quæ Aegypta attulit, illa è via miſi ad te ante: è quibus mandata puto intelligi poſſe. Philippus Neapoli eſt, Lentulus Puteolis. De Domitio, vt facis, ſciſcitare, vbi ſit, quid cogitet. Quod ſcribis, aſperiùs me, quàm mei patiantur mores, de Dionyſio ſcripſiſſe: vide, quàm ſim antiquorum hominum. te me dius fidius hanc rem grauiùs putaui laturum eſſe, quàm me. nam præterquam quòd te moueri arbitror oportere iniuria, quæ mihi à quoquam facta ſit; præterea, te ipſum quonam modo hic violauit, cùm in me tã improbus fuit? ſed tu id quanti æſtimes, tuum iudicium eſt. nec tamen in hoc tibi quicquam oneris impono. ego autem illum malè ſanum ſemper putaui, nunc etiam impurum & ſceleratum puto: nec tamen mihi inimiciorem, quàm ſibi. Philargyro bene curaſti; cauſſam certè habuiſti & veram & bonam; relictum eſſe me potiùs, quàm reliquiſſe. Cùm dediſſem iam litteras A. D. VIII. KAL. quos cum Matio pueri, & Trebatio miſeram, epiſtolam mihi attulerunt

hoc exemplo;

MATIVS ET TREBATIVS CICERONI IMP. S.
Cum capua exissemus, in itinere audiimus Pōpeium Brundisio A.D. XVI. KAL. April. cum omnibus copiis, quas habuit, profectum esse: Cæsarem postero die in oppidum introisse; contionatum esse; inde Romam contendisse; velle ante KAL. esse ad vrbem, & paucos dies ibi commorari, deinde in Hispanias proficisci. Nobis non alienum visum est, quoniam de aduentu Cæsaris pro certo habebamus, pueros ad te remittere, vt id tu quamprimum scires. Mandata tua nobis curæ sunt, eáque, vt tempus postularit, agemus. Trebatius Scæuola facit vt antecedat. Epistola conscripta, nuntiatum est nobis, Cæsarem A.D. VIII. KAL. April. Beneuenti mansurum, A. D. VII. Capuæ, A.D. VI. Sinuessæ. hoc pro certo putamus.

CICERO ATTICO S. XVI.

CVM, *quod scriberem ad te, nihil haberem: tamen, ne quem diem intermitterem, has dedi litteras.* A.D. VI. KAL. *Cæsarem Sinuessæ mansurum nuntiabant. ab eo mihi litteræ redditæ sunt* A. D. VII. KAL. *quibus iam opes meas, non, vt superioribus litteris, opem, exspectat. cùm eius clementiam Corfiniensem illam per litteras collaudauissem, rescripsit hoc exemplo,*

CAESAR IMP. CICERONI IMP. S. D.
Recte auguraris de me, (bene enim tibi cognitus

ſum) nihil à me abeſſe longius crudelitate. atque ego cùm ex ipſa re magnam capio voluptatem: tum, meum factum probari ab te, triumpho gaudio: neque illud me mouet, quòd ij, qui à me dimiſſi ſunt, diſceſſiſſe dicuntur; vt mihi rurſus bellum inferrent: nihil enim malo, quàm & me mei ſimilem eſſe, & illos ſui. Tu velim mihi ad vrbem præſto ſis, vt tuis conſiliis, atque opibus, vt conſueui, in omnibus rebus vtar. Dolabella tuo nihil ſcito mihi eſſe iucundius. hanc adeo habebo gratiam illi: neque enim aliter facere poterit: tanta eius humanitas, is ſenſus, ea in me eſt beniuolentia.

CICERO ATTICO. S. XVII.

TREBATIVM VI. KAL. *quo die has litteras dedi, exſpectabam. ex eius nuntio, Matiique litteris meditabor, quo modo cum illo loquar. ô tempus miſerum! nec dubito, quin à me contendat, ad vrbem veniam. Senatum enim* KAL. *velle ſe frequentem adeſſe, etiam Formiis proſcribi iuſſit. ergo ei negandum eſt? ſed quid præripis? ſtatim ad te perſcribam omnia. ex illius ſermone ſtatuam, Arpinúmne mihi eundum ſit, an quò aliò. Volo Ciceroni meo togam puram dare. iſtic puto. tu, quæſo, cogita quid deinde. nam me hebetem moleſtiæ reddiderunt. A Curio, velim ſcire, ecquid ad te ſcriptum ſit de Tirone. ad me enim ipſe Tiro ita ſcripſit, vt verear, quid agat. qui autem veniunt inde*

κιρδυνωδῶς nuntiant. ſanè in magnis curis etiam hæc me ſolicitat. in hac enim fortuna perutilis eius & opera & fidelitas eſſet.

CICERO ATTICO S. XVIII.

VTRVNQVE ex tuo conſilio. nam & oratio fuit ea noſtra, vt bene potiùs ille de nobis exiſtimaret, quàm gratias ageret: & in eo manſimus, ne ad vrbem. illa fefellerunt, facilem quòd putaramus. nihil vidi minùs. damnari ſe noſtro iudicio, tardiores fore reliquos, ſi in his non veniremus, dicere. ego, diſſimilem illorum eſſe cauſſam. cùm multa; veni igitur, & age de pace. meóne, inquam, arbitratu? an tibi, inquit, ego præſcribam? ſic, inquam, agam, Senatui non placere in Hiſpanias iri, nec exercitus in Græciam tranſportari; multáque, inquam, de Cnæo deplorabo. tum ille, ego verò iſta dici nolo. ita putabam, inquam: ſed ego eo nolo adeſſe, quòd aut ſic mihi dicendum eſt, aut non veniendum; multáque quæ nullo modo poſſem ſilere, ſi adeſſem. ſumma fuit, vt ille quaſi exitum quærens, vt deliberarem. non fuit negandum. ita diſceſſimus. credo igitur hunc me non amare. at ego me amaui; quod mihi iam pridem vſu non venit. reliqua, ô dij, qui comitatus! quæ, vt tu ſoles dicere, νεκυία! in qua erat Eros ſcelero. ô rem perditam! ô copias deſperatas! quid, quòd Seruij filius? quòd Titinij? quot in his caſtris fuerunt, quibus Pompeius circumſideretur? ſex legiones. multum. vigilat, au-

det: nullum video finem mali. nunc certè promenda tibi sunt consilia. Hoc fuerat extremum. Illa tamen κάλακλεὶς illius est odiosa, quàm pæne præterii; si sibi consiliis nostris vti non liceret, vsurum, quorum posset, ad omniáque esse descensurum. vidisti igitur virum, vt scripseras? ingemuisti? certè. cedo reliqua. quid? continuò ipse in Pedanum, ego Arpinum. inde exspecto quidem λαλαγεῦσαν illam tuam. tu (malum) inquies, actum ne agas. etiam illum ipsum, quem sequimur, multa fefellerunt. sed ego tuas litteras exspecto. nihil est enim iam, vt antea, VIDEAMVS HOC QVORSVM EVADAT. *extremum fuit de congressu nostro: quo quidem non dubito quin istum offenderim. eo maturiùs agendum est. amabo te epistolam, & πολιτικήν. valde tuas littteras nunc exspecto.*

CICERO ATTICO S. XIX.

EGO *meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimùm togam puram dedi: ídque municipibus nostris fuit gratum. etsi omnes, & illos, & quà iter feci, mæstos afflictósque vidi: tam tristis, & tam atrox est ἀναθεώρησις huius ingentis mali. delectus habentur: in hiberna deducuntur. ea, quæ, etiam cùm à bonis viris, cùm iusto in bello, cùm modestè fiunt, tamen ipsa per se molesta sunt, quàm censes acerba nunc esse, cùm à perditis, in ciuili nefario bello, petulantissimè fiant? caue an-*

tem putes, quem quam hominem in Italia turpem esse, qui hinc absit. vidi ipse Formiis vniuersos: neque mehercule vmquam homines putaui; & noram omnis; sed numquam vno loco videram. Pergamus igitur, quò placet, & nostra omnia relinquamus. proficiscamur ad eum, cui gratior noster aduentus erit, quàm si vna fuissemus. tum enim eramus in maxima spe; nunc, ego quidem, in nulla: nec, præter me, quisquam Italia cessit, nisi qui hunc inimicum sibi putaret. nec mehercule hoc facio Reip. caussa, quam funditus deletam puto: sed ne quis me putet ingratum in eum, qui me leuauit iis incommodis, quibus idem affecerat: & simul, quòd ea, quæ fiunt, aut quæ certè futura sunt, videre non potero. etiam equidem S.C. *facta quædam iam puto; vtinam in Volcacij sententiam. sed quid refert? est enim vna sententia omnium. sed erit immitissimus Seruius, qui filium misit ad effligendum Cn. Pompeium, aut certè capiendum, cum Pontio Titiniano. etsi hic quidem timoris caussa; ille verò? sed stomachari desinamus, & aliquando sententiam, vt nihil noui, nisi id, quod minimum vellem, spiritum reliquum esse. Nos, quoniam superum mare obsidetur, infero nauigabimus; &, si Puteolis erit difficile, Crotonem petemus, aut Thurios; & boni ciues, amantes patriæ, mare infestum habebimus. aliam rationem huius belli gerendi nullam video. in Aegyptum nos abdimus. exercitu pares esse non possumus. pacis fides nulla est. sed hæc satis deplo-*

rata ſunt. Tu velim litteras Cephalioni des de omnibus rebus actis, denique etiam de ſermonibus hominum; niſi plane obmutuerunt. Ego tuis conſiliis vſus ſum, maximéque quòd grauitatem in congreſſu noſtro tenui, quam debui; &, ad vrbem vt non accederem, perſeueraui. Quod ſupereſt, ſcribe, quæſo, quam accuratiſſimè, (iam enim extrema ſunt) quid placeat, quid cenſeas: etſi iam nulla dubitatio eſt. tamen, ſi quid, vel potiùs quidquid veniet in mentem, ſcribas velim.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER X.

CICERO ATTICO. S. I.

TERTIO *Nonas cùm in Laterium fratris venissem, accepi litteras, & paulum lectis respiraui: quod post has ruinas mihi non acciderat. per enim magni æstimo, tibi firmitudinem animi nostri, & factum nostrum probari. Sexto enim nostro quod scribis probari, ita lætor, vt me quasi patris eius, cui semper vni plurimum tribui, iudicio comprobari putem: qui mihi, quod sæpe soleo recordari, dixit olim, Nonis illis, illis Decembribus, cùm ego, Sexte, quidnam ergo?*

Μὴ μὰν, *inquit ille,* ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

eius igitur mihi viuit auctoritas; & simillimus eius filius eodem est apud me pondere, quo fuit ille: quem saluere velim iubeas plurimùm. Tu tuum consilium etsi non in longinquum tempus differs, (iam enim illum emptum pacificatorem perorasse puto, iam actum aliquid esse in consessu Senatorum; Senatum non enim puto) tamen suspensum me inde tenes, sed eo minùs, quòd non dubito, quid nobis agendum putes. quid enim Flauio legionem & Siciliam dari scribas, & id iam fieri? quæ tu sce-

lera partim parari, & iam cogitari, partim ex tempore futura censes? ego vero Solonis, popularis tui, vt puto, etiam mei, legem negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterius vtrius partis fuisset; nisi tu aliter censes; & hinc abero & filij. sed alterum mihi est certius: nec praripiam tamen; exspectabo tuum consilium, & eas litteras, nisi alias iam dedisti, quas, scripsi, vt Cephalioni dares. Quòd scribis, non quo alicunde audieris, sed te ipsum putare, me attractum iri, si de pace agatur: mihi omnino non venit in mentem, quæ possit actio esse de pace, cùm illi certissimum sit, si possit, exspoliare exercitu, & prouincia Pompeium: nisi fortè iste summœrius ei potest persuadere, vt, dum oratores eant, & redeant, quiescat. nihil video, quod sperem, aut quid iam putem fieri posse; sed tamen hominis hoc ipsum probi est ἐχμαδεῖον. Est τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, veniendúmne sit in consilium tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit. quare, si quid eiusmodi euenerit, vt arcessamur: (quod equidem non curo: quid enim essem de pace dicturus, dixi; ipse valde repudiauit) sed tamen, si quid acciderit, quid censeas mihi faciendum, vtique scribito. nihil enim mihi adhuc accidit, quod maioris consilij esset. Trebatij, boni viri & ciuis, verbis te gaudeo delectatum: tuáque ista crebra ἐχφώνησις, ὑπέρευ, me sola adhuc delectauit. Litteras tuas vehementer exspecto, quas quidem credo iam datas esse. Tu cum Sexto seruasti grauitatem eandem, quam mihi pracipis. Celer tuus

disertus magis est, quàm sapiens. De iuuenibus, quæ ex Tullia audisti, vera sunt. M. Antonij istud, quod scribis, non mihi videtur tam re esse triste, quàm verbo. hæc est ἄλη, in qua nunc sumus, mortis instar. aut enim mihi libere inter malos πολιτευτέον fuit, aut vel periculosè cum bonis. aut nos temeritatem bonorum sequamur: aut audaciam improborum insectemur. vtrunque periculosum est. at, hoc, quod agimus, nec turpe, nec tamen tutum. Istum, qui filium Brũdisium de pace misit (de pace idem sentio, quod tu; simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrime) legatum iri non arbitror; cuius adhuc, vt optaui, mentio facta nulla sit. eo minùs habeo necesse scribere, aut etiam cogitare, quid sim facturus, si acciderit, vt legarer.

CICERO ATTICO S. II.

EGO *cùm accepissem tuas litteras Nonis Apr. quas Cephalio attulerat, essémque Minturnis postridie mansurus, & inde protinus; sustinui me in Arcano fratris, vt, dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus, agerentúrque nihilo minus, quæ sine nobis agi possunt. λαλαγεῦσα iam adest, & animus ardet; nec est quicquam, quò, & quà. sed hæc nostra erit cura & peritorum. tu tamen, quod poteris, vt adhuc fecisti, nos consiliis iuuabis. res sunt inexplicabiles. fortunæ sunt committenda omnia. sine spe conamur vlla. si melius quid acciderit, mirabimur. Dionysium nolim ad*

me profectum: de quo ad me Tullia mea scripsit. sed & tempus alienum est; & homini non amico nostra incommoda, tanta præsertim, spectaculo esse nollem: cui te meo nomine inimicum esse nolo.

CICERO ATTICO. S. III.

CVM, *quod scriberem, plane nihil haberem, hæc autem reliqua essent, quæ scire cuperem, profectúsne esset, quo in statu vrbem reliquisset, in ipsa Italia quem cuique regioni, aut negotio præfecisset, ecqui essent ad Pompeium & ad Consules ex* S. C. *de pace legati; cùm igitur hæc scire, dedita opera has ad te litteras misi. feceris igitur commodè, mihíque gratum, si me de de his rebus, & si quid erit aliud, quod scire opus sit, feceris certiorem. ego in Arcano opperior, dum ista cognosco.* A.D. VII. ID. *alteram tibi eodem die hanc epistolam dictaui; & pridie dederam mea manu longiorem. Visum te aiunt in regia; nec reprehendo: quippe cùm ipse istam reprehensionem non fugerim. sed exspecto tuas litteras: neque iam sanè video, quid exspectem: sed tamen, etiam si nihil erit, id ipsum ad me velim scribas. Cæsar mihi ignoscit per litteras, quòd non venerim; seséque in optimam partem id accipere dicit. facile patior, quod scribit, secum Tullum & Seruium questos esse, quia nõ idem sibi, quod mihi, remisisset. homines ridiculos, qui cùm filios misissent ad Cn. Põpeium circũsidendum, ipsi in*

Senatum venire dubitarent. sed tamen exemplum misi ad te Cæsaris litterarum.

CICERO ATTICO. S. IV.

MVLTAS *à te accepi epistolas eodem die, omnes diligenter scriptas: eam verò, quæ voluminis instar erat, sæpe legendam, sicuti facio: in qua non frustra laborem suscepisti: mihi quidem pergratum fecisti. quare, vt id, quoad licebit, id est, quoad scies vbi simus, quam sæpissime facias, te vehementer rogo. at deplorandi quidem, quod quotidie facimus, sit iam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quædam, quod profecto potest. non enim iam quam dignitatem, quos honores, quem vitæ statum amiserim, cogito, sed quid consecutus sim, quid præstiterim, qua in laude vixerim: his denique in malis, quid intersit inter me & istos, quos propter omnia amisimus. hi sunt, qui, nisi me ciuitate expulissent, obtinere se non posse putauerunt licentiam cupiditatum suarum: quorum societatis & sceleratæ consensionis fides quò eruperit, vides. alter ardet furore & scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingrauescit: modo Italia expulit: nunc alia ex parte persequi, ex alia prouincia spoliare conatur: nec iam recusat, sed quodam modo postulat, vt, quemadmodum est, sic etiam appelletur, tyrannus. alter, is, qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne subleuabat quidem, qui se nihil contra huius volũtatem aiebat facere posse, elapsus*

è soceri manibus ac ferro, bellum terra & mari comparat, non iniustum ille quidem, sed cùm pium, tum etiam necessarium, suis tamen ciuibus exitiabile, nisi vicerit; calamitosum etiam, si vicerit. horum ego summorum imperatorum non modò res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur. quis enim potest, aut deserta per se patria, aut oppressa, beatus esse? & si, vt nos à te admonemur, recte in illis libris diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum; nihil malum, nisi quod turpe sit: certe vterque istorum est miserrimus; quorum vtrique semper patriæ salus, & dignitas posterior sua dominatione, & domesticis commodis fuit. Præclara igitur conscientia sustentor, cùm cogito me de Rep. aut meruisse optime, cùm potuerim: aut certè numquam, nisi diuinè, cogitasse: eáque ipsa tempestate euersam esse Remp. quam ego XIIII. annis ante prospexerim. hac igitur conscientia comite proficiscar, magno equidem cum dolore, nec tam id propter me, aut propter fratrem meum, quorum vt vt iam acta ætas, quàm propter pueros, quibus interdum videmur præstare etiam Remp. debuisse: quorum quidem alter, non tam, quia maiore pietate est, me mirabiliter excruciat: alter, (ô rem miseram! nihil enim mihi accidit in omni vita acerbius) indulgentia videlicet nostra deprauatus, eò progressus est, quò non audeo dicere; & exspecto tuas litteras. scripsisti enim, te scripturum esse plurima, cùm ipsum vidisses. omne

meum obſequium in illum fuit cum multa ſeueritate: neque vnum eius, nec paruum, ſed multa magna delicta compreſſi. patris autem lenitas amanda potius ab illo, quàm tam crudeliter negligenda. nam litteras eius ad Cæſarem miſſas ita grauiter tulimus, vt te quidem celaremus; ſed ipſius videmus vitam inſuauem reddidiſſe. hoc verò eius iter, ſimulatióque pietatis qualis fuerit, nón audeo dicere. tantum ſcio, poſt Hirtium conuentum, arceſſitum ab Cæſare: cum eo, de meo animo ab ſuis rationibus alieniſſimo, & conſilio relinquendi Italiam; & hæc ipſa timidè. ſed nulla noſtra culpa eſt: natura metuenda eſt. hæc Curionem, hæc Hortenſii filium, non patrum culpa, corrupit. iacet in mærore meus frater, neque tam de ſuâ vita, quàm de mea metuit. huic tu, huic tu malo affer conſolationes, ſi vllas potes: maximè quidem illam velim; ea, quæ ad nos delata ſint, aut falſa eſſe, aut minora. quæ ſi vera ſint; quid futurum ſit in hac vita, & fuga, neſcio. nam ſi haberemus Remp. conſilium mihi non deeſſet nec ad ſeueritatem, nec ad diligentiã. Hæc, ſiue iracundia, ſiue dolore, ſiue metu permotus, grauiùs ſcripſi, quàm aut tuus in illum amor, aut meus poſtulabat. ſi vera ſunt, ignoſces: ſi falſa, me libente eripies mihi hunc errorem. quoquo modo verò ſe res habeat, nihil aſſignabis nec patruo, ne patri. Cùm hæc ſcripſiſſem, a Curione mihi nuntiatum eſt, eum ad me venire. venerat enim is in Cumanum veſperi pridie, id eſt Idibus. ſi quid eius igitur ſermo eiuſmodi attulerit, quod ad te ſcribendum ſit; id

in litteris adiungam. Præteriit villam meam Curio, iussítque mihi nuntiari, mox se venturum: cucurrítque Puteolos, vt ibi contionaretur. contionatus est: rediit: fuit ad me sane diu. ô rem fœdam! nosti hominem: nihil occultauit; in primis nihil esse certius, quàm vt omnes, qui lege Pompeia condemnati essent, restituerentur; itaque se in Sicilia eorũ opera vsurum. de Hispaniis, non dubitabat, quin Cæsaris essent: inde ipsum cum exercitu, vbicunque Pompeius esset: eius interitu finem belli fore: propius factum esse nihil (eum planè iracundia elatum voluisse) occidi Metellum Tribunum pleb. quod si esset factum, cædem magnam futuram esse: permultos hortatores esse cædis; ipsum autem non voluntate, aut natura non esse crudelem, sed quòd putaret popularem esse clementiam: quòd si populi studium amisisset, crudelem fore: eúmque perturbatum, quòd intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de ærario. itaq; ei cùm certissimum fuisset, ante, quàm proficisceretur, contionem habere, ausum non esse, vehementérque animo perturbato profectum. Cùm autem ex eo quærerem, quid videret, quod exemplum, quam Remp. planè fatebatur nullam spem reliquam: Pompeii classem timebat: quæ si esset, se de Sicilia abiturum. Quid isti, inquam, sex tui fasces? si ab Senatu, cur laureati? si ab ipso cur sex? Cupiui, inquit, ex S.C. surrupto: nam aliter non poterat. at ille impendio nunc magis odit Senatum: à me, inquit, omnia proficiscentur. sex autem, quia duodecim nolui: nam licebat. Tum ego,

quàm vellem, inquam, petiisse ab eo, quod audio Philippum impetrasse: sed veritus sum, quia ille à me nihil impetrabat. Libenter, inquit, tibi concessisset. verùm puta te impetrasse. ego enim ad eum scribam, vt tu ipse voles, de ea re nos inter nos locutos. quid autem illius interest, quoniam in Senatum non venis, vbi sis? quin nunc ipsum minimè offendisses, eius caussa si in Italia non fuisses: ad quæ ego, me recessum, & solitudinem quærere, maximè quòd lictores haberem. laudauit consilium. quid ergo, inquam? nam mihi cursus in Græciam per tuam prouinciam est: quoniam ad mare superum milites sunt. quid mihi, inquit, optatiùs? hoc loco multa perliberaliter. ergo hoc quidem est verum profectò, vt non modo tuto, verùm etiam palam nauigaremus. reliqua in posterum diem distulit: ex quibus scribam ad te, si quid erit epistola dignum. Sunt autem, quæ præterii, interregnúmne esset exspectaturus; an, quo modo dixerim? Ad se ille quidem deferri Consulatum, sed se nolle, in proximum annum. & alia sunt, quæ exquiram. Iurabat ad summam, quod nullo negotio faceret amicissimum mihi Cæsarem. esse debet. quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella? dico, quid? affirmabat, cum scripsisset, quòd me cuperet ad vrbem venire, illum quidem gratias agere maximas, & non modò probare, sed etiam gaudere. quid quæris? acquieui. leuata est enim suspicio illa domestici mali, & sermonis Hirtiani. quàm cupio illum dignum esse nobis: & quàm ipse me inuito, quà pro illo sit supplicandum!

plicandum! sed opus fuit Hirtio conuento: est profecto nescio quid: sed velim quamminimo. & tamen eum non dum redisse miramur. sed hæc videbimus. Tu Oppios Terentiæ dabis. iam enim vrbis vnum periculum est. Me tamen consilio iuua, pedibúsne Rhegium, an hinc statim in nauem. ceterùm, quoniam commoror, ego ad te statim habebo quod scribam, simul & videro Curionem. De Tirone cura, quæso, quod facis, vt sciam, quid is agat.

CICERO ATTICO. S. V.

DE *tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, vt mihi visus sum, diligenter. de die nihil sane potest scribi certi, præter hoc, non ante lunam nouam. Curionis sermo postridie eandem habuit fere summam, nisi quòd apertiùs significauit, se harum rerum exitum non videre. Quod mihi mandas de Q. regendo, ἀρκαδίαν. tamen nihil prætermittam. atque vtinam tu. sed modestior non ero. Epistolam ad Vestorium statim de Tullia. ac valde requirere solebat. Commodius tecum Vectenus est locutus, quàm ad me scripserat. sed mirari satis hominis negligentiam non queo. cùm enim mihi Philotimus dixisset.* H S, L. *emere de Canuleio diuersorium illud posse, minoris etiam empturum, si Vectenum rogassem; rogaui, vt, si quid posset, ex ea summa detraheret: promisit: ad me nuper,* H S X X X. *emisse: vt scriberem, cui vellem addici: diem pecuniæ* ID. *Nouemb. esse. rescripsi ei stomachosiùs, cum*

ioco tamen familiari. nunc, quoniam agit liberaliter, nihil accuso hominem, scripsique ad eum, me à te certiorem esse factum. Tu, de tuo itinere quid, & quando cogites, velim me certiorem facias. A.D. XV. KAL. *May.*

CICERO ATTICO S. VI.

ME *adhuc nihil, præter tempestatem, moratur. astutè nihil sum acturus: fiat in Hispania quilibet: & tamen reticenter. meas cogitationes omnis explicaui tibi superioribus litteris. quocirca hæ sunt breues: & tamen, quia festinabam, erámque occupatior. De Quincto filio, fit à me quidem sedulo; nosti reliqua. Quod dein me mones, & amicè, & prudenter mones: sed erunt omnia facicilia, si ab vno illo cauero. màgnum opus est. mirabilia multa. nihil simplex, nihil sincerum. vellem, suscepisses iuuenem regendum. pater enim nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat. si sine illo possem, regerem: quod tu potes: sed ignosco: magnum, inquam, opus est. Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam. ego nunc, qua, & quò, videbo.*

CICERO ATTICO. S. VII.

EGO *verò Apuliam, & Sipontum; & tergiuersationem istam probo: nec tuam rationem eandem esse duco, quam meam: non quin in Rep. re-*

ctum idem sit vtrique nostrum: sed ea non agitur. regnandi contentio est; in qua pulsus est admodestior rex, & probior, & integrior, & is, qui nisi vincit, nomen populi R. deleatur necesse est: sin autem vincit, Sullano more, exemplóque vincet. ergò hac in contentione neutrum tibi palam sentiendum, & tempori seruiendum est. Mea caussa autem alia est, quòd beneficio vinctus ingratus esse non possum: nec tamen in acie, sed Melitæ, aut alio in loco simili oppidulo, futurum puto. nihil, inquies, iuuas eum, in quem ingratus esse non vis? immo minùs fortasse voluisset. sed de hoc videbimus. exeamus modo: quod vt meliore tempore possimus, facit Adriano mari Dolabella, Fretensi Curio. Iniecta autem mihi spes quædam est, velle mecum Ser. Sulpicium colloqui. ad eum misi Philotimum libertum cum litteris; si vir esse volet, præclara αὐνοδία: sin autem, erimus nos, qui solemus. Curio mecum vixit, iacere Cæsarem putans offensione populari, Siciliæq; diffidens, si Pompeius nauigare cœpisset. Quinctum puerum accepi vehementer. auaritiam video fuisse, & spem magni congiarij. magnum hoc malum est. sed scelus illud, quod timueramus, spero nullum fuisse. hoc autem vitium, puto te existimare non nostra indulgentia, sed à natura profectum: quem tamen nos disciplina regimus. De Oppiis Veliensibus quid placeat, cum Philotimo videbis. Epirum nostram putabimus: sed alios cursus videbamur habituri.

CICERO ATTICO. S. VII.

Et res ipsa monebat, & tu ostenderas, & ego videbam, de iis rebus, quas intercipi periculosum esset; finem inter nos scribendi fieri tempus esse. sed, cùm ad me sæpe mea Tullia scribat, orans, vt, quid in Hispania geratur, exspectem, & semper adscribat idem videri tibi, ídque ipse etiam ex tuis litteris intellexerim, non puto esse alienum, me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. Consilium istud tunc esset prudens, vt mihi videtur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum accommodaturi essemus; quod fieri dicitis oportere. necesse est enim, aut, id quòd maximè velim, pelli istum ab Hispania; aut trahi id bellum; aut istum, vt confidere videtur, apprehendere Hispanias. si pelletur, quàm gratus, aut quàm honestus tum erit ad Pompeium noster aduentus; cùm ipsum Curionem ad eum transiturum putem? si trahitur bellum, quid exspectem, aut quàm diu? relinquitur, vt, si vincimur in Hispania, quiescamus. id ego contra puto: istum enim victorem magis relinquendum puto, quàm victum, & dubitantem, magis quàm fidentem suis rebus. nam cædem video, si vicerit, & impetum in priuatorum pecunias, & exulum reditum, & tabulas nouas, & turpissimorum honores, & regnum non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tollerabile. tacita esse poterit indignitas nostra? pati poterunt oculi, me cum Gabinio

sententiam dicere? & quidem illum rogari prius? præsto esse clientem tuum Clœlium? C. Ateių Plaguleium? ceteros? sed cur inimicos colligo? qui meos necessarios, à me defensos, nec videre in Curia sine dolore, nec versari inter eos sine dedecore potero. quid si ne id quidem est exploratum, fore, vt mihi liceat; (scribunt enim ad me amici eius, me illi nullo modo satisfecisse, quòd in Senatum non venerim) taménne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo venditemus, qui cum coniuncti ne cum præmio quidem voluimus esse? deinde hoc vide, non esse iudicium de tota contentione in Hispaniis: nisi forte, iis amissis, arma Pompeium abiecturum putas: cuius omne consilium Themistocleum est. existimat enim, qui mare teneat, eum necesse rerum potiri. itaque, qui numquam id egit, vt Hispaniæ per se tenerentur, naualis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. nauigabit igitur, cùm erit tempus, maximis classibus, & ad Italiam accedet: in qua nos sedentes quid erimus? nam medios esse iam non licebit. classibus aduersabimur igitur? quod Mallius scilicet, tantum? denique quid turpius? an inualidè hinc in absentis solus tuli scelus? eiusdem, cum Pompeio, & cum reliquis principibus non feram? quòd si iam, misso officio, periculi ratio habenda est; ab illis est periculum, si peccaro; ab hoc, si rectè fecero: nec vllum in his malis consilium periculo vacuum inueniri potest: vt non sit dubium, quin turpiter facere cum periculo fugiamus; quod fugeremus etiam cum salute: non; si simul cum Pompeio

mare transierimus. omnino non potuimus. exstat ratio dierum. sed tamen (fateamur enim; quod est, ne condamus quidem, vt possumus) fefellit ea me res, quæ fortasse non debuit, sed fefellit: pacem putaui fore: quæ si esset, iratum mihi Cæsarem esse, cùm idem amicus esset Pompeio, nolui. senseram enim, quàm iidem essent. hoc verens in hanc tarditatem incidi. sed assequor omnia, si propero; si cunctor, amitto. & tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, non hæc collegij nostri ab Attio, sed illa Platonis de tyrannis. nullo enim modo posse video stare istum diutiùs, quin ipse per se, etiam languentibus nobis, concidat; quippe qui florentissimus, ac nouus, VI. VII. diebus ipsi illi egenti, ac perditæ multitudini in odium acerbissimum venerit; qui duarum rerum simulationem tam citò amiserit, mansuetudinis in Metello, diuitiarum in ærario. iam, quibus vtatur vel sociis, vel ministris, si ij prouincias, si Remp. regent, quorum nemo duos menses potuit patrimonium suum gubernare? non sunt omnia colligenda: quæ tu acutissimè perspicis. sed tamen ea pone ante oculos: iam intelliges id regnum vix semestre esse posse. quod si me fefellerit, feram, sicut multi clarissimi homines in Rep. excellentes, tulerunt: nisi forte me Sardanapali vice in suo lectulo mori malle censueris, quàm exilio Themistocleo: qui cum fuisset, vt ait Thucydides, τῶν μὲν παρόντων δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής, tamen incidit in eos casus,

quos vitasset, si eum nihil fefellisset. etsi is erat (vt ait idem) qui τὸ ἄμεινον, καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι περιεώρα μάλιστα: tamen non vidit, nec quo modo Lacedæmoniorum, nec quo modo suorum ciuium inuidiam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. non fuisset & illa nox tam acerba Africano, sapientissimo viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro C. Mario, si nihil vtrunque eorum fefellisset. nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus; nec nos fallit, nec aliter accidet. corruat iste necesse est, aut per aduersarios, aut ipse per se., qui quidem sibi est aduersarius vnus acerrimus. id spero viuis nobis fore. quamquam tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare. sin quid acciderit maturius, haud sanè mea multùm interfuerit, vtrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim. quæ cùm ita sint, non est committendum, vt iis pareamus, quos contra me Senatus, ne quid Resp. detrimenti acciperet, armauit. Tibi sunt omnia commendata; quæ commendationis meæ pro tuo in nos amore non indigent. ne hercule ego quidem reperio, quod scribam. sedeo enim πλουδοκῶν. etsi nihil vmquam tam fuit scribendum, quàm nihil mihi vmquam ex plurimis tuis iucunditatibus gratius accidisse, quàm quòd meam Tulliam suauissimè diligentissiméque coluisti. valde eo ipsa delectata est: ego autem non minus; cuius quidem virtus mirifica. quo modo illa fert publicam cladem? quo modo domesticas tricas? quantus autem animus in discessu

nostro? sit στοργὴ, sit summa συώτηξις: tamen nos rectè facere, & bene audire vult. Sed hac super re nimis; ne meam ipse συμπάθειαν iam euocem. Tu, si quid de Hispaniis certius, & si quid aliud, dum adsumus, scribes: & ego fortasse discedens dabo ad te aliquid; eo etiam magis, quòd Tullia te non putabat hoc tempore ex Italia. Cum Antonio item est agendum, vt cum Curione, Melitæ me velit esse; huic bello nolle interesse. eo velim tam facili vti possem, & tam bono in me, quàm Curione. is ad Misenum VI. *Nonas venturus dicebatur, id est hodie: sed præmisit mihi odiosas litteras, hoc exemplo:*

ANTONIVS TRIB. PLEB. PROPRAET. CICERONI IMP. S. Nisi te valde amarem, & multo quidem plus, quàm tu putas, non extimuissem rumorem, qui de te prolatus est, cùm præsertim falsum esse existimarem. sed quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare, mihi famam quoque, quamuis sit falsa, magni esse. Te iturum trans mare, credere non possum, cum tanti facias Dolabellam, & Tulliam tuam, feminam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias; quibus mehercule dignitas, amplitudóque tua pæne carior est, quàm tibi ipsi. sed tamen non sum arbitratus esse amici, non commoueri etiam improborum sermone: atque eò feci studiosius, quòd iudicabam durioris partis mihi impositas esse ab offensione nostra, quæ magis à ζηλοτυπίᾳ mea quàm ab iniuria tua nata est. sic enim volo te tibi persuadere, mihi neminem esse cariorem te, ex-

cepto Cæſare meo, méque illud vna iudicare, Cæſarem maximè in ſuis M. Ciceronem reponere. Quare, mi Cicero, te rogo, vt tibi omnia integra ſerues, eius fidem improbes, qui tibi, vt beneficium daret, prius iniuriam fecit: contra ne profugias, qui te, etſi non amabit, (quod accidere non poteſt) tamen ſaluum ampliſſimúmque eſſe cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium, familiariſſimum meum, miſi; vt mihi magnæ curæ tuam vitam ac dignitatem eſſe ſcires.

Eodem die à Cæſare Philotimus attulit, hoc exemplo.

CAESAR IMP. CICERONI IMP. S.

Etſi te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicaram; tamen permotus hominum fama, ſcribendum ad te exiſtimaui, & pro noſtra beniuolentia petendum, ne quò progredereris proclinata iam re, qua integra etiam progrediendum tibi non exiſtimaſſes. namque & amicitię grauiorem iniuriam fecêris; & tibi minùs commodè conſulueris, ſi non fortunæ obſecutus videbere: (omnia enim ſecundiſſima nobis, aduerſiſſima illis accidiſſe videntur) nec cauſſam ſecutus: (eadem enim tum fuit, cùm ab eorum conſiliis abeſſe iudicaſti) ſed meum aliquod factum condemnauiſſe: quo mihi grauius abs te nil accidere poteſt. quod ne facias, pro iure noſtræ amicitiæ à te peto. Proſtremo, quid viro bono & quieto, & bono ciui magis conuenit, quàm abeſſe à ciuilibus controuerſiis? quòd non nulli cùm probarent, periculi cauſſa ſequi non

potuerunt. tu, explorato & vitæ meæ testimonio, & amicitiæ iudicio, neque tutius, neque honestius reperies quicquam, quam ab omni contentione abesse. XV. KAL. Mai. ex itinere.

CICERO ATTICO S. IX.

ADVENTVS *Philotimi (at cuius hominis, quàm insulsi, & quàm sæpe pro Pompeio mentientis?) examinauit omnis, qui mecum erant. nam ipse obdurui. Dubitabat nostrum nemo, quin Cæsar itinera repressisset: volare dicitur: Petreius cum Afranio coniunxisset se: nihil affert eiusmodi. quid quæris? etiam illud erat persuasum; Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniam per Illyricum fecisse: id enim* αὐθεντικῶς *nuntiabatur. Melitam igitur, opinor, capessamus, dum, quod in Hispania: quod quidem propemodum videor ex Cæsaris litteris ipsius voluntate facere posse; qui negat neque honestius, neque tutius mihi quicquam esse, quàm ab omni contentione abesse. dices, vbi ergo tuus ille animus, quem proximis litteris? adest, & idem est. sed vtinam meo solùm capite decernerem. lacrimæ meorum me interdum molliunt, precãtium, vt de Hispaniis exspectemus. M. Cœlij quidem epistolam, scriptam miserabiliter, cùm hoc idem obsecraret, vt exspectarem, ne fortunas meas, ne vnicam filiam, ne meos omnis tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri: etsi meus quidem est fortior, eóque ipso vehementiùs com-*

mouet: nec quicquam, nisi de dignatione, laborat. Melitam igitur; deinde, quò videbitur. tu tamen etiam nunc mihi aliquid litterarum, & maximè si quid ab Afranio. Ego, si cùm Antonio locutus ero, scribam ad te, quid actum sit. ero tamen in credendo; vt mones, cautus. nam occultandi ratio cùm difficilis, tum etiam periculosa est. Seruium exspecto ad Nonas: & adigit ita Postumia, & Seruius filius. Quartanam leuiorem esse gaudeo. Misi ad te Cœlij etiam litterarum exemplum.

COELIVS CICERONI S.

EXANIMATVS tuis litteris. quibus te nihil, nisi triste, cogitare ostendisti; neque, id quod esset, perscripsisti; neque non tamen, quale esset, quod cogitares, aperuisti; has ad te ilico litteras scripsi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro & obsecro; ne quid grauius de salute & incolumitate tua consulas. nam deos hominésq;, amicitiámque nostram testificor, me tibi prędixisse, neque temere monuisse; sed, postquam Cęsarem conuenerim, sententiámque eius, qualis futura esset parta victoria, cognorim, te certiorem fecisse. si existimas eandem rationem fore Cęsaris in dimittendis aduersariis, & condicionibus ferendis, erras. nihil, nisi atrox, & sęuum, cogitat, atque etiã loquitur. iratus Senatui exiit: his intercessionibus planè incitatus est. nõ mehercule erit deprecationi locus. quare, si tibi tu, si filius vnicus, si domus, si spes tuę

reliquæ tibi caræ ſunt; ſi aliquid apud te nos, ſi, vir optimus, gener tuus valemus: eorum fortunam non debes velle conturbare; vt eam cauſſam, in cuius victoria ſalus noſtra eſt, odiſſe, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra ſalutem tuam habeamus. denique illud cogita, quod offenſæ fuerit, in iſta cunctatione te ſubiiſſe. nunc te contra victorem Cæſarem facere, quem dubiis rebus lædere noluiſti, & ad eos fugatos accedere, quos reſiſtentis ſequi nolueris, ſummæ ſtultitiæ eſt. vide, ne, dum pudet te parum optimatem eſſe, parum diligenter, quod optimum ſit, eligas. quòd ſi totum tibi perſuadere non poſſum; ſaltem, dum, quid de Hiſpaniis agamus, ſcitur exſpecta; quas tibi nuntio aduentu Cæſaris fore noſtras. quam iſti ſpem habeant amiſſis Hiſpaniis, neſcio. quod porro tuum conſilium ſit ad deſperatos accedere, non me dius fidius reperio. Hoc, quod tu non dicendo mihi ſignificaſti, Cæſar audierat: ac ſimul atque, haue, mihi dixit, ſtatim, quid de te audiſſet, expoſuit. negaui me ſcire: tamen ab eo petiui, vt ad te litteras mitteret, quibus maxime ad remanendum commoueri poſſes. me ſecum in Hiſpaniam ducit. nam, niſi ita faceret, ego prius, quàm ad vrbem accederem, vbicumque eſſes, ad te percurriſſem, & hoc à te præſens contendiſſem, atque omni vi te retinuiſſem. Etiam atque etiam, Cicero, cogita, ne te tuóſque omnes funditus euertas: nec te ſciens, prudénſque eò demittas, vnde exitum vides nullum eſſe. quòd ſi te aut voces

optimatium commouent; aut non nullorum hominum insolētiam & iactationem ferre non potes: eligas, censeo, aliquod oppidum vacuum à bello, dum hæc decernuntur, quæ iam erunt confecta. id si feceris, & ego te sapienter fecisse iudicabo, & Cæsarem non offendes.

CICERO ATTICO. S. X.

ME CECVM *qui hæc ante non viderim! misi ad te epistolam Antonij. ei cùm ego sæpissimè scripsissem, nihil me contra Cæsaris rationes cogitare; meminisse me generi mei, meminisse amicitiæ; potuisse, si aliter sentirem, esse cum Pompeio; me autem, quia cum lictoribus inuitus cursarem, abesse velle, nec id ipsum certum etiam nunc habere; vide, quàm ad hæc* πανηγυρικῶς:

Tuum consilium quàm verum est. nam qui se medium esse vult, in patria manet: qui proficiscitur, aliquid de altera vtra parte iudicare videtur. sed ego is non sum, qui statuere debeam, iure quis proficiscatur, nec ne. partis mihi Cæsar has imposuit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. quare parui refert me probare cogitationem tuam, si nihil tamen tibi remittere possum. ad Cæsarem mittas, censeo, & ab eo hoc petas. non dubito, quin impetraturus sis, cùm præsertim te amicitiæ nostræ rationem habiturum esse pollicearis.

Habes σκυτάλην λακωνικὴν. *omnino excipiam hominem. erat autem* v. *Non. venturus vesperi, id*

est hodie. cras igitur ad me fortasse veniet. temtabo audeam, nihil properare; missurum ad Cæsarem clamabo me; cum paucissimis alicubi occultabor; carris hinc istis inuitissimis euolabo, atque utinam ad Curionem. σὺν θεῷ τοι λέγω. magnus dolor accessit. efficietur aliquid dignum nobis. δυσρεία tua mihi valde molesta. medere amabo, dum est ἀρχή. De Massiliensibus grata tuæ mihi litteræ. quæso, ut sciam, quidquid audieris. Siciliam cuperem, si possem palam: quod à Curione effeceram. Hìc ego Seruium exspecto. rogor enim ab eius uxore & filio: & puto opus esse. Hic tamen Cyteridem secum lectica aperta portat, alteram uxorem: septem præterea coniunctæ lecticæ amicarum sunt, an amicorum? vide, quàm turpi leto pereamus: & dubita, si potes, quin ille, seu victus, seu victor redierit, cædem facturus sit. ego verò vel lintriculo, si nauis nõ erit, eripiam me ex istorũ parricidio. Sed plura scribam, cùm illum conuenero. Iuuenem nostrum non possum non amare: sed ab eo nos non amari, planè intelligo. nihil ego vidi tam ἀνηθοποίητον, tam auersum à suis, tam nescio quid cogitans. vim incredibilem molestiarum! sed erit curæ, & est, ut regatur. mirum est enim ingenium. ἤθους ἐπιμελητέον.

CICERO ATTICO. S. XI.

OBSIGNATA *iam epistola superiore, non placuit ei dari, cui cõstitueram, quòd erat alienus. itaq;*

eo die data non est. interim venit Philotimus, & mihi à te litteras reddidit: quibus quæ de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil ὕπουλον, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil, quod non, quò velis, vno sermone possis perducere. ne multa, omnes suos, etiam quibus irascitur crebriùs, tamen caros habet, me quidem se ipso cariorem. Quod de puero aliter ad te scripsit, & ad matrem de filio, nō reprehendo: δεῖ πτθήνης τι. De sorore, quæ scribis, molesta sunt, eóq; magis, quòd ea tempora nostra sunt, vt ego his mederi non possim. nam certè mederer. sed quibus in malis, & qua in desperatione rerum simus, vides. Illa de ratione nummaria non sunt eiusmodi (sæpe enim audio ex ipso) vt non cupiat tibi præstare; & in eo laborat. sed si mihi Q. Axius in hac mea fuga HS XIII. non reddit, quæ dedi eius filio mutua, & vtitur excusatione temporis; si Lepta; si ceteri; soleo mirari, de nescio quis HS XX. cum audio ex illo se vrgeri. vides enim profectò angustias. curari tamen ea tibi vtique iubet. an existimas illum in isto genere lentulum, aut restrictum? nemo est minùs. De fratre satis. de eius filio, indulsit illi quidem suus pater semper; sed non facit indulgentia mendacem, aut auarum, aut non amantem suorum; ferocem fortasse, atque arrogantem, & infestum facit. itaque habet hæc quoque, quæ nascuntur ex indulgentia: sed ea sunt tolerabilia. quid enim dicam, hac iuuentute? ea verò, quæ mihi quidem, qui illū amo sunt his ipsis malis, in quis sumus, miserio-

ra, non ſunt ab obſequio noſtro, non; ſuas radices habent: quas tamen euellerem profectò, ſi liceret. ſed ea tempora ſunt vt omnia mihi ſint patienda. ego meum facilè teneo. nihil eſt enim eo tractabilius: quoius quidem miſericordia languidiora adhuc conſilia cepi: & , quo ille me certiorem vult eſſe, eo magis timeo, ne in eum exiſtam crudelior. Sed Antonius venit heri veſperi. iam fortaſſe ad me veniet, aut ne id quidem, quoniam ſcripſit, quid fieri vellet. ſed ſcies continuo, quid actum ſit. Nos iam nihil, niſi occultè. De pueris quid agam? paruóne nauigio committam? quid mihi animi in nauigando cenſes fore? recordor enim, æſtate cùm illo Rhodiorum ἀφράκτῳ nauigans, quàm fuerit ſolicitus. quid, duro tempore anni, actuariolo fore cenſes? rem vndique miſeram! Trebatius erat mecum, vir planè, & ciuis bonus. quæ ille monſtra, dij immortales! etiámne Balbus in Senatum venire cogitet? ſed ei ipſi cras ad te litteras dabo. Vectenum mihi amicum, vt ſcribis, ita puto eſſe: cum eo, quod ἀποτόμως ad me ſcripſerat de nummis curandis, θυμικώτερον eram iocatus. id, tu, ſi ille aliter acceperit, ac debuit, lenies. Monetali autem autem adſcripſi, quòd ille ad me, Proconſuli. ſed quoniam eſt homo, & nos diligit, ipſe quoque à nobis diligatur. Vale.

CICERO ATTICO, S. XII.

QVIDNAM *mihi futurum eſt? aut quis me non ſolum infelicior, ſed iam etiam turpior? nomi-*

natim

natim de me ſibi imperatum dicit Antonius; nec me tamen ipſe adhuc viderat, ſed hoc Trebatio narrauit. Quid agam nunc, cui nihil procedit, cadúntque ea, quæ diligentiſſimè ſunt cogitata, teterrimè? ego enim Curionem nactus, omnia me conſecutum putaui. is de me ad Hortenſium ſcripſerat. Reginus erat totus noſter. huic nihil ſuſpicabamur cum hoc mare negotij fore. quò me nunc vertam? vndique cuſtodior. ſed ſatis lacrimis. πάρεργα ὁπλιτέον igitur, & occultè in aliquam onerariam corrependum. non committendum, vt etiam compacto prohibiti videamur. Sicilia petenda: quam ſi erimus nacti, maiora quædam conſequemur. ſit modo rectè in Hiſpaniis: quamquam de ipſa Sicilia vtinam ſit verum: ſed adhuc nihil ſecundi. concurſus Siculorum ad Catonem dicitur factus; oraſſe, vt reſiſteret; omnia pollicitos: commotum illum, delectum habere cœpiſſe. non credo, vt eſt luculentus auctor. potuiſſe certè tenere illam prouinciam ſcio. ab Hiſpaniis autem iam audietur. Hic nos C. Marcellum habemus, eadem de re cogitantem, aut bene ſimulantem: quamquam ipſum non videram, ſed ex familiariſſimo eius audiebam. tu, quæſo, ſi quid habebis noui. ego, ſi quid moliti erimus, ad te ſtatim ſcribam. Quinctum filium ſeueriùs adhibebo. vtinam proficere poſſim: tu tamen eas epiſtolas, quibus aſperiùs de eo ſcripſi, aliquando concerpito, ne quando quid emanet: ego item tuas. Seruium exſpecto, nec ab eo quicquam ὑγιὲς. ſcies, quidquid erit. ſine dubio erraſſe nos, confitendum eſt. at ſemel? at vna in

re? immo omnia, quò diligentius cogitata, eò facta sunt imprudentius.

ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ:
in reliquis modo ne ruamus. iubes enim de profectione mea prouidere. quid prouideam? ita patent omnia, quæ accidere possunt, vt ea si vitem, sedendum sit cum dedecore & dolore; si negligam, periculum est, ne in manus incidam perditorum. sed vide, quantis in miseriis simus. optandum interdum videtur, vt aliquam accipiamus ab istis quamuis acerbam iniuriam, vt tyranno in odio fuisse videamur. quòd si nobis is cursus, quem speraram, pateret; effecissem aliquid profectò, vt tu optas & hortaris, dignum nostra mora. sed mirificæ sunt custodiæ: & quidem ille ipse Curio suspectus. quare vi, aut clam agendum est: &, si vi, fortè & cum tempestate: clam autem istis. in quo si quod σφάλμα, vides quàm turpe est. trahimur: nec fugiendum, si quid violentius. De Cælio, sæpe mecum agito; nec, si quid habuero tale dimittam. Hispanias spero firmas esse. Massiliensium factum cùm ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est, rectè esse in Hispaniis. minùs enim auderent, si aliter esset, & scirent: uam & vieti, & δειλοὶ gente sunt. Odium autem rectè animaduertis significatum theatro. Legiones etiam has, quas in Italia assumpsit, alienissimas esse video. sed tamen nihil inimicius, quam sibi ipse. illud rectè times, ne ruat. si desperarit, certe ruet. quo magis efficiendum aliquid est, fortuna velim meliore, animo Cæliano. sed pri-

mum quidque; quod, qualecunque erit, continuo ſcies. Nos iuueni, vt rogas, ſuppeditabimus, & Peloponneſum ipſam ſuſtinebimus. eſt enim indoles: modo aliquod hoc ſit ἦθος διδακτὸν ἀλωτὸν: quod ſi adhuc nullum eſt, eſſe tamen poteſt: aut ἀρετὴ non eſt διδακτὸν: quod mihi perſuaderi non poteſt.

CICERO ATTICO. S. XIII.

EPISTOLA *tua gratiſſima fuit meæ Tulliæ, & mehercule mihi. ſemper ſecum aliqua mi afferunt tuæ litteræ. ſcribes igitur: ac, ſi quid ad ſpem poteris, ne dimiſeris. Tu Antonij leones pertimeſcas caue. nihil eſt illo homine iucundius. attende πρᾶξιν πολιτικῆς. euocauit litteris è municipiis denos: & IIII. viri venerunt ad villam eius manè. primùm dormiit ad H. III. deinde, cùm eſſet nuntiatum, veniſſe Neapolitanos & Cumanos, (his enim eſt Cæſar iratus) poſtridie redire iuſſit: lauari ſe velle, & περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι. hoc herè effecit. hodie autem in Aenariam tranſire conſtituit. exulibus reditum pollicetur. Sed hæc omittamus, de nobis aliquid agamus. Ab Axio accepi litteras. De Tirone gratum. Veſtenū diligo. Veſtorio reddidi. Seruius pridie Nonas Mai. Minturnis mãſiſſe dicitur, hodie in Liternino mãſurus apud C. Marcellū. cras igitur nos maturè videbit, mihiq́ dabit argumentum ad te epiſtolæ. iam enim non reperio quid tibi ſcribam. Illud admiror, quod Antonius*

ad me ne nuntium quidem, cùm præsertim me valde obseruarit. videlicet (aut aliquid atrocius de me imperatum est) coram negare mihi non vult. quod ego nec rogaturus eram: nec, si impetrassem, crediturus. nos tamen aliquid excogitabimus. Tu, quæso, si quid in Hispaniis: iam enim poterit audiri: & omnes ita exspectant, vt, si rectè fuerit, nihil negotij futurum putent. ego autem nec, retentis his, confectam rem puto; neque, amissis, desperatam. Silium & Ocellam, & ceteros credo retardatos. te quoque à Curtio impediri video. etsi, vt opinor, habes κέλητα ἄοκνον.

CICERO ATTICO. S. XIIII.

O VITAM *miseram, maiúsque malum, tam diu timere, quàm est illud ipsum, quod timetur! Seruius, vt antea scripsi, cum venisset Nonis Mai. postridie ad me venit. ne diutius te teneam, nullius consilij exitum inuenimus. numquam vidi hominem perturbatiorem metu: neque hercule quicquam timebat, quod non esset timendum; illum sibi iratum, hunc non amicum; horribilem vtriusque victoriam, cùm propter alterius crudelitatem, alterius audaciam, tum propter vtriusque difficultatem pecuniarum, quæ erui nusquam, nisi ex priuatorum bonis, posset. atque hæc ita multis cum lacrimis loquebatur, vt ego mirarer eas tam diuturna miseria non exaruisse. mihi quidem etiam lippitudo hæc, propter quam non ipse ad te scribo, sine vlla lacrima*

est, sed sæpius odiosa est propter vigilias. quamobrem quidquid habes ad consolandum, collige, & illa scribe, non ex doctrina, neque ex libris: nam id quidem domi est; sed nescio quo modo imbecilior est medicina, quàm morbus: hæc potius conquire, de Hispaniis, de Massilia: quæ quidem satis bella Seruius affert: qui etiam de duabus legionibus luculentos auctores esse dicebat. hæc igitur si habebis, & talia. & quidem paucis diebus aliquid audiri necesse est. sed redeo ad Seruium. Distulimus omnino sermonem in posterum: sed tardus ad exeundum: multo se in suo lectulo malle, quidquid foret. odiosus scrupulus de filij militia Brundisina. vnum illud firmissimè asseuerabat, si damnati restituerentur, in exilium se iturum. nos autem ad hæc, & ipsum certo fore, &, quæ iam fiebant, non esse leuiora; multáque colligebamus. verùm ea non animum eius augebant, sed timorem, vt iam celandus magis de nostro consilio, quàm ad idem videretur. quare in hoc non multum est. Nos à te admoniti de Cœlio cogitabimus.

CICERO ATTICO. S. XV.

SERVIVS *cùm esset apud me, Cephalio cum tuis litteris* VI. ID. *venit: quæ nobis magnam spem attulerunt meliorum rerum de octo cohortibus (etenim hæ quoque, quæ in his locis sunt, labare dicuntur.) eodem die Funisulanus à te attulit litteras, in quibus erat confirmatius idem illud. ei de suo ne-*

gotio respondi cumulatè, cum omni tua gratia. adhuc non satisfaciebat : debet autem mihi multos nummos, nec habetur locuples. nunc ait se daturum, cui expensos tulerit : moram in tabellariis; si apud te esset, quà satisfecisses, dares. quantum sit, Eros Philotimi tibi dicet. sed ad maiora redeamus. Quod optas, Cœlianum illud maturescit. itaque torqueor, vtrum ventum exspectem. vexillo opus est : conuolabunt. Quod suades, vt palam: prorsus assentior : itáque me profecturum puto. tuas tamen interim litteras exspecto. Seruij consilio nihil expeditur. omnes captiones in omni sententia occurrunt. vnum C. Marcello cognoui timidiorem; quem Consulem fuisse pænitet. ὢ πολλῆς ἀγεννείας! qui etiam Antonium confirmasse dicitur, vt me impediret; quo ipse, credo, honestius. Antonius autem VI. ID. Capuam profectus est : ad me misit, se, pudore deterritum, ad me non venisse, quòd me sibi suscensere putaret. ibitur igitur, & ita quidem, vt censes; nisi cuius grauioris personæ suscipiendæ spes erit ante oblata. sed vix erit tam citò. Allienus autem Prætor putabat aliquem, si ego non, ex collegis suis. quiuis licet, dummodo aliquis. De sorore laudo. De Q. puero, datur opera. spero esse meliora. De Q. fratre scito eum non mediocriter laborare de vsura : sed adhuc nihil à L. Egnatio expressit. Axius de XII. millibus pudens. sæpe enim adscripsit; vt Gallio, quantum is vellet, darem. quod si non scripsisset, possémne aliter? & quidem sæpe sum pollicitus : sed tantum voluit cito. me

verò adiuuarent his in angustiis.sed dij istos.verùm alias. Te à quartana liberatum gaudeo, itémque Piliam. Ego, dum panes, & cetera in nauem parantur, excurro in Pompeianum. Vecteno velim gratias, quòd studiosus. Si quemquam nactus fueris, qui perferat; litteras des ante, quàm discedimus.

CICERO ATTICO. S. XVI.

COMMODVM ad te dederam litteras de pluribus rebus, cùm ad me bene manè Dionysius fuit: cui quidem ego non modò placabilem me præbuissem, sed totum remisissem, si aduenisset qua mente tu ad me scripseras. erat enim sic in tuis litteris, quas Arpini acceperam, eum venturum facturúmque, quod ego vellem.ego volebam autem, vel cupiebam potiùs, esse eum nobiscum. quod quia planè, cùm in Formianum venisset, præciderat, asperiùs ad te de eo scribere solebam. at ille perpauca locutus, hanc summam habuit orationis; vt sibi ignoscerem; se rebus suis impeditum nobiscum ire non posse. pauca respondi. magnum accepi dolorem. intellexi fortunam ab eo nostram despectam esse.quid quæris? fortasse miraberis: in maximis horum temporum doloribus hunc mihi scito esse. velim, vt tibi amicus sit.hoc cùm tibi opto,opto vt beatus sis. erit enim tam diu. Consilium nostrum spero vacuum

periculo fore. nam & dissimulabimus, &, vt opinor, acerrimè adseruabimus, nauigatio modò sit, qualem opto. cetera, quæ quidem consilio prouideri poterunt, cauebuntur. tu, dum adsumus, non modò quæ scieris, audierisve, sed etiam quæ futura prouidebis, scribas velim. Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, &, si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Syracusis profectus est ante diem VIII. KAL. *Mai. vt ad me Curio scripsit. vtinam, quod aiunt, Cotta Sardiniam teneat. est enim rumor. ô, si id fuerit, turpem Catonem! Ego, vt minuerem suspicionem profectionis, aut cogitationis meæ, profectus sum in Pompeianum* A. D. IIII. ID. *vt ibi essem, dum, quæ ad nauigandum opus essent, pararentur. cùm ad villam venissem, ventum est ad me: centuriones trium cohortium, quæ Pompeiis sunt, me velle postridie; (hæc mecum Ninnius noster) velle eos mihi se & oppidum tradere. at ego tibi postridie à villa ante lucem, vt me omnino illi ne viderent. quid enim erat in tribus cohortibus? quid, si plures, quo apparatu? cogitaui eadem illa Cæliana, quæ legi in epistola tua; quam accepi, simul & in Cumanum veni, eodem die: & simul fieri poterat, vt temtaremur. omnem igitur suspicionem sustuli. sed cùm redeo, Hortensius venerat, & ad Terentiam salutatum diuerterat; sermone erat vsus honorifico erga me. tamen eum, vt puto, videbo. misit enim puerum, se ad me venire. hoc quidem melius, quàm collega noster Antonius: cuius inter lictores lectica mima portatur. Tu, quo-*

niam quartana cares, & nedum morbum remouisti, sed etiam grauedinem, te vegetum nobis in Græcia siste; & litterarum aliquid interea.

CICERO ATTICO. S. XVII.

PRID. *Idus Hortensius ad me venit scripta epistola. vellem cetera eius. quàm in me incredibilem ἐκτένειαν! qua quidem cogito vti. deinde Serapion cum epistola tua: quam priùs quàm aperuissem, dixi ei, te ad me de eo scripsisse antea, vt feceras. deinde, epistola lecta, cumulatissimè cetera: & hercule hominem probo. nam & doctum, & probum existimo. quin etiam naui eius me, & ipso conuectore vsurum puto. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quæ impediat scriptionem meam. Valetudinem tuam iam confirmatam esse & à vetere morbo, & à nouis temtationibus gaudeo. Ocellam vellem haberemus. videntur enim esse hæc paulò faciliora. nunc quidem æquinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat. id si ἀκραὲς erit, vtinam idem maneat Hortensius: siquidem adhuc erat: liberalius esse nihil potest. De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitij insimularem. negas enim te reperire, qui mihi in mentem venerit. ego autem, qui scripseras te proficisci cogitare, (etenim audieram, nemini aliter licere) eò te habere censebam, & quia pueris diploma sumpseras. habes caussam opinionis meæ: & tamen velim scire, quid cogites, in primísque si quid*

etiam nunc noui est. XVII. KAL. *Iun.*

CICERO ATTICO S. XVIII.

TVLLIA *mea peperit* XIIII. KAL. *Iun. puerum ἑπταμηνιαῖον. quòd ηὐτόκησεν, gaudebam. quod quidem est natum, perimbecillum est. Me mirificè tranquillitates adhuc tenuerunt, atque maiore impedimento fuerunt, quàm custodiæ, quibus asseruor. nam illa Hortensina omnia fuere infantia. ita fiet homo nequissimus. à Saluio liberto deprauatus est. itaque posthac non scribam ad te, quid facturus sim, sed quid fecerim. omnes enim* Κωρυκαῖοι *videntur subauscultare, quæ loquor. Tu tamen, si quid de Hispaniis, siue quid aliud, perge quæso scribere; nec meas litteras exspectaris, nisi cùm, quò opto, peruenerimus, aut si quid ex cursu. Sed hoc quoque timidè scribo.* τὰ ὤνια *tarda adhuc & spissa. vt malè posuimus initia, sic cetera sequuntur. fors* μίας *nunc sequimur, eâdem nos fortasse furiæ persequentur. ex Balbi autem sermone, quem tecum habuit, non probamus de Melita. dubitas igitur, quin nos in hostium numero habeat? scripsi equidem Balbo, te ad me de beniuolentia scripsisse & de suspicione. egi gratias. de altero ei me purga. ecquem tu hominem infeliciorem? non loquor plura, ne te quoque excruciem. ipse conficior, venisse tempus, cùm iam nec fortiter, nec prudenter quicquam facere possim.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER XI.

CICERO ATTICO S. I.

ACcepi à te signatum libellum, quem Anteros attulerat; ex quo nihil scire potui de nostris domesticis rebus: de quibus acerbissimè afflictor, quòd, qui eas dispensauit, neque adest istic, neque, vbi terrarum sit, scio. omnem autem spem habeo existimationis, priuatarúmque rerum in tua erga me mihi perspectissima beniuolentia: quam si his temporibus miseris & extremis præstiteris, hæc pericula, quæ mihi communia sunt cum ceteris, fortiùs feram: ídque vt facias, te obtestor, atque obsecro. ego in cistophoro in Asia habeo ad HS *bis & viciens. huius pecuniæ permutatione fidem nostram facilè tuebere: quam quidem ego nisi expeditam relinquere putassem, credens ei, cui tu scis iam pridem minimè credere, commoratus essem paulisper, nec domesticas res impeditas reliquissem: ob eámque caussam seriùs ad te scribo, quòd serò intellexi, quid timendum esset. Te etiam atque etiam oro, vt me totum tuendum suscipias; vt, si ij salui erunt, quibuscum sum, vna cum iis possim incolumis esse, salutémque meam beniuolentiæ tuæ acceptam referre.*

CICERO ATTICO. S. II.

LITTERAS *tuas accepi pridie Nonas Febr. eóque ipso die ex testamento creui hereditatem. ex multis meis miserrimis curis est vna leuata, si, vt scribis, ista hereditas fidem, & famam meam tueri potest, quã quidem te intelligo, etiã sine hereditate, tuis opibus defensurum fuisse. De dote quod scribis, per omnes deos te obtestor, vt totam rem suscipias, & illam miseram mea culpa & negligentia, tueare meis opibus, si quæ sunt; tuis, quibus tibi molestum non erit, facultatibus: cui quidem deesse omnia, quod scribis, obsecro te noli pati. in quos enim sumptus abeunt fructus prædiorum? iam illa* HS LX. *quæ scribis, nemo mihi vmquam dixit ex dote esse detracta. numquam enim essem passus. sed hæc minima est ex iis iniuriis, quas accepi; de quibus ad te dolore & lacrimis scribere prohibeor. Ex ea pecunia, quæ fuit in Asia partem dimidiam fere exegi. tutius videbatur fore ibi, vbi est, quàm apud Publicanos. Quod me hortaris, vt firmo sim animo: vellem posses aliquid afferre, quamobrem id facere possem. sed si ad ceteras miserias accessit etiam id, quod mihi Chrysippus dixit parari, (tu nihil significasti) de domo; quis me miserior vno iam fuit? oro, obsecro, ignosce: non possum plura scribere. quanto mærore vrgear, profectò vides: quod si mihi commune cum ceteris esset, qui videntur in eadem caussa esse, minor mea culpa videre*

tur, & eo tolerabilior esset. nunc nihil est, quod consoletur; nisi quid tu efficis, si modò etiam nunc effici potest, vt ne qua singulari afficiar calamitate, & iniuria. Tardius ad te remisi tabellarium, quòd potestas mittendi non fuit. A tuis & nummorum accepi HS LXX. *& vestimentorum quod opus fuit. Quibus tibi videbitur, velim des litteras meo nomine. nosti meos familiares. signum requirent, aut manum: dices iis, me propter custodias ea vitasse.*

CICERO ATTICO. S. III.

QVID *hîc agatur, scire poteris ex eo, qui litteras attulit: quem diutius tenui, quia quotidie aliquid noui exspectabamus: neque nunc mittendi tamen ulla caussa fuit, præter eam, de qua tibi rescribi voluisti. Quod ad* KAL. *Quinct. pertinet, quid vellem; vtrunque graue est, etiam graui tempore, periculum tantæ pecuniæ, &, dubio rerum exitu, ista, quam scribis abruptio. quare, vt alia, sic hoc vel maximè tuæ fidei beniuolentiæq; permitto, & illius consilio, & voluntati: cui misera consuluissem meliùs, si tecum olim coram potius, quàm per litteras, de salute nostra, fortunísque deliberauissem. Quod negas præcipuum mihi vllum incomodum impendere; & si ista res nihil habet consolationis, tamen etiam præcipua multa sunt, quæ tu pròfectò vides, vt sunt, & grauissima esse, & me facillimè vitare potuisse: ea tamen erunt minora, si, vt adhuc factum est, administratione dili-*

gentiáque tua leuabuntur. Pecunia apud Egnatium est. sit à me, vt est. neque enim hoc, quod agitur, videtur diuturnum esse posse; vt scire iam possim, quid maxime opus sit: & si egeo rebus omnibus; quòd is quoque in angustiis est, qui cum sumus; quoi magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes, nobis, constitutis rebus, eam rem etiam honori fore. Tu, vt antea fecisti, velim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum à me existimes, ipse conficias. Tuis salutem dic. Cura, vt valeas. in primis id, quod scribis, omnibus rebus cura & prouide, ne quid ei desit, de qua scis me miserrimum esse. Idibus Iun. ex castris.

CICERO ATTICO S. IIII.

ACCEPI *ab Isidoro litteras, & postea datas binas. ex proximis cognoui prædia non venisse. videbis ergo, vt sustentetur per te. de Frusinati, si modo futuri sumus, erit mihi res oportuna. Meas litteras quod requiris, impedior inopia rerum, quas nullas habeo litteris dignas; quippe cui nec, quæ accidunt, nec, quæ aguntur, vllo modo probentur. vtinam coram tecum olim potius, quam per epistolas. Hìc tua, vt possum, tueor apud hos. cetera Celer ipse. fugi adhuc omne munus, eo magis, quod ita nihil poterat agi, vt mihi, & meis rebus aptum esset. Quid sit gestum noui, quæris: ex Isidoro scire poteris: reliqua non videntur esse difficiliora. Tu id velim, quod scis me maximè velle, cures, vt scribis,*

vt facis. Me conficit ſolicitudo, ex qua etiam ſumma infirmitas corporis: qua leuata, ero vna cum eo, qui negotium gerit, éſtque in ſpe magna. Brutus amicus in cauſſa verſatur acriter. Hactenus fuit, quod cautè à me ſcribi poſſet. Vale.

De penſione altera, oro te, omni cura conſidera, quid faciendum ſit, vt ſcripſi iis litteris, quas Pollex tulit.

CICERO ATTICO S. V.

QVAE *me cauſſæ mouerint, quàm acerbæ, quàm graues, quàm nouæ, coegerintque impetu magis quodam animi vti, quàm cogitatione, non poſſum ad te ſine maximo dolore ſcribere: fuerunt quidem tantæ, vt id, quod vides, effecerint. itaque nec quid ad te ſcribam de meis rebus, nec quid à te petam, reperio. rem, & ſummam negotij vides. equidem ex tuis litteris intellexi, & iis, quas communiter cum aliis ſcripſiſti, & iis, quas tuo nomine, quod etiam mea ſponte videbam, te ſubdebilitatum nouas rationes tuendi mei quærere. Quod ſcribis placere, vt propius accedam, itérque per oppida noctu faciam; non ſane video, quemadmodum id fieri poſſit. neque enim ita apta habeo diuerſoria, vt tota tempora diurna in his poſſim conſumere; neque ad id, quod quæris, multum intereſt, vtrum me homines in oppido videant, an in via. ſed tamen hoc ipſum, ſicut alia conſiderabo, quemadmodũ cõmodiſſimè fieri poſſe videatur. ego propter incredibilem*

& animi & corporis molestiam conficere plures litteras non potui : iis tantum rescripsi, à quibus acceperam. tu velim & Basilo, & quibus præterea videbitur, etiam Seruilio conscribas, vt tibi videbitur, meo nomine. Quòd tanto interuallo nihil omnino ad vos; profectò intelligis rem mihi deesse, de qua scribam, non voluntatem. Quod de Vatinio quæris: neque illius, neque cuiusquam mihi præterea officium desset, si reperire possent, qua in re me iuuarent. Quinctus auersissimo à me animo Patris fuit. eodem Corcyra filius venit. inde profectos eos vna cum ceteris arbitror.

CICERO ATTICO. S. VI.

SOLICITVM *esse te cùm de tuis communibúsque fortunis, tum maximè de me, ac de dolore meo, sentio: qui quidem dolor meus non modò non minuitur, cùm socium sibi adiungit dolorem tuum, sed etiam augetur. omnino pro tua prudentia sentis, qua consolatione leuari maximè possim. probas enim meum consilium, negásque mihi quicquam tali tempore potius faciendum fuisse. addis etiam, (quod etsi mihi leuius est, quàm tuum iudicium, tamen non est leue) ceteris quoque, id est, qui pondus habeant, factum nostrum probari. id si ita putarem, leuius dolerem. crede, inquis mihi: credo equidem: sed scio, quàm cupias minui dolorem meum. Me discessisse ab armis, numquam pænituit: tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris*

gentibus coniunctio, vt non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata; vt iam omnium iudicio constitutum esset, omnium vestrûm bona prædam esse illius victoriæ; vestrûm, planè dico. numquam enim de te ipso, nisi crudelissimè, cogitatum est. quare voluntatis me mea numquam pænitebit: consilij pænitet. in oppido aliquo malem resedisse, quoad accerserer: minus sermonis subiissem: minus accepissem doloris: ipsum hoc me non angeret. Brundisii iacere, in omnes partis est molestum. propiùs accedere, vt suades, quo modo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi non possunt. quos ego modò paulisper cum bacillis in turbam conieci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret. recipio tempore me δρομόθεν nunc ad Oppium, Cornelium: iis placeret modò propius accedere, vt hac de re considerarent: credo fore auctores: sic enim recipiunt, Cæsari non modò de conseruanda, sed etiam de augenda mea dignitate curæ fore: méque hortantur, vt magno animo sim; vt omnia summa sperem: ea spondent, confirmant, quæ quidem mihi exploratiora essent, si remansissem. sed ingero præterita. vide, quæso, igitur ea, quæ restant, & explora cum istis; & si putabis opus esse, & si istis placebit, quo magis factum nostrum Cæsar probet, quasi de suorum sententia factum, adhibeantur Trebonius, Pansa, si qui alij; scribántque ad Cæsarem, me, quidquid fecerim, de sua sententia fecisse. Tulliæ meæ morbus, & imbecillitas corporis me exanimat: quam tibi in-

telligo magna curæ esse; quod est mihi gratissimum. De Pompeij exitu mihi dubium numquam fuit. tanta enim desperatio rerum eius, omnium regum, & populorum animos occuparat, vt, quocunque venisset, hoc putarem futurum. non possum eius casum non dolere. hominem enim integrum, & castum, & grauem cognoui. De Fannio consoler te? perniciosa loquebatur de mansione tua. L. vero Lentulus Hortensii domum sibi, & Cæsaris hortos, & Baias desponderat. omnino hæc eodem modo ex hac parte fiunt: nisi quod illud erat infinitum. omnes enim, qui in Italia manserant, hostium numero habebantur. sed velim hæc aliquando solutiore animo. Quinctũ fratrem audio profectum in Asiam, vt deprecaretur. de filio nihil audiui. sed quære ex Diochare, Cæsaris liberto, quem ego non vidi, qui istas Alexandreas litteras attulit. is dicitur vidisse an euntem, an iam in Asia? Tuas litteras, prout res postulat, exspecto: quas velim cures quamprimum ad me perferendas. IIII. KAL. *Decemb.*

CICERO ATTICO S. VII.

GRATAE *tuæ mihi litteræ sunt, quibus accuratè perscripsisti omnia, quæ ad me pertinere arbitratus es. Fac tu igitur, vt scribis istis placere, iisdem istis lictoribus me vti; quod concessum Sestio sit; cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos. audio enim eum ea* S. C. *improbare, quæ post discessum Tribunorum facta sunt. quare poterit, si*

volet ſibi conſtare, noſtros lictores comprobare. quamquam quid ego de lictoribus, qui pane ex Italia decedere ſim iuſſus? nam ad me miſit Antonius exemplum Cæſaris ad ſe litterarum, in quibus erat, ſe audiuiſſe, Catonem, & L. Metellum in Italiam veniſſe, Romæ vt eſſent palam: id ſibi nõ placere; ne qui motus ex eo fierent; prohiberique omnes Italia, niſi quorum ipſe cauſſam cognouiſſet: déque eo vehementius erat ſcriptum. itaque Antonius petebat à me per litteras, vt ſibi ignoſcerem: facere ſe non poſſe, quin iis litteris pareret. tum ad eum miſi L. Lamiam, qui demonſtraret, illum Dolabellæ dixiſſe, vt ad me ſcriberet, vt in Italiam quamprimum venirem: eius me litteris veniſſe. tum ille edixit ita, vt me exciperet, & Lælium nominatim. quod ſane nollem. poterat enim, ſine nomine, re ipſa excipi. ô multas & grauis offenſiones! quas quidem, tu das operam, vt lenias; nec tamen nihil proficis: quin hoc ipſo minuis dolorem meum, quòd, vt minuas, tam valde laboras: ídque velim ne grauere quamſæpiſſime facere. maxime autem aſſequere quod vis, ſi me adduxeris, vt exiſtimem, me bonorum iudicium non funditus perdidiſſe. quamquam quid tu in eo potes? nihil ſcilicet. ſed, ſi quid res dabit tibi facultatis, id me maximè conſolari poterit, quod nunc quidem video non eſſe: ſed ſi quid, ex euentis; vt hoc nunc accidit. dicebar debuiſſe cum Põpeio proficiſci. exitus illius minuit eius officij prætermiſſi reprehenſionem. ſed ex omnibus nihil magis tamen deſideratur, quàm quòd in Africã nõ ierim.

iudicio hoc ſum vſus, non eſſe barbaris auxiliis fallaciſſimæ gentis Remp. defendendam, præſertim contra exercitum ſæpe victorem. non probant forſaſſe. multos enim viros bonos in Africam veniſſe audio; & ſcio fuiſſe antea. valde hoc loco vrgeor, hic quoque opus eſt, caſu, aliqui ſint ex eis, aut, ſi poteſt, omnes, qui ſalutem anteponant. nam ſi perſeuerant & obtinent; quid nobis futurum ſit, vides. dices, quid illis, ſi victi erunt? honeſtior eſt plaga. Hæc me excruciant. Sulpicij autem conſilium, non ſcripſiſti, cur meo non anteponeres: quod et ſi non tam glorioſum eſt, quàm Catonis, tamen & periculo vacuum eſt, & dolore. Extremum eſt eorum, qui in Achaia ſunt. ij tamen ipſi ſe hoc melius habent, quàm nos, quòd & multi ſunt vno in loco, & cùm in Italiam venerint, domum ſtatim venerint. Hæc tu perge, vt facis, mitigare, & probare quamplurimis. Quod te excuſas: ego vero & tuas cauſſas noſco; & mea intereſſe puto, te iſtic eſſe, vel vt cum iis, quibus oportebit, agas, quæ erunt agenda de nobis, vt ea quæ egiſti; in primiſque hoc velim animaduertas. multos eſſe arbitror, qui ad Cæſarem detulerint, delaturíve ſint, me aut pœnitere conſilij mei, aut non probare, quæ fiant: quorum etſi vtrunque verum eſt; tamen ab illis dicitur animo à me alienato; non quo ita perſpexerint. ſed totum vt hoc Balbus ſuſtineat, & Oppius, & eorum crebris litteris illius voluntas erga me confirmetur, & hoc planè vt fiat, diligentiam adhibebis. Alterum eſt, cur te nolim diſcedere, quòd ſcribis te flagitari.

ô rem miseram! quid scribam? aut quid velim? breue faciam. lacrimæ enim se subito profuderunt. tibi permitto: tu consule. tantum vide, ne hoc temporis tibi obesse aliquid possit. ignosce, obsecro te: non possum præ fletu & dolore diutius in hoc loco commorari. tantum dicam, nihil mihi gratius esse, quàm quòd eam diligis. Quod litteras, quibus putas opus esse, curas dandas, facis commodè. Q. filium vidi, qui Sami vidisset, patrem Sicyone: quorum deprecatio est facilis. vtinam illi, qui priùs illum viderunt, me apud eum velint adiutum tantum, quantum ego illos vellem, si quid possem. Quod rogas, vt in bonam partem accipiam, si qua sint in tuis litteris, quæ me mordeant. ego vero in optimam; téque rogo, vt apertè, quemadmodum facis, scribas ad me omnia, ídque facias quamsæpissimè. Vale. XIIII. KAL. Ianuar.

CICERO ATTICO. S. VIII.

QVANTIS curis afficiar, etsi profectò vides, tamen cognosces ex Lepta & Trebatio. maximas pœnas pendo temeritatis meæ; quam tu prudentiam mihi videri vis: neque te deterreo, quo minus id disputes, scribásque ad me quamsæpissimè. non nihil enim me leuant tuæ litteræ hoc tempore. Per eos, qui nostra caussa volunt, valéntque apud illum, diligentissimè contendas opus est, per Balbum & Oppium maximè, vt de me scribant quam diligentissimè. oppugnamur enim, vt audio, & præsentibus quibus-

dam, & per litteras: iis ita occurrendum, vt rei magnitudo postulat. Furnius est illic, mihi inimicissimus. Quinctus misit filium non solùm sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei. dictitat, se a me apud Cæsarem oppugnari: quod refellit Cæsar ipse, omnésque eius amici: neque vero desistit, vbicumque est, omnia in me maledicta conferre. nihil mihi vmquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum. qui ex ipso audissent, cum Sicyone palam multis audientibus loqueretur, nefaria quædam ad me pertulerunt. nosti genus, etiam expertus es fortasse: in me id est omne conuersum. sed augeo commemorando dolorem, & facio etiam tibi. quare ad illud redeo; cura, vt huius rei caussa, dedita opera, mittat aliquem Balbus. ad quos videbitur, velim cures litteras meo nomine. Vale. VI. KAL. *Ianu.*

CICERO ATTICO. S. IX.

EGO *vero & incautè, vt scribis, & celeriùs, quàm oportuit feci, nec in vlla sum spe, quippe qui exceptionibus edictorum retinear: quæ si non essent sedulitate effecta, & beniuolentia tua, liceret mihi abire in solitudines aliquas. nunc ne id quidem licet. quid autem me iuuat, quòd ante initum Tribunatum veni, si ipsum, quod veni, nihil iuuat? iam, quid sperem ab eo, qui mihi amicus numquam fuit; cùm iam lege etiam sim confectus & oppressus? quotidie iam Balbi ad me litteræ languidiores;*

multęq́; multorum ad illum, fortasse contra me. meo vitio pereo. nihil mihi mali caussa attulit: omnia culpa contracta sunt. ego enim, cùm genus belli viderem; imparata & infirma omnia contra paratissimos, quieram, (quid facerem?) ceperámque consilium non tam forte, quàm mihi præter ceteros concedendum. cessi meis, vel potiùs parui: ex quibus vnus qua mente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te, & ad alios misit: quas ego numquam aperuissem, nisi res acta sic esset: delatus est ad me fasciculus: solui, si quid ad me esset litterarum: nihil erat: epistola Vatinio, & Ligurio altera: iussi ad eos deferri: illi ad me statim ardentes dolore venerunt, scelus hominis clamantes: epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. hic Ligurius furere. se enim scire, summo illum in odio fuisse Cæsari: illum tamen non modo fouisse, sed & tantam illi pecuniam dedisse honoris mei caussa. hoc ego dolore accepto, volui scire, quid scripsisset ad ceteros. ipsi enim illi putaui perniciosum fore, si eius hoc tantum scelus percrebruisset. cognoui eiusdem generis: ad te misi: quas si putabis illi ipsi vtile esse reddi, reddes: nil me lædet. nam quod resignatæ sunt; habet, opinor, eius signum Pomponia. hac ille acerbitate initio nauigationis cùm vsus esset, tanto me dolore affecit, vt postea iacuerim; neque nunc tam pro se, quàm contra me, laborare dicitur. ita omnibus rebus vrgeor; quas sustinere vix possum, vel planè nullo modo possum: quibus in

miseriis vna est pro omnibus, quòd istam miseram, patrimonio, fortuna omni spoliatam relinquam. quare te, vt polliceris, videre planè velim. alium enim, cui illam commendem habeo neminem; quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quæ mihi. sed, si me non offendes, satis tamen habeto commendatam, patruúmque in ea, quantum poteris, mitigato. Hæc ad te die natali meo scripsi: quo vtinam susceptus non essem, aut ne quid ex eadem matre postea natum esset. plura scribere fletu prohibeor.

CICERO ATTICO. S. X.

AD meas incredibilis ægritudines aliquid noui accedit ex iis, quæ de Q. Q. ad me afferũtur. P. Terentius, meus necessarius, operas in portu, & scriptura Asiæ pro magistro dedit. is Quinctum filium Ephesi vidit VI. ID. Decemb. eúmque studiosè propter amicitiam nostram inuitauit; cúmque ex eo de me cunctaretur, eum sibi ita dixisse narrabat, se mihi esse inimicissimum; voluménque sibi ostendisse orationis, quam apud Cæsarem contra me esset habiturus: multa à se dicta contra eius amentiam: multa postea Patris consimili scelere secum Q. patrem locutum: cuius furorem ex iis epistolis, quas ad te misi, perspicere potuisti. hæc tibi dolori esse certe scio: me quidem excruciant, & eò magis, quòd mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto. De Africanis rebus longè a-

lia nobis, ac tu ſcripſeras, nuntiantur. nihil enim firmius eſſe dicunt, nihil paratius. accedit Hiſpania, & alienata Italia; legionum nec vis eadem, nec voluntas; vrbanæ res perditæ. quid eſt, vbi acquieſcam, niſi quàm diu tuas litteras lego? quæ eſſent profectò crebriores, ſi quid haberes, quo putares meam moleſtiam minui poſſe. ſed tamen te rogo, ne intermittas ſcribere ad me, quidquid erit; eóſque qui mihi tam crudeliter inimici ſunt, ſi odiſſe non potes, accuſes tamen; non vt aliquid proficias, ſed vt me tibi carum eſſe ſentiant. Plura ad te ſcribam, ſi mihi ad eas litteras, quas proximè ad te dedi, reſcripſeris. Vale. XII. KAL. *Febr.*

CICERO ATTICO. S. II.

CONFECTVS *iam cruciatu maximorum dolorum, ne, ſi ſit quidem, quod ad te debeam ſcribere, facilè id exequi poſſim; hoc minus, quod res nulla eſt, quæ ſcribenda ſit; cùm præſertim ne ſpes quidem vlla oſtendatur, fore melius. ita iam ne tuas quidem litteras exſpecto: quamquam ſemper aliquid afferunt, quod velim. quare tu quidem ſcribito, cùm erit, quoi des. ego tuis proximis, quas tamen iam pridem accepi, nihil habeo, quod reſcribam. longo enim interuallo video immutata eſſe omnia: illa eſſe firma, quæ iubeant nos ſtultitiæ noſtræ grauiſſimas pœnas pendere. P. Salluſtio curanda ſunt* HS XXX. *quæ accepi à Cn. Salluſtio. velim videas, vt ſine mora curentur. de ea re ſcripſi*

ad Terenniam: atque hoc ipsum iam prope consumptum est. quare id quoque velim, cum illa videas, ut sit, qui utamur. hic fortasse potero sumere, si sciam istic paratum fore. sed prius, quam id scirem, nihil sum ausus sumere. Qui sit omnium rerum status noster, vides. nihil est mali, quod non & sustineam & exspectem. quarum rerum eo grauior est dolor, quo culpa maior. Ille in Achaia non cessat de nobis detrahere. nihil videlicet tuae litterae profecerunt. Vale. VIII. ID. *Mart.*

CICERO ATTICO. S. XII.

CEPHALIO *mihi à te litteras reddidit* A.D. VIII. ID. *Mart. vespere. eo autem die manè tabellarios miseram, quibus ad te dederam litteras. tuis tamen lectis litteris, putaui aliquid rescribendum esse, maximè, quòd ostendis te pendere animi, quamnam rationem sim Caesari allaturus profectionis meae tum, cùm ex Italia discesserim. nihil opus est mihi noua ratione. saepe enim ad eum scripsi multísque mandaui, non potuisse, cùm cupiissem, sermones hominum sustinere; multáque in eam sententiam. nihil enim erat, quod minùs eum vellem existimare, quàm me tanta de re non meo consilio vsum esse. postea, cùm mihi litterae à Balbo Cornelio minore missae essent, illum existimare, Quinctum fratrem lituum meae profectionis fuisse, (ita enim scripsit) qui non dum cognossem quae de me Quinctus scripsisset ad multos: etsi multa prae-*

ſens in præſentem acerbè dixerat & fecerat; tamen Nilo meo his verbis ad Cæſarem ſcripſi.

De Quincto fratre meo non minus laboro, quàm de me ipſo: ſed eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo. illud duntaxat tamen audebo petere abs te, quod te orò, ne quid exiſtimes ab illo factum eſſe, quo minus mea in te officia conſtarent, minúſve te diligerem, potiúſque ſemper illum auctorem noſtræ coniunctionis fuiſſe, meíque itineris comitem, non ducem. quare ceteris in rebus tantum ei tribues, quãtum humanitas tua, amicitiáq; veſtra poſtulat. ego ei ne quid apud te obſim, id te vehementer etiam atque etiã rogo.

Quare, ſi quis congreſſus fuerit mihi cum Cæſare, (etſi non dubito, quin is lenis in illum futurus ſit, ídque iam declarauerit) ego tamen is ero, qui ſemper fui. ſed, vt video, multo magis eſt nobis laborandum de Africa; quam quidem tu ſcribis confirmari quotidie magis ad condicionis ſpem, quàm victoriæ. quod vtinam ita eſſet. ſed longè aliter eſſe intelligo; téque ipſum ita exiſtimare arbitror; aliter autem ſcribere, non fallendi, ſed confirmandi mei cauſſa, præſertim cùm adiungatur ad Africam etiam Hiſpania. Quod me admones, vt ſcribam ad Antonium, & ad ceteros: ſi quid videbitur tibi opus eſſe, velim facias id, quod ſæpe feciſti. nihil enim mihi venit in mentem, quod ſcribendum putem. Quod me audis fractiorem eſſe animo: quid putas, cùm videas acceſſiſſe ad ſuperiores ægritudines præclaras generi actiones? Tu tamen velim

ne intermittas, quod eius facere poteris, scribere ad me, etiam si rem de qua scribas, non habebis. semper enim afferunt aliquid mihi tuæ litteræ. Galeonis hereditatem creui. puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est. VIII. ID. *Mart.*

CICERO ATTICO. S. XIII.

A MVRENAE *liberto nihil adhuc acceperam litterarum. P. Siser reddiderat eas, quibus rescribo. De Seruij patris litteris quod scribis, item, Quinctum in Syriam venisse quod ais esse qui nuntient; ne id quidem verum est. Quod certiorem te vis fieri, quo quisque in me animo sit, aut fuerit eorum, qui huc venerunt; neminem alieno intellexi. sed, quantum id mea intersit, existimare te posse certe scio. mihi cùm omnia sunt intolerabilia ad dolorem, tum maximè, quòd in eam caussam venisse me video, vt ea sola vtilia mihi esse videantur, quæ semper nolui. P. Lentulum patrem Rhodi esse aiunt, Alexandreæ filium; Rhodóque Alexandream C. Cassium profectum esse constat. Quinctus mihi per litteras satisfacit, multo asperioribus verbis, quàm cum grauissimè accusabat. ait enim se ex litteris tuis intelligere, tibi non placere, quòd ad multos de me asperius scripserit: itaque se pænitere, quòd animum tuum offenderit: sed se iure fecisse. deinde perscribit spurcissimè, quas ob caussas fecerit. sed neque hoc tempore, nec antea*

patefecisset odium suum in me, nisi omnibus rebus me esse oppressum videret. atque vtinam vel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, itineribus propius te accessissem: nunc nec vbi, nec quando te sim visurus, possum suspicari. De coheredibus Fufidianis nihil fuit, quod ad me scriberes. nam & aequum postulant; &, quidquid egisses, rectè esse actum putarem. De fundo Frusinati redimendo iam pridem intellexisti voluntatem meam; etsi tum meliore loco res erant nostrae, neque tam mihi desperatum iri videbantur; tamen in eadem sum voluntate. id quemadmodum fiat, tu videbis. & velim, quoad poteris, consideres, vt sit, vnde nobis suppeditentur sumptus necessarij. si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, cùm id videbamur sapienter facere, detulimus. itaque tum & à tuo villico sumpsimus, & aliunde mutuati sumus, cùm Quinctus quereretur per litteras, sibi nos nihil dedisse; qui neque ab illo rogati sumus, neque ipsi eam pecuniam aspeximus. sed velim videas, quid sit, quod confici possit, quídque mihi de omnibus des consilij: & caussam nosti. Plura ne scribam, dolore impedior. si quid erit, quod ad quos scribendum meo nomine putes, velim, vt soles, facias: quotiésque habebis, quoi des ad me litteras, nolim praetermittas. Vale.

CICERO ATTICO. S. XIIII.

NON me offendit veritas litterarum tuarum,

quòd me, cum communibus, tum præcipuis malis oppreſſum, ne incipis quidem, vt ſolebas, conſolari, fateriſque id fieri iam non poſse. nec enim ea ſunt, quæ erant antea, cùm, vt nihil aliud, comites me & ſocios habere putabam. omnes enim Achaici deprecatores, item qui in Aſia, quibus non erat ignotum, etiam quibus erat, in Africam dicuntur nauigaturi. ita præter Lælium, neminem habeo culpæ ſocium: qui tamen hoc meliore in cauſſa eſt, quòd iam eſt receptus. de me autem, non dubito, quin ad Balbum & ad Oppium ſcripſerit: à quibus, ſi quid eſset lætius, certior factus eſsem; tecum etiam eſsent locuti: quibuſcum tu de hoc ipſo colloquare velim, & ad me, quid tibi reſponderint, ſcribas: non quòd ab iſto ſalus data quicquam habitura ſit firmitudinis: ſed tamen aliquid conſuli & proſpici poterit. etſi omnium conſpectum horreo, præſertim hoc genero; tamen, in tantis malis quid aliud velim, non reperio. Quinctus pergit, vt ad me & Panſa ſcripſit, & Hirtius: iſque item Africam petere cum ceteris dicitur. Ad Minucium parianiem ſcribã, & tuas litteras mittam. ad te ſcribam, numquid egerit. HS XXX. potuiſse mirarer, niſi multa de Fuſidianis prædiis. & id video tamen. Te exſpecto: quem videre, ſi vllo modo pote, eſt enim res, peruellem. iam extremum concluditur. ibi facile eſt quid; quale ſit, grauius exiſtimare. Vale.

CICERO ATTICO S. XV.

QVONIAM *iustas causſas affers, quòd te hoc tempore videre non possim: quæso, quid sit mihi faciendum. ille enim ita videtur Alexandriam tenere, vt eum scribere etiam pudeat de illis rebus. ij autem ex Africa iam affuturi videntur; Achai, ij item ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco cõmoraturi. quid mihi igitur putas agendũ? video difficile esse consilium. sum enim solus, aut cum altero, cui neque ad illos reditus sit, neque ab his ipsis quicquam ad spem ostendatur. sed tamen scire velim, quid censeas: idque erat cum aliis, cur te, si fieri posset, cuperem videre. Minucium* XII. *sola curasse, scripsi ad te antea: quod superest, velim videas, vt curetur.* Q *uinctus non modò non cum magna prece ad me, sed acerbissimè scripsit: filius vero mirifico odio. nihil fingi potest mali, quo nõ vrgear. omnia tamen sunt faciliora, quàm peccati dolor, qui & maximus est, & æternus: cuius peccati si socios essem habiturus ego, quos putaui, tamen esset consolatio tenuis. sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum. alij capti, alij intercluſi non veniunt in dubium de voluntate, eò minus scilicet, cùm se expedierint, & vna esse cœperint. ij autem ipsi, qui sua voluntate ad Fufium venerunt, nihil possunt, nisi timidi, existimari. multi autem sunt, qui, quicunq; sunt, modò ad illos se recipere volent, recipientur. quo minùs debes mirari,*

non posse me tanto dolori resistere. solius enim meum peccatum corrigi non potest, & fortasse Laly. sed quid me id leuat? C. quidem Cassium aiunt consilium Alexandream eundi mutauisse. Hæc ad te scribo, non vt queas tu demere solicitudinem, sed vt cognoscam, ecquid tu ad ea afferas, quæ me conficiunt: ad quæ gener accedit, & cetera; quæ, fletu reprimor, ne scribam. quinetiam Aesopi filius me excruciat. prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Sed ad primum reuertor: quid putes faciendum; occulténe aliquo propius veniendum, an mare transeundum. nam hic maneri diutius non potest. De Fufidianis quare nihil potuit confici? genus enim condicionis eiusmodi fuit, in quo non solet esse controuersia; cùm ea pars, quæ videtur esse minor, licitatione expleri posset. hac ego non sine caussa quæro. suspicor enim, coheredes dubiam nostram caussam putare, & eo rem in integro esse. Vale. Pridie Idus Mai.

CICERO ATTICO. S. XVI.

NON *meo vitio fit, hoc quidem tempore, (ante enim est peccatum) vt me ista epistola nihil consoletur. nam & exiguè scripta est, & suspiciones magnas habet, non esse ab illo; quas animaduertisse te existimo. De obuiam itione ita faciam, vt suades. neque enim valde de aduentu eius opinio est; neq; si qui ex Asia veniunt, quicquam auditum esse dicunt de pace: cuius ego spe in hanc fraudem incidi.*

incidi. nihil video, quod ſperandum putem, nunc præſertim, cùm ea plaga in Aſia ſit accepta, in Illyrico, in Caſſiano negotio, in ipſa Alexandria, in vrbe, in Italia. ego verò, etiam ſi rediturus ille eſt, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum eius negotium confectum iri puto. Quod autem ſcribis, quandam lætitiam bonorum eſſe commotam, vt ſit auditum de litteris: tu quidem nihil prætermittis, in quo putes aliquid ſolacij eſſe: ſed ego non adducor, quemquam bonum vllam ſalutem putare mihi tanti fuiſſe, vt eam peterem ab illo, & eò minùs, quòd huius conſilij iam ne ſocium quidem habeo quemquam. qui in Aſia ſunt, rerum exitum exſpectant. Achaici etiam Fufio ſpem deprecationis afferunt. horum & timor idem fuit primò, qui meus, & conſtitutum. mora Alexandrina cauſſam illorum correxit, meam euertit. quamobrem idem à te nunc peto, quod ſuperioribus litteris, vt, ſi quid in perditis rebus diſpiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres. ſi recipior ab his, quod vides non fieri; tamen, quoad bellum erit, quid agam, aut vbi ſim, non reperio: ſin iactor, eo minus. itaque tuas litteras exſpecto; eáſque vt ad me ſine dubitatione ſcribas, rogo. Quod ſuades, vt ad Quinctum ſcribam de his litteris: facerem, ſi me quicquam iſtæ litteræ delectarent. etſi quidam ſcripſit ad me his verbis: EGO, VT IN HIS MALIS, PATRIS SVM NON INVITVS: ESSEM LIBENTIVS, SI FRATER TVVS EA DE TE LOQVERETVR, QVAE EGO AVDIRE

VELLEM. *Quod ais illum ad te ſcribere, me ſibi nullas litteras remittere: ſemel ab ipſo accepi: ad eas Cephalioni dedi, qui multos menſes tempeſtatibus retentus eſt. Quinctum filium ad me acerbiſſimè ſcripſiſſe, iam ante ad te ſcripſi. Extremum eſt, quod te orem, ſi putas rectum eſſe, & à te ſuſcipi poſſe, cum Camillo communices, vt Terentiam moneatis de teſtamento. tempora monent, vt videat, vt ſatisfaciat, quibus debeat. auditum ex Philotimo eſt, eam ſceleratè quadam facere. credibile vix eſt. ſed certè, ſi quid eſt, quod fieri poſſit, prouidendum eſt. de omnibus rebus velim ad me ſcribas, & maximè quid ſcribas de ea: in quo tuo conſilio egeo, etiam ſi nihil excogitas: id enim mihi erit pro deſperato.* III. *Nonas Iun.*

CICERO ATTICO. S. XVII.

PROPERANTIBVS *tabellariis alienis hanc epiſtolam dedi; eo breuior eſt; &, quòd eram miſſurus meos. Tullia mea venit ad me pridie Idus Iun. déque tua erga ſe obſeruantia beniuolentiáque mihi plurima expoſuit, litteráſque reddidit trinas. ego autem ex ipſius virtute, humanitate, pietate non modò eam voluptatem non cepi, quam capere ex ſingulari filia debui; ſed etiam incredibili ſum dolore affectus, tale ingenium in tam miſera fortuna verſari, ídque accidere nullo ipſius delicto, ſumma culpa mea. itaque à te neque conſolationem iam, qua cupere te vti video, nec conſilium,*

quod capi nullum potest, exspecto: téque omnia cùm supèrioribus sæpe litteris, tum proximis temtasse intelligo. Ego cum Sallustio Ciceronem ad Cæsarem mittere cogitabam. Tulliam autem, non videbam esse caussam, cur diutius mecum tanto in communi mœrore retinerem. itaque matri eam, cùm primum per ipsam liceret, eram remissurus. Pro ea, quam ad modum consolantis scripsisti, πρόσωπα putato me scripsisse, quæ tu ipse intelligis responderi potuisse. Quod Oppium tecum scribis locutum, non abhorret à mea suspicione eius oratio. sed non dubito quin istis persuaderi nullo modo possit ea, quæ faciant, mihi probari posse; quoquo modo loquar. ego tamen vtar moderatione, qua potero. quamquam, quid mea intersit, vt eorum odium subeam, non intelligo. Te iusta caussa impediri, quo minus ad nos venias, video; ídque mihi valde molestum est. Illum ab Alexandria discessisse nemo nuntiat; constátque, ne profectum quidem illim quemquam post Idus Mart. nec post Idus Decemb. ab illo datas vllas litteras. ex quo illud intelligis, illud, de litteris A. D. V. ID. Febr. datis (quod inane esset, etiam si verum esset) non verum esse. L. Terentium discessisse ex Africa scimus, Pæstúmque venisse. quid is afferat, aut quo modo exierit, aut quid in Africa fiat, scire velim. dicitur enim per Nasidium emissus esse. id quale sit, velim, si inueneris, ad me scribas. De HS X. vt scribis faciam. Vale. XVIII. KAL. Quinct.

CICERO ATTICO S. XVIII.

De *illius Alexandria discessu, nihil adhuc rumoris, contráque opinio, valde esse impeditum. itaque nec mitto, vt constitueram, Ciceronem, & te rogo, vt me hinc expedias. quoduis enim supplicium leuius est hac permansione. hac de re & ad Antonium scripsi, & ad Balbum, & ad Oppium. siue enim bellum in Italia futurum est, siue classibus vtetur; hîc esse me, minime conuenit: quorum fortasse vtrumque erit: alterum certè. intellexi omnino ex Oppij sermone, quem tu mihi scripsisti, quæ istorum via esset: sed, vt eam flectas, te rogo. nihil omnino iam exspecto, nisi miserum. sed hoc perditius, in quo nunc sum, fieri nihil potest. quare, & cum Antonio loquare, velim, & cum istis; & rem, vt poteris, expedias; & mihi quamprimum de omnibus rebus rescribas. Vale.* XII. KAL. *Quinct.*

CICERO ATTICO. S. XIX.

Cvm *tuis dare possem litteras, non prætermisi: etsi, quid scriberem, non habebam. tu ad nos & rariùs scribis, quàm solebas, & breuiùs: credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire posse. verumtamen velim, si quid erit, qualecumque erit, scribas. est autem vnum, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe. sed, quia tu leuiter interdum*

significas, cogis me sperare, quod optandum vix est. Philotimus dicitur Idib. Sext. nihil habeo de illo amplius. tu, velim, ad ea mihi rescribas, quæ ad te antea scripsi. mihi tantum temporis satis est, dum, vt in pessimis rebus, aliquid caueam, qui nihil vnquam caui. Vale. XI. KAL. *Sext.*

CICERO ATTICO. S. XX.

XVII. KAL. *Sept. venerat die* XXVIII. *Seleucea Pieria C. Trebonius, qui se Antiocheæ diceret apud Cæsarem vidisse Q. filium cum Hirtio. eos de Quincto, quæ voluissent, impetrasse nullo quidem negotio. quod ego magis gauderem, si ista nobis impetrata quicquam ad spem explorati haberent. sed & alia timenda sunt, ab aliisque, & ab hoc ipso. quæ dantur, vt à domino, rursus in eiusdem sunt potestate. etiam Sallustio ignouit. omnino dicitur nemini negare. quod ipsum est suspectum, notionem eius differri. M. Gallius Q. filius mancipia Sallustio reddidit. is venit vt legiones in Siciliam traduceret: & protinus iturum Cæsarem Patris. quod si faciet: ego, quod ante mallem, aliquò propius accedam. tuas litteras ad eas, quibus à te proximè consilium petiui, vehementer exspecto. Vale.* XVI. KAL. *Sept.*

CICERO ATTICO. S. XXI.

ACCEPI VI. KAL, *Sept. litteras à te, da-*

tas XII. KAL. *dolorémque, quem ex Q. ſcelere iampridem acceptum iam abieceram, lecta eius epiſtola grauiſſimum cepi. tu etſi non potuiſti vllo modo facere, vt mihi illam epiſtolam non mitteres: tamen mallem non eſſe miſſam. Ad ea autem, quæ ſcribis de teſtamento, videbis, quid, & quo modo. De nummis & illa ſic ſcripſit, vt ego ad te antea; & nos, ſi quid opus erit, vtemur ex eo, de quo ſcribis. Ille ad* KAL. *Sept. Athenis non videtur fore. multa eum in Aſia dicuntur morari, maxime Pharnaces. legio* XII. *ad quam primum Sulla venit, lapidibus egiſſe hominem dicitur. nullam putant ſe commoturam. illum arbitrantur protinus Patris in Siciliam. ſed, ſi hoc ita eſt, huc veniat neceſſe eſt. ac mallem illum. aliquo enim modo hinc euaſiſſem. nunc metuo, ne ſit exſpectandum; & cum reliquis etiam loci grauitas hic miſerrimè perferenda. Quod me mones vt ea videam, quæ ad tempus accommodem: facerem, ſi res pateretur, & ſi vllo modo fieri poſſet. ſed in tantis noſtris peccatis, tantíſque noſtrorum iniuriis, nihil eſt, quod aut facere dignum nobis, aut ſimulare poſſim. Sullana confers: in quibus omnia genere ipſo præclariſſima fuerũt, moderatione paulo minus temperata. hæc autem eiuſmodi ſunt, vt obliuiſcar; multóque malim quod omnibus ſit melius, quorum vtilitati meam iunxi. Tu ad me tamen velim quàm ſæpiſſimè ſcribas, eóque magis, quòd præterea nemo ſcribit: ac ſi omnes, tuas tamen maxime exſpectarem. Quod ſcribis, illum per me Quincto fore placatiorem: ſcripſi*

ad te antea, eum statim Q. filio omnia tribuisse; nostri nullam mentionem. Vale.

CICERO ATTICO S. XXII.

DILIGENTER *mihi fasciculum reddidit Balbi tabellarius. accepi enim à te litteras, quibus videris vereri, vt epistolas illas acceperim: quas quidem vellem mihi numquam redditas. auxerunt enim mihi dolorem: nec si in aliquem incidissent, quicquam noui attulissent. quid enim tam peruulgatum, quàm illius in me odium, & genus hoc litterarum? quod ne Cæsar quidem ad istos videtur misisse, quasi quo illius improbitate offenderetur, sed, credo, vti notiora nostra mala essent. Nam quod te vereri scribis, ne illi obsint, eíque rei mederi: ne rogari quidem se passus est de illo: quod quidem mihi molestum non est: illud molestius, istas impetrationes nostras nihil valere. Sulla, vt opinor, cras hic erit cum Messalla. currunt ad illum pulsi à militibus; qui se negant vsquam, nisi acceperint. ergo ille huc veniet: quod non putabant: tarde quidem. itinera enim ita facit, vt multos dies in oppidum ponat. Pharnaces autem, quoquo modo aget, afferet moram. quid mihi igitur censes? iam enim corpore vix sustineo grauitatem huius cæli, qui mihi laborem affert in dolore. An his illuc euntibus mandem, vt me excusent, ipse accedam propius? quæso, attende; & me, quod adhuc sæpe rogatus non fecisti, consilio iuua: scio rem difficilem*

esse: sed, vt malis. etiam illud mea magni interest, te vt videam. profecto aliquid profecero, si id acciderit. De testamento vt scribis, animaduertes.

CICERO ATTICO. S. XXIII.

QVOD *ad te scripseram, vt cum Camillo communicares, de eo Camillus mihi scripsit, se tecum locutum. tuas litteras exspectabam. ni sic illud quidem mutari, si aliter est, & oportet, non video posse,* SED CVM A NILO ACCEPISSEM LITTERAS, DESIDERAVI TVAS: *& sic putabam. Te certiorem factum non esse? modo valeres. scripseras enim te quodam valetudinis genere temtari. Acusius quidem Rhodo venerat* VIII. ID. *Quinct. is nuntiabat, Q. filium ad Cæsarem profectum* IIII. KAL. *Iun. Philotimum Rhodum pridie eum diem venisse, habere ad me litteras: ipsum Acusium audies. sed tardius iter faciebat. eò feci, vt ego celeriter eunti darem. quid sit in iis litteris, nescio: sed mihi valde Quinctus frater gratulatur. equidem in meo tanto peccato nihil ne cogitatione quidem assequi possum, quod mihi tolerabile possit esse. Te oro, vt de hac misera cogites: & illud, de quo ad te proximè scripsi, vt aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam, & etiam de ipso testamento. illud quoque vellem antea: sed omnia timuimus. melius quidem in pessimis nihil fuit discidio. aliquid fecissemus, vt viri, vel tabularum nouarum nomine, vel nocturnarum*

expugnationum, vel Metellæ, vel omnium malorum: nec res periisset: & videremur aliquid doloris virilis habuisse. memini omnino tuas litteras; sed & tempus illud: etsi quiduis præstitit. nunc quidem ipse videtur denuntiare. audimus enim detestatu iri B. L. *ô dij! generúmne nostrum potissimum, vt vt hoc, vel tabulas nouas? placet mihi igitur, & idem tibi, nuntium remitti. petet fortasse tertiam pensionem. considera igitur túmne vini abusio nascetur, an priùs. ego, si vllo modo potuero, vel nocturnis itineribus experiar, vt te videam. tu & hæc, & si quid erit, quod intersit me scire, scribas velim. Vale.*

CICERO ATTICO. S. XXIII.

QVAE *dudum ad me, &, quæ etiam ad me, ad Tulliam de me scripsisti, ea sentio esse vera. eo sum miserior, (etsi nihil videbatur addi posse) quòd mihi non modo irasci grauissima iniuria accepta, sed ne dolere quidem impune liceat. quare istuc feramus. quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quæ tu, ne accidant, vt caueamus, mones. ea enim est à nobis contracta culpa, vt omni statu, omnique populo eundem exitum habitura videatur. sed ad meam manum redi: dehinc enim hæc occultius agenda. vide quæso etiam nunc de testamento, quod tum factum, cùm illa quærere cœperat. non credo te commorit; neque enim rogarit, ne me quidem. sed quasi ita sit: quoniam in sermonem iam venisti, poteris eam monere, vt alicui*

committat, cuius extra periculum huius belli fortuna ſit. equidem tibi potiſſimum velim, ſi idem illa vellet: quam quidem celo miſeram, me in hoc timere de illo altero. ſcio equidem venire nunc nil poſſe: ſed ſeponi & occultari poſſunt, vt extra ruinam ſint eam, quæ impendet. Nam quod ſcribis, nobis noſtra & tua Terentiæ fore parata: tua credo: noſtra quæ poterunt eſſe? de Terentia autem (mitto cetera, quæ ſunt innumerabilia) quid ad hoc addi poteſt? ſcripſeras, vt HS XII. *permutaret; tantum eſſe reliquum de argento. miſit illa* CCIↃↃ *mihi, & adſcripſit, tantum eſſe reliquum. cum hoc tam paruum de paruo detraxerit, perſpicis quid in maxima re fecerit? Philotimus non modò nullus venit, ſed ne per litteras quidem, aut per nuntium certiorem facit me, quid egerit. Epheſo qui veniunt, ibi ſe eum de ſuis controuerſiis in ius adeuntem vidiſſe nuntiant: quæ quidem (ita enim veriſimile eſt) in aduentum Cæſaris fortaſſe reiiciuntur. ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celeriùs perferendum, & eo me magis eſſe deſpectum: aut, etiamſi quid habet, id, niſi omnibus ſuis negotiis confectis, ad me referre non curat. ex quo magnum equidem capio dolorem, ſed non tantum, quantum videor debere. nihil enim mea minùs intereſſe puto, quàm quid illinc afferatur. id quamobrem, te intelligere certè ſcio. Quod me mones de vultu & oratione ad tempus accommodanda; etſi difficile eſt, tamen imperarem mihi, ſi mea quicquam intereſſe putarem. Quod ſcribis, litteris pu-*

tare Africanum negotium confici posse: velim scriberes, cur ita putares: mihi quidem nihil in mentem venit, quare id putem fieri posse: tu tamen, velim, si quid erit, quod consolationis aliquid habeat, scribas ad me. sin, vt perspicio, nihil erit, scribas idipsum. ego ad te, si quid audiero citiùs, scribam. Vale. VIII. ID. *Sext.*

CICERO ATTICO S. XXV.

FACILE *assentior tuis litteris; quibus exponis pluribus verbis nullum te habere consilium, quo à te possim iuuari. consolatio certe nulla est, quæ leuare possit dolorem meum. nihil est enim contractum casu. nam id esset ferendum. sed omnia fecimus iis erroribus, & miseriis & animi & corporis, quibus proximi vtinam mederi maluissent, quàm obesse. quoniam neque consilij tui, neque consolationis cuiusquam spes vlla mihi ostenditur; non quæram hæc à te posthac. tantum velim, ne intermittas: scribas ad me, quidquid veniet tibi in mentem, cùm habebis, cui des, & dum erit, ad quem des: quod longum non erit. Illum discessisse Alexandria, rumor est non firmus, ortus ex Sulpicij litteris: quas cuncti postea nuntij confirmarunt: quod verum, an falsum sit, quoniam mea nihil interest, vtrum malim, nescio. Quod ad te iampridem de testamento scripsi; apud ἐπιστὸν illas velim; vt possint aduertas. ego huius miserrima facultate cõfectus cõflictor. nihil vmquã simile natũ puto: quoi si qua re consulere*

aliquid possum, cupio te admoneri. video eandem esse difficultatem, quam in consilio dato ante: tamen hoc me magis solicitat, quàm omnia. In pensione secunda caeci fuimus. alium mallem. sed praeteriit. te oro, vt in perditis rebus, si quid cogi, confici potest, quod sit in tuto, ex argento, neque satis multa ex supellectile, des operam. iam enim mihi videtur adesse extremum, nec vlla fore condicio pacis, eáque, quae sunt, etiam sine aduersario peritura. haec etiam, si videbitur, cum Terentia loquare oportunè. non queo omnia scribere. Vale. III. NON. Quinct.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER XII.

CICERO ATTICO S. I.

VNDECIMO *die postquam à te discesseram hoc litterularum exaraui, egrediens è villa ante lucem: atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano; ibi vnum diem.* V. KAL. *igitur ad constitutum: atque vtinam continuo ad complexum meæ Tulliæ, ad osculum Atticæ possim currere. quod quidem ipsum scribe quæso ad me; vt, dum consisto in Tusculano, sciam, quid garriat: sin rusticatur, quid scribat ad te: eique interea aut scribes salutem, aut nuntiabis, itémque Piliæ: & tamen, etsi continuo congressuri sumus, scribes ad me, si quid habebis. Cùm complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius: qua lecta, de Atticæ febricula scilicet valde dolui. reliqua, quæ exspectabam, ex tuis litteris cognoui omnia. sed quod scribis, igniculum matutinum; γεροντικώτερον est memoriola vacillare. ego enim* IIII. KAL. *Axio dederam, tibi* III. *Quincto quo die venissem, id est* II. KAL. *hoc igitur habebis, noui nihil. quid ergo opus erat epistola? quid, cùm coram sumus, & garrimus quidquid in buccam? est profecto quidam λέσχη, quæ habet etiam*

si nihil subest, colloeunione ipsa suauitatem.

CICERO ATTICO. S. II.

HIC *rumores tamen Murcum periisse naufragio, Asinium delatum viuum in manus militum, L. nauis delatas in Vticam reflatu hoc, Pompeium non comparere, nec in Balearibus omnino fuisse, vt Patietus affirmat. sed auctor nullius rei quisquam. Habes, quæ, dum tu abes, locuti sunt. Ludi interea Præneste. ibi Hirtius, & isti omnes. & quidem ludi dies octo. quæ cenæ? quæ deliciæ? res interea fortasse transacta est. ô miros homines! at Balbus ædificat: τὶ γὰρ αὐτῷ μέλει? verùm, si quæris, homini non recta, sed voluptaria quærenti nónne βεβίωται? Tu interea dormis. iam explicandum est πρόβλημα, si quid acturus es. si quæris quid putem, ego fructum puto. sed quid multa? iam te videbo; & quidem, vt spero, de via rectà ad me. simul enim & diem Tyrannioni constituemus, & si quid aliud.*

CICERO ATTICO. S. III.

VNVM *te puto minus blandum esse, quàm me: &, si vterque nostrum est aliquando aduersus aliquem, inter nos certe numquam sumus. audi igitur me hoc ἀγοητεύτως dicentem. ne viuam mi Attice, si mihi non modò Tusculanum, vbi ceteroqui sum libenter, sed μακάρων νῆσοι tanti sunt, vt sine te*

ſim totos dies. quare obduretur hoc triduum; vt te quoque ponam in eodem πάθει: quod ita eſt profecto. ſed velim ſcire, hodiéne ſtatim de auctione, ecquo diéue venias. ego me interea cum libellis. ac moleſtè fero Vennonij me hiſtoriam non habere. ſed tamen, ne nihil de re, nomen illud, quòd à Cæſare, tris habet condiciones, aut emptionem ab haſta: (perdere malo: etſi, præter ipſam turpitudinem, hoc ipſum puto eſſe perdere) aut delegationem à mancipe, annua die; (quis erit, cui credam? aut quando ipſe Metonis annus veniet?) aut, Vecteni condicione, ſemiſſem. σκέψαι igitur. ac vereor, ne iſte iam auctionem nullam faciat, ſed, ludis factis, Ἀτύπῳ ſubſidio currat. ne talis vir ἀλογηθῇ. ſed μελήσει.

CICERO ATTICO S. IIII.

O GRATAS *tuas mihi, iucundáſque litteras! quid quæris? reſtitutus eſt mihi dies feſtus. angebar enim, quòd Tiro ἐνερευθέστερον te ſibi eſſe viſum dixerat. addam igitur, vt cenſes, vnum diem. Sed de Catone πρόβλημα ἀρχιμήδειον eſt. non aſſequor, vt ſcribam, quod tui conuiuæ non modò libenter, ſed etiam æquo animo legere poſſint. quin etiam, ſi à ſeriis eius dictis, ſi ab omni voluntate, conſiliiſque, quæ de Rep. habuit, recedam, ψιλῶς que velim grauitatem, conſtantiámque eius laudare; hoc ipſum tamen iſtis odioſum ἄκουσμα ſit. ſed verè laudari ille vir nõ poteſt, niſi hæc ornata ſint; quòd ille ea, quæ*

nunc sunt, & futura viderit, &, ne fierent, contenderit, &, facta ne videret, vitam reliquerit. horum quid est, quod Aledio probare possimus? sed cura obsecro, vt valeas, eámque, quam ad omnis res adhibes, in primis ad conualescendum adhibe prudentiam.

CICERO ATTICO. S. V.

Q. PATER *quartum, vel potius millesimum nihil sapit, qui lætetur Luperco filio, & Statio, vt cernat duplici dedecore cumulatam domum. addo etiam Philotimum tertium. ô stultitiam, nisi mea maior esset, singularem! quod autem os in hanc rem,* ἔρανον *a te? fac, non ad* διψῶσαν κρήνην*, sed ad* πειρήνην *eum venisse; sed* ἄμπνευμα σεμνὸν ἀλφειοῦ *in te* κρήνην*, vt scribis, haurire, in tantis suis præsertim angustiis;* ποῖ ταῦτα ἄρα ἀποσκήψει*? sed ipse uiderit. Cato me quidem delectat, sed etiam Bassum Lucilium sua. De Cœlio, tu quæres, vt scribis: ego nihil noui. noscenda est natura, non facultas modo. De Hortensio & Virginio, tu si quid dubitabis: etsi, quid magis placeat, ego quantum aspicio, non facilè inueneris. Cum Mustela, quemadmodum scribis, cùm venerit Crispus. Ad Auium scripsi, vt ea, quæ bene nossem de auro, Pisoni demonstrarem. tibi enim sanè assentio, & istud nimiùm diu duci, & omnia nunc vndique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad me pertineat, facilè perspicio: meísque*

negotij

negotiis impediri cupiditatem tuam ad me veniendi. sed mecum esse te puto; non solùm quòd meam rem agis, verum etiam quòd videre videor, quo modo agas. neque enim vlla hora tui mihi est operis ignota. Tubulum Pretorem video L. Metello, Q. Maximo COSS. *nunc velim, P. Scæuola Pontifex maximus, quibus* COSS. *Tribunus pl. equidem puto proximis, Cæpione & Pompeio. Prætor enim P. Furio, Sex. Atilio. dabis igitur Tribunatum, &, si poteris, Tubulus quo crimine. & vide, quæso, L. Libo, ille, qui de Ser. Galba, Censorinóne, & Manilio, an T. Quinctio, M. Acilio* COSS. *Tribunus pl. fuerit. conturbat enim me epitome Bruti Fanniana, an Bruti epitoma Fannianorum? scripsi, quod erat in extremo: ídque ego secutus, hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Lælij: sed tu me γεωμετρικῶς refelleras: te autem nunc Brutus & Fannius. ego tamen de bono auctore Hortensio sic acceperam, vt apud Brutum est. hunc igitur locum expedies. Ego misi Tironem Dolabellæ obuiam. is ad me Idib. reuertetur. te exspectabo postridie. De Tullia mea tibi antiquissimum esse video: ídque ita vt sit, te vehementer rogo. Ergo & in integro omnia: sic enim scribis. mihi etsi Kalendæ vitandæ fuerunt, Neoeicasionúmque ἀρχέτυπα fugienda, conficiendaéque tabulæ: nihil tamen tanti, vt à te abessem, fuit. cum Romæ essem, & te iam iámque visurum me putarem: quotidie tamen horæ, quibus exspectabam, longæ videbantur. scis me minimè esse*

blandum. itaque minus aliquanto dico, quàm sentio.

CICERO ATTICO S. VI.

DE COELIO, *vide, quæso, ne qua lacuna sit in auro. ego ista non noui. sed certe in collubo est detrimenti satis. huc aurum si accedit: sed qui loquor? tu videbis. habes Hegesiæ genus, quod Varro laudat. venio ad Tyrannionem. Ain tu? verum hoc fuit? sine me? at ego quoties, cùm essem otiosus, sine te tamen nolui? quo modo hoc ergo lues? vno scilicet, si mihi librum miseris: quod vt facias, etiam atque etiam rogo. etsi me non magis liber ipse delectabit, quàm tua admiratio delectauit. amo enim* πάντα φιλόδημον *: téque istam tam tenuem* θεωρίαν *tam valde admiratum esse gaudeo. etsi tua quidem sunt eiusmodi omnia. scire enim vis, quo vno animus alitur. sed, quæso, quid ex ista acuta & graui refertur ad* τέλος*? sed longa oratio est, & tu occupatus in meo quidem fortasse aliquo negotio; & pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, à te nitidum solem, vnctúmque repetemus. sed ad prima redeo. librum, si me amas, mitte. tuus est enim profecto, quoniam quidem est missus ad te. Chreme, tantúmne ab re tua est otij tibi, vt etiam Oratorem legas? macte virtute: mihi quidem gratum, & erit gratius, si non modò in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli. Cæsar autem mihi irridere visus est* QVAESO *illud tuum, quod erat* εὐπινὲς, &

vrbanum. ita porrò te ſine cura eſſe iuſſit, vt mihi quidem dubitationem omnem tolleret. Atticam doleo tam diu: ſed quoniam iam ſine horrore eſt, ſpero eſſe, vt volumus.

CICERO ATTICO S. VII.

QVAE *deſideras, omnia ſcripſi in codicillis, eóſque Eroti dedi, breuiter, ſed etiam plura quàm quæris; in iis de Cicerone: cuius quidem cogitationis initium tu mihi attuliſti. locutus ſum cum eo liberaliſſimè: quod ex ipſo, velim, ſi modo tibi erit commodum, ſciſcitere. ſed quid differo? expoſui, te ex me detuliſſe, ecquid vellet, ecquid requireret: velle Hiſpaniā, requirere liberalitatem. de liberalitate, dixi, quantum Publilius, quantum flamen Lentulus filio. de Hiſpania, duo attuli; primum idem, quod tibi, me vereri vituperationem: non ſatis eſſe, ſi hæc arma reliquiſſemus? etiam contraria? deinde fore, vt angeretur, cùm à fratre familiaritate, & omni gratia vinceretur. velit magis liberalitate vti mea, quàm ſua libertate: ſed tamen permiſi. tibi enim intellexeram non nimis diſplicere. ego etiam atque etiam cogitabo, téque, vt idem facias, rogo. magna res, & ſimplex eſt manere; illud anceps. verùm videbimus. De Balbo, & in codicillis ſcripſeram, & ita cogito, ſimul ac redierit. ſin ille tardius, ego tamen triduum. &, quod præterii, Dolabella etiam mecum.*

ægrum Romam remisi: &, si quid habet collis ἐπιδήμιον, ad me cum Tisameno transferamus. tota domus superior vacat, vt scis. hoc puto valde ad rem pertinere.

CICERO ATTICO. S. XI.

MALE de Seio: sed omnia humana tolerabilia ducenda. ipsi enim quid sumus? aut quam diu hæc curaturi sumus? ea videamus, quæ ad nos magis pertinent, nec tamen multo; quid agamus de Senatu. Et, vt ne quid prætermittam, Cæsonius ad me litteras misit, Postumiam Sulpicij domum ad se venisse. De Pompeij Magni filia, tibi rescripsi, nihil me hoc tempore cogitare. alteram vero illam, quam tu scribis, puto nosti. nihil enim vidi fœdius. sed adsum. coram igitur.

Obsignata epistola, accepi tuas. Atticæ hilaritatem libenter audio: commoti uncalis συμπάσχω.

CICERO ATTICO. S. XII.

DE dote, tanto magis perpurga. Balbi regia condicio est delegandi. quoquo modo confice. turpe est rem impeditam iacere. Insula Arpinas habere potest germanam ἀποθέωσιν: sed vereor ne minorem τιμὴν habere videatur. ἐκλεξόπιμος est. igitur animus in hortis: quos tamen inspiciam, cùm venero. De Epicuro, vt voles; etsi μεθαρμόζομαι in posterum genus hoc personarum. incredibile est, quàm ea qui-

dam requirant. ad antiquos igitur: ἀνεμέσητον γάρ. nihil habeo, ad te quod perscribam: sed tamen institui quotidie mittere, vt eliciam tuas litteras; non quo aliquid ex his exspectem; sed nescio quo modo tamen exspecto. quare siue habes quid, siue nihil habes, scribe tamen aliquid, téque cura.

CICERO ATTICO S. XIII.

COMMOVET me Attica; etsi assentior Cratero. Bruti litteræ, scriptæ & prudenter, & amicè, multas mihi tamen lacrimas attulerunt. Me hæc solitudo minùs stimulat, quàm ista celebritas. te vnum desidero; sed litteris nō difficiliùs vtor, quàm si domi essem: ardor tamen ille idem vrget & manet, non mehercule indulgente me, sed tamen non repugnante. Quod scribis de Apuleio, nihil puto opus esse tua cōtentione, nec Balbo & Oppio; quibus quidem ille receperat, mihique etiam iusserat nuntiari, se molestum omnino non futurum. sed cura, vt excuser morbi caussa in dies singulos. Lænas hoc receperat. prende C. Septimium, L. Statilium. denique nemo negabit se iuraturum, quem rogaris. quod si erit durius, veniam, & ipse perpetuum morbum iurabo. cùm enim mihi carendum sit conuiuiis, malo id lege videri facere, quàm dolore. Cocceium velim appelles. quod enim dixerat, non facit. ego autem volo aliquod emere latibulum, & perfugium doloris mei.

CICERO ATTICO S. XIIII.

De me excuſando apud Apuleium dederam ad te pridie litteras. nihil eſſe negotij arbitror. quemcunque appellaris, nemo negabit. ſed Septimium vide, & Lænatem, & Statilium. tribus enim opus eſt. ſed mihi Lænas totum receperat. Quod ſcribis à Iunio te appellatum: omnino Cornificius locuples eſt: ſed tamen ſcire velim, quando dicar ſpopondiſſe; & pro patre, an ne pro filio: neque eò minùs, vt ſcribis, procuratores Cornificij, & Apuleium prædiatorem videbis. Quod me ab hoc mærore recreari vis; facis, vt omnia: ſed, me mihi non defuiſſe, tu teſtis es. nihil enim de mærore minuendo ſcriptum ab vllo eſt, quod ego non domi tuæ legerim. ſed omnem conſolationem vincit dolor. quin etiam feci, quod profectò ante me nemo, vt ipſe me per litteras conſolarer. quem librum ad te mittam, ſi deſcripſerint librarij. affirmo tibi nullam conſolationem eſſe talem. totos dies ſcribo; non quo proficiam quid; ſed tantiſper impedior, non equidem ſatis, (vis enim vrget) ſed relaxor tamen, omniáque nitor, non ad animum, ſed ad vultum ipſum, ſi queam, reficiendum; ídque faciens, interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus eſſe, niſi faciam. ſolitudo aliquid adiuuat, ſed multo plus proficeret, ſi tu tamen intereſſes: quæ mihi vna cauſſa eſt hinc diſcedendi. nam, pro malis, rectè habebat: quamquam ipſum doleo. non enim

iam in me idem esse poteris. perierunt illa, quæ amabas. De Bruti ad me litteris scripsi ad te antea: prudenter scripta: sed nihil, quo me adiuuarent. quod ad te scripsit, id vellem, vt ipse adesset: certè aliquid, quoniam me tam valde amat, adiuuaret. quòd si quid scies, scribas ad me velim, maximè autem, Pansa quando. De Attica, doleo: credo tamen Cratero. Piliam angi veta: satis solitus es mærere pro omnibus.

CICERO ATTICO S. XV.

APVD *Apuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies vt excuser, videbis. in hac solitudine careo omnium colloquio; cùmque mane me in siluam abstrusi densam & asperam, non exeo inde ante vesperum. secundum te, nihil est mihi amicius solitudine. in ea mihi omnis sermo est cum litteris. eum tamen interpellat fletus: cui repugno, quoad possum. sed adhuc pares non sumus. Bruto, vt suades, rescribam. eas litteras cras habebis. cùm erit cui des, dabis.*

CICERO ATTICO S. XVI.

TE, *tuis negotiis relictis, nolo ad me venire: ego potiùs accedam, si diutiùs impediere: etsi ne discessissem quidem e conspectu tuo, nisi me planè nihil vlla res adiuuaret; quòd si esset aliquod leuamen, id esset in te vno: &, cum primùm ab aliquo po-*

terit esse, à te erit. nunc tamen ipsum sine te esse non possum. sed nec tuæ domi probabatur, nec meæ poteram: nec si propius essem vspiam, tecum tamen essem. idem enim te impediret, quo minus mecum esses, quod nunc etiam impedit. mihi adhuc nihil prius fuit hac solitudine: quam vereor ne Philippus tollat. heri enim vesperi venerat. Me scriptio & litteræ non leniunt, sed obturbant.

CICERO ATTICO. S. XVII.

MARCIANVS *ad me scripsit, me excusatum esse apud Apuleium à Laterensi, Nasone, Lænate, Torquato, Strabone. iis velim meo nomine reddendas litteras cures, gratum mihi eos fecisse. Quod pro Cornificio me ab hinc amplius annis* XXV. *spopondisse dicit Flauius; etsi reus locuples est, & Apuleius prædiator liberalis; tamen velim des operam, vt inuestiges ex consponsorum tabulis, sit ne ita. mihi enim ante Aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio. potest tamen fieri. sed scire certum velim: & appelles procuratores, si tibi videtur. quamquam quid ad me? verumtamen. Pansæ profectionem scribes, cùm scies. Atticam saluere iube, & eam cura obsecro diligenter. Piliæ salutem.*

CICERO ATTICO. S. XVIII.

DVM *recordationes fugio, quæ quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio à te admonendo.*

quod velim mihi ignoſcas, cui cuimodi eſt. etenim habeo non nullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod ſæpe tecum egi, & quod à te approbari volo. de fano illo dico; de quo tantum, quantum me amas, velim, cogites. equidem neque de genere dubito; placet enim mihi Cluatij: neque de re; ſtatutum eſt enim; de loco nonnumquam. velim igitur cogites. ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profectò illam conſecrabo omni genere monimentorum, ab omnium ingeniis ſcriptorum, & Græcorum & Latinorũ: quæ res forſitan ſit refricatura vulnus meum. ſed iam quaſi voto quodam, & promiſſo me teneri puto; longúmque illud tempus, cum non ero, magis me mouet, quàm hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur. habeo enim nihil, temtatis rebus omnibus, in quo acquieſcam. nam, dum illud tractabam, de quo antea ſcripſi ad te, quaſi fouebam dolores meos. nunc omnia reſpuo; nec quicquam habeo tolerabilius, quàm ſolitudinem: quam, quod eram veritus, non obturbauit Philippus. nam, vt heri me ſalutauit, ſtatim Romam profectus eſt. Epiſtolam, quam ad Brutum vt tibi placuerat, ſcripſi, miſi ad te. curabis cum tua perferendam. ei tamen miſi ad te exemplum, vt, ſi minùs placeret, ne mitteres. Domeſtica quod ais ordine adminiſtrari, ſcribes, quæ ſint ea. quædam enim exſpecto. Cocceius vide ne fruſtretur. nam Libo quod pollicetur, vt Eros ſcribit, non incertum puto. de ſorte mea Sulpicio confido, & Egnatio ſcilicet. de

Apuleio, quid est, quod labores, cùm sit excusatio facilis? Tibi ad me venire, vt ostendis, vide, ne non sit facile. est enim longum iter, discedentémq; te, quod celeriter tibi erit fortasse faciendum, non sine magno dolore dimittam. sed omnia, vt voles. ego enim, quidquid feceris, id cùm rectè, tum etiam mea caussa factum putabo. Heri, cùm ex aliorum litteris cognouissem de Antonij aduentu, admiratus sum, nihil esse in tuis. sed erant pridie fortasse scripta, quàm data. neque ista quidem curo. sed tamen opinor propter prades suos accucurrisse. Quod scribis, Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui: primùm tibi persuade, me istæc non curare, neque esse quicquam aut parua curæ, aut noua loci. sed tamen quid simile? illa eos non adhibuit, quos existimauit quæsituros, nisi sciissent quid esset. num id etiam mihi periculi fuit? sed tamen faciat illa, quod ego. dabo meum testamentum legendum cui voluerit: intelliget, non potuisse honorificentiùs à me fieri de nepote, quàm fecerim. nam quod non aduocaui ad obsignandum; primùm mihi non venit in mentem; deinde ea re non venit, quia nihil attinuit. tute scis, (si modo meministi) me tibi tum dixisse, vt de tuis aliquos adduceres. quid enim opus erat multis? equidem domesticos iusseram. tum tibi placuit, vt mitterem ad Silium: inde est natum, vt ad Publilium. sed necesse neutrum fuit. hoc tu tractabis, vt tibi videtur.

CICERO ATTICO S. XIX.

Est hic quidem locus amœnus, & in mari ipso, qui & Antio, & Circeis aspici possit: sed ineunda nobis ratio est, quemadmodũ in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate, (si modò hæc stabunt) illud, quasi consecratum, remanere possit. equidem iam nihil egeo vectigalibus, & paruo contentus esse possum. cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, & quidem ob hanc caussam maximè. nihil enim video, quod tam celebre esse possit; sed quos, coram videbimus; ita tamen, vt hac æstate fanum absolutum sit. Tu tamen cum Apella Chio confice de columnis. De Cocceio & Libone quæ scribis, approbo; maximè, quod de iudicatu meo. De sponsu, quid perspexeris; & tamen quid procuratores Cornificij dicant, velim scire; ita vt in ea re te, cùm tam occupatus sis, non multum operæ velim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conscripsit, ídque tibi placuisse, ne perturbarer. illis egi gratias. te tamen, vt iam ante ad te scripsi, scire volo, me neque isto nuntio esse perturbatum, nec iam vllo perturbatum iri. Pansa si hodie, vt putabas, profectus est, posthac iam incipito scribere ad me, de Bruti aduentu quid exspectes, id est, quos ad dies. id, si scies vbi iam sit, facilè coniectura assequere. Quod ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te, mi Attice, suscipe totum negotium. vi-

des & officium agi meum quoddam, cui tu es conscius, &, vt non nulli putant, Ciceronis rem. me quidem id multo magis mouet, quod mihi est & sanctius, & antiquius; præsertim cùm hoc alterum neque sincerum, neque firmum putem fore.

CICERO ATTICO S. XX.

NONDVM videris perspicere, quàm me nec Antonius commouerit, nec quicquam iam eiusmodi possit commouere. de Terentia autem scripsi ad te iis litteris, quas dederam pridie. Quod me hortaris, ídque à ceteris desiderari scribis, vt dissimulem me tam grauiter dolere; possúmne magis, quàm quod totos dies consumo in litteris? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi, & sanandi animi caussa facio: tamen, si mihi minùs proficio, simulationi certè facio satis. Minùs multa ad te scripsi, quòd exspectabam tuas litteras ad eas, quas ad te pridie dederam. exspectabam autem maximè de fano, non nihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Cæpio, Seruiliæ Claudij pater, viuóne patre suo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia viuóne C. Cotta, filio suo, mortua sit, an mortuo. pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.

CICERO ATTICO S. XXI.

LEGI Bruti epistolam, eámque tibi remisi,

ſane non prudenter reſcriptam ad ea, quæ requiſieras. ſed ipſe viderit: quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum ſententiam putat de animaduerſione dixiſſe; quam omnes ante dixerant, præter Cæſarem: & cùm ipſius Cæſaris tam ſeuera fuerit, qui tum Prætorio loco dixerit, Conſularium putat leniores fuiſſe, Catuli, Seruilij, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellij, Volcacij, Figuli, Cottæ, L. Cæſaris, C. Piſonis, etiam M. Glabrionis, Silani, Murenæ, deſignatorum Conſulum. cur ergo in ſententiam Catonis? quia verbis luculentioribus, & pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quòd retulerim, non quòd patefecerim, quod cohortatus ſim, quòd denique ante, quàm conſulerem, ipſe iudicauerim. quæ omnia, quia Cato laudibus extulerat in cælum, perſcribendáque cenſuerat; idcirco in eius ſententiam eſt facta diſceſſio. hic autem ſe etiam tribuere multum mi putat, quòd ſcripſerit, OPTIMVM CONSVLEM. *quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cetera vero tibi quemadmodum reſcripſit? tantum rogat de* S. C. *vt corrigas. hoc quidem feciſſet, etiam ſi ærario adnouitius eſſet. ſed hæc iterum ipſe viderit. De hortis, quoniam probas, effice aliquid. rationes meas noſti. ſi vero etiam a Faberio aliquid recedit, nihil negotij eſt. ſed etiam ſine eo poſſe videor contendere. vænales certe ſunt Druſi; fortaſſe & Lamiani & Caſſiani: ſed coram. De Terentia non poſſum commodius ſcribere, quam tu ſcribis. officium ſit nobis antiquiſſi-*

mum. si quid nos fefellerit, illius malo me, quàm mei pœnitere. Quia C. Loly curanda sunt HS C. negat Eros posse sine me; credo, quòd accipienda aliqua sit, & danda æstimatio. vellem tibi dixisset. si enim res est, vt mihi scribit, parata; nec in eo ipso mentitur: per te confici potuit. id cognoscas, & conficias velim. Quod me in forum vocas; eò vocas, vnde, etiam bonis meis rebus, fugiebam. quid enim mihi foro, sine iudiciis, sine Curia, in oculos incurrentibus iis, quos æquo animo videre non possum? Quod autem homines à me postulare scribis, vt Romæ sim, neque mihi, vt absim concedere, aut quatenus eos mihi concedere: iam pridem scito esse, cùm vnum te pluris, quam omnes illos, putem: ne me quidem contemno: meóque iudicio multo stare malo, quam omnium reliquorum. neque tamen progredior longiùs, quàm mihi doctissimi homines concedunt: quorum scripta omnia, quæcunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis ægroti, accipere medicinam; sed in mea etiam scripta transtuli; quod certe afflicti, & fracti animi non fuit. ab his me remediis noli in istam turbam vocare, ne recidam.

CICERO ATTICO. S. XXII.

DE TERENTIA, quòd mihi omne onus imponis; nõ cognosco tuam in me indulgentiam. ista enim sunt ipsa vulnera, quæ non possum tractare sine maximo gemitu. moderare igitur, quæso, vt potes. neque enim

a te plus, quam potes, postulo: potes autem, quid veri sit, perspicere tu vnus. De Rutilia, quoniam videris dubitare, scribes ad me, cùm scies, sed quamprimum; & , num Clodia, D. Bruto Consulari, filio suo, mortuo, vixerit. id de Marcello, aut certè de Postumia sciri potest; illud autem de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro. De hortis, etiam atque etiam te rogo. omnibus meis, eorúmque, quos scio mihi non defuturos, facultatibus, sed potero meis, enitendum mihi est. sunt etiam, quæ vendere facile possim. sed, vt non vendam, eique vsuram pendam, à quo emero, non plus annum, possum assequi, quod volo, si tu me adiuuas. paratissimi sunt Drusi: cupit enim vendere. proximos puto Lamiæ: sed abest. tu tamen, si quid potes, odorare. ne Silius quidem quicquam vtitur, & iis vsuris facillimè sustentabitur. habe tuum negotium; nec, quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo, sed quid velim, & cur velim existima.

CICERO ATTICO S. XXII.

PVTARAM *te aliquid noui; quòd eiusmodi fuerat initium litterarum; quamuis non curarem quid in Hispania fieret, tamen te scripturum: sed videlicet meis litteris respondisti, vt de foro, & de Curia. sed domus est, vt ais, forum. quid ipsa domo mihi opus est, carenti foro? occidimus, occidimus, Attice, iam pridem nos quidem, sed nunc fatemur, postea quam vnum, quo tenebamur, amisimus.*

ſimus. itaque ſolitudines ſequor: & tamen, ſi qua me res iſto adduxerit, enitar, ſi quo modo potero, (potero autem) vt præter me nemo dolorem meum ſentiat: ſi vllo modo poterit, ne tu quidem. atque etiam illa cauſſa eſt non veniendi. meminiſti, quid ex te Aledius quæſierit: quin etiam nunc moleſti ſunt: quid exiſtimas, ſi venero? De Terentia ita cura, vt ſcribis; méque hac ad maximas ægritudines acceſſione nunc maxima libera. Et, vt ſcias me ita dolere, vt non taceam, quibus Conſulibus Carneades, & ea legatio Romam venerit, ſcriptum eſt in tuo annali. hæc nunc quæro, quæ cauſſa fuerit: de Oropo, opinor; ſed certum neſcio: &, ſi ita eſt, quæ controuerſiæ; præterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis; qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illuſtres: quæ te etiam ex Apollodori puto poſſe inuenire. De Attica, moleſtum; ſed quoniam leuiter, rectè eſſe confido. De Gamala dubium mihi non erat, vnde enim tam felix Ligus pater? nam quid de me dicam, cui vt omnia contingant, quæ volo, leuari non poſſum? De Druſi hortis, quanti licuiſſe tu ſcribis, id ego quoque audieram, &, vt opinor, heri ad te ſcripſeram: ſed quanti quanti, bene emitur quod neceſſe eſt. mihi, quoquo modo tu exiſtimas, (ſcio enim ego ipſe, quid de me exiſtimem) leuatio quædam eſt, ſi minus doloris, at officij debiti. Ad Sicam ſcripſi, quòd vtitur L. Cotta. ſi nihil conficeretur de Tranſtiberinis, habet in Oſtienſi Cotta celeberrimo loco, ſed puſillum loci: ad hanc rem ta-

tamen plus etiam ſatis. id velim cogites. nec tamen iſta pretia hortorum pertimueris. nec mihi iam argento, nec veſte opus eſt, nec quibuſquam amœnis locis: hoc opus eſt. video etiam, à quibus adiuuari poſſim. ſed loquere cum Silio. nihil enim eſt melius. mandaui etiã Sicæ. reſcripſit, conſtitutũ ſe cũ eo habere. ſcribat igitur ad me, quid egerit, &, vt tu videbis.

CICERO ATTICO S. XXIII.

BENE *fecit A. Silius, qui tranſegerit. neque enim ei deeſſe volebam, & quid poſſem, timebam. De Ouia, confice, vt ſcribis. De Cicerone, tempus eſſe iam videtur. ſed quæro, quod illi opus erit Athenis, permutaríne poſſit, an ipſi ferendum ſit; de totáque re, quemadmodum, & quando placeat, velim conſideres. Publilius iturúſne ſit in Africam, & quando, ex Aledio ſcire poteris: quæras, & ad me ſcribas, velim. Et, vt ad meas ineptias redeam, velim me certiorem facias, P. Craſſus, Venuleiæ filius, viuóne P. Craſſo Conſulari, patre ſuo, mortuus ſit, vt ego meminiſſe videor, an poſt. item quæro de Regillo, Lepidi filio, recténe meminerim, patre viuo mortuum. Ciſpiana explicabis, itémque Præciana. De Attica, optimè it. ei ſalutem dices, & Piliæ.*

CICERO ATTICO S. XXIIII.

SCRIPSIT *ad me diligenter Sica de Silio,*

seque ad te rem detulisse: quod tu idem scribis. mihi & res, & condicio placet, sed ita, vt numerato malim, quàm æstimatione. voluptarias enim possessiones nolet Silius. vectigalibus autem vt his possum esse contentus, quæ habeo, sic vix minoribus. vnde ergo numerato? HS DC exprimes ab Hermogene, cùm præsertim necesse erit: & domi video esse HS DC. reliquæ pecuniæ vel vsuram Silio pendemus, dum à Faberio, vel ab aliquo, qui Faberio debet, repræsentabimus. erit etiam aliquid alicunde. sed totam rem tu gubernabis. Drusianis vero hos hortis multo antepono: neque sunt vmquam comparati. mihi crede vna me caussa mouet, in qua scio me τετυφῶσθαι. sed, vt facis, obsequere huic errori meo. Nam quod scribis ἐγγήραμα; actum iam de isto est: alia magis quæro.

CICERO ATTICO. S. XXV.

SICA, vt scribit, etiam si nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit X. KAL. esse venturum. Tuis occupationibus ignosco; eaq; mihi sunt nota. De voluntate tua, vt simul simus, vel studio potiùs, & cupiditate, non dubito. De Nicia quòd scribis, si ita me haberem, vt eius humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere. sed mihi solitudo, & recessus, prouincia est. quod quia facile ferebat Sica, eo magis illum desidero. præterea nosti Niciæ nostri imbecillitatem, mollitiam, consuetudinem victus. cur ego illi molestus

velim, cùm mihi ille iucundus esse non possit? voluntas tamen eius mihi grata est. Vnam rem ad me scripsisti, de qua decreui nihil tibi rescribere. spero enim me à te impetrasse, vt priuares me ista molestia. Piliæ, & Atticæ salutem.

CICERO ATTICO S. XXVI.

DE *Siliano negotio, etsi mihi non est ignota condicio, tamen hodie me ex Sica arbitror omnia cogniturum. Cottæ quòd negas te nosse, vltra Silianam villam est (quam puto tibi notam esse) villula sordida, & valde pusilla; nihil agri; ad suillam rem loci satis, nihil ad eam, quam quæro. sequor celebritatem. sed, si perficitur de hortis Silij, hoc est, si perficis; (est enim totum positum in te) nihil est scilicet, quod de Cotta cogitemus. De Cicerone, vt scribis, ita faciam: ipsi permitttam de tempore: nummorum quantum opus erit, vt permutetur tu videbis. Ex Aledio, quod scribis, si quid inueneris, scribes. Et ego ex tuis animaduerto litteris, & profecto tu ex meis, nihil habere nos, quod scribamus: eadem quotidie, quæ iam, iámque ipsa contrita sunt: tamen facere non possum, quin quotidie ad te mittam, vt tuas accipiam. De Bruto tamen, si quid habebis. scire enim iam puto, vbi Pansam exspectet. si, vt consuetudo est, in prima prouincia, circiter* KAL. *affuturus videtur. vellem tardius. valde enim vrbem fugio multas ob caussas. itaque id ipsum dubito, an excusationem aliquam ad il-*

lum parem: quod quidem video facilè esse. sed habemus satis temporis ad cogitandum. Pilia, Atticæ salutem.

CICERO ATTICO S. XXVII.

De Silio nihilo plura cognoui ex præsente Sica, quàm ex litteris eius. scripserat enim diligenter. si igitur tu illum conueneris, scribes ad me, si quid videbitur. De quo putas ad me missum esse; sit missum, nécne, nescio; dictum quidem mihi certè nihil est. tu igitur, vt cœpisti: &, si quid ita conficies, (quod equidem non arbitror fieri posse) vt illi probetur, Ciceronem, si tibi placebit, adhibebis. eius aliquid interest, videri illius caussa voluisse: mea quidem nihil, nisi id, quod tu scis: quod ego magni æstimo. Quod me ad consuetudinem reuocas; fuit meum quidem iam pridem Remp. lugere; quod faciebam, sed mitiùs. erat enim, vbi acquiescerem. nunc planè nec ego victum, nec vitam illam colere possum: nec in ea re, quid aliis videatur, mihi puto curandum. mea mihi conscientia pluris est, quàm omnium sermo. Quod me ipse per litteras consolatus sum; non pœnitet me, quantum profecerim. mærorem minui: dolorem nec potui, nec, si possem, vellem. De Triario, bene interpretaris voluntatem meam. tu vero nihil, nisi vt illi volent. amo illum mortuum: tutor sum liberis: totam domum diligo. De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipiis pecuniam accipere volet,

eámque ei ſolui, vt nunc ſoluitur; certè nihil eſt commodius. ſin autem ita actum eſt, vt ipſa mancipia abduceret, non mihi videtur eſſe æquum. rogas enim me, vt tibi ſcribam, quid mihi videatur. nolo enim negotij Quinctum fratrem quicquam habere: quod, videor mihi intellexiſſe, tibi idem videri. Publilius, ſi æquinoctium exſpectat, vt ſcribis Aledium dicere, nauigaturus videtur. mihi autem dixerat per Siciliam. vtrum, & quando, velim ſcire. Et velim aliquando, cùm erit tuum commodum, Lentulum puerum viſas, eique de mancipiis, quæ tibi videbitur, attribuas. Piliæ, Atticæ, ſalutem.

CICERO ATTICO S. XXVIII.

S I L I V S, vt ſcribis, hodie. cras igitur, vel potius cum poteris, ſcribes, ſi quid erit, cùm videris. Nec ego Brutum vito, nec tamen ab eo leuationem vllam exſpecto: ſed erant cauſſæ, cur hoc tempore iſtic eſſe nollem: quæ ſi manebunt, quærenda erit excuſatio ad Brutum; &, vt nunc eſt, manſuræ videntur. De hortis, quæſo explica. caput illud eſt, quod ſcis. ſequitur, vt etiam mihi ipſi quiddam opus ſit. nec enim eſſe in turba poſſum; nec à vobis abeſſe. huic meo conſilio nihil reperio iſto loco aptius: & de hac re quid tui conſilij ſit, mihi perſuaſum eſt, & eò magis, quòd idem intellexi tibi videri, me ab Oppio & Balbo valde diligi. ſit. cum iis communices, quanto opere, & quare velim

hortos; ſed id ita poſſe ſi expediatur illud Faberianum. ſintne igitur auctores futuri, ſi qua etiam iactura facienda ſit in repræſentando, quoad poſſunt adduci: (totum enim illud deſperatum) denique intelliges, ecquid inclinent ad hoc meum conſilium adiuuandum. ſi quid erit, magnum eſt adiumentum: ſin minus, quacunque ratione contendamus. vetus illud ἐγγήραμα, quemadmodum ſcripſiſti, vel ἐντάφιον putato. De illo Oſtienſi nihil eſt cogitandum. ſi hoc non aſſequimur; (a Lamia non puto poſſe) Damaſippi experiendum eſt.

CICERO ATTICO. S. XXIX.

QVAERO, *quid ad te ſcribam: ſed nihil eſt. eadem quotidie. Quòd Lentulum inuiſis, valde gratum. pueros attribue ei, quot, & quos videbitur. De Sily voluntate vendendi, & de eo, quanti, tu vereri videris, primùm ne nolit, deinde ne tanti. Sica aliter: ſed tibi aſſentior. quare, vt ei placuit, ſcripſi ad Egnatium. Quod Silius te cum Clodio loqui vult; potes id mea voluntate facere: commodiúſque eſt, quam, quod ille à me petit, me ipſum ſcribere ad Clodium. De mancipiis Caſtricianis, commodiſſimum eſſe credo, tranſigere Egnatium: quod ſcribis te ita futurum putare. Cum Ouia, quæſo, vide vt conficiatur. Quoniam, vt ſcribis, nox erat, in hodierna epiſtola plura exſpecto.*

CICERO ATTICO. S. XXX.

SILIVM *mutaſſe ſententiam Sica mirabatur. equidem magis miror, quòd, cùm in filium cauſſam conferret, quæ mihi non iniuſta videtur; (habet enim qualem vult) ais te putare, ſi addiderimus aliud, à quo refugiat, cùm ab ipſo id fuerit deſtinatum, venditurum. Quæris a me, quod ſummum pretium conſtituam, & quantum anteire iſtos hortos Druſi; acceſſi numquam: Coponianam villam & veterem, & non magnam noui: ſiluam nobilem, fructum autem neutrius: quod tamen puto nos ſcire oportere. ſed mihi, vtriuis iſtorum, tempore magis meo, quam ratione æſtimandi ſunt. poſſim autem aſſequi, nécne, tu velim cogites. ſi enim Faberianum venderem, explicare vel repræſentatione non dubitarem de Silianis, ſi modo adduceretur, vt venderet: ſi venales non haberet, tranſirem ad Druſum, vel tanti, quanti Egnatius illum velle tibi dixit. magno etiam adiumento nobis Hermogenes poteſt eſſe in repræſentando. at tu concede mihi, quæſo, vt eo animo ſim, quo is debeat eſſe, qui emere cupiat: & tamen ſeruio ita cupiditati & dolori meo, vt à te regi velim. Egnatius mihi ſcripſit. is ſi quid tecum locutus erit, (commodiſſimè enim per eum agi poteſt) ad me ſcribes: & id agendum puto. nam cum Silio non video confici poſſe. Piliæ & Atticæ ſalutem. Hæc ad te mea manu. vide, quæſo, quid agendum ſit.*

CICERO ATTICO S. XXXI.

PVBLILIA *ad me scripsit, matrem suam (cum Publilio loqui retur) ad me cum illo venturam, & se vnà, si ego paterer: orat multis & supplicibus verbis, vt liceat, & vt sibi rescribam. res quàm molesta sit, vides. rescripsi, me etiam grauiùs esse affectum, quàm tum, cùm illi dixissem, me solum esse velle; quare nolle me hoc tempore eam ad me venire. putabam, si nihil rescripsissem, illam cum matre venturam: nunc non puto. apparebat enim illas litteras non esse ipsius. illud autem, quod fore video, ipsum volo vitare, ne illæ ad me veniant. & vna est vitatio, vt ego nollem. sed necesse est (te hoc nunc rogo) vt explores, ad quam diem hîc ita possim esse, vt ne opprimar. ages, vt scribis, temperatè. Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, si tibi non iniquum videbitur, vt sumptus huius peregrinationis, quibus, si Romæ esset, domúmque conduceret, quod facere cogitabat, facilè contentus futurus erat, accommodet ad mercedes Argileti, & Auentini: & cum ei proposueris, ipse velim reliqua moderêre, quemadmodum ex iis mercedibus suppeditemus ei quod opus sit. præstabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messallam, quos Athenis futuros audio, maioris sumptus facturos, quàm quod ex eis mercedibus recipietur. itaque velim videas, primùm, conductores qui sint, & quanti; deinde, vt sit, qui ad diem soluat; &, quid viatici, quid*

instrumenti satis sit. iumento certè Athenis nihil opus est. quibus autem in via vtatur, domi sunt plura, quam opus erat: quod etiam tu animaduertis.

CICERO ATTICO. S. XXXII.

EGO, *vt heri ad te scripsi, si & Silius is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se præbuerit, Damasippum velim aggrediare. is, opinor, ita partis fecit in ripa nescio quotenorum iugerum, vt certa pretia constitueret; quæ mihi nota non sunt. scribes ad me igitur, quidquid egeris. Vehementer me solicitat Atticæ nostræ valetudo: vt verear etiam, ne qua culpa sit. sed & pædagogi probitas, & medici assiduitas, & tota domus in omni genere diligens, me rursus id suspicari vetat. cura igitur. plura enim non possum.*

CICERO ATTICO S. XXXIII.

EGO *hîc vel sine Sica (Tironi enim melius est) facillimè possem esse, vt in malis. sed, cùm scribas videndum mihi esse, ne opprimar, ex quo intelligam, te certum diem illius profectionis non habere; putaui esse commodiùs, me istuc venire; quod idem video tibi placere. cras igitur in Sicæ suburbano: inde, quemadmodum suades, puto me in Ficulensi fore. quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse venio, coram videbimus. tuam quidem & in agendis nostris rebus, & in consiliis ineundis, mihique*

dandis, in ipsis litteris, quas mittis, beneuolentiam, diligentiam, prudentiam mirifice diligo.

CICERO ATTICO S. XXXIIII.

TV *tamen, si quid cum Silio, vel illo ipso die, quo ad Sicam venturus ero, certiorem me velim facias, & maximè cuius loci detractionem fieri velit: quod enim scribis,* EXTREMI; *vide, ne is ipse locus sit, cuius caussa de tota re, vt scis, est à nobis cogitatum. Hirtij epistolam tibi misi, & recentem, & beneuolè scriptam. Ante, quam à te proximè discessi, nunquam mihi venit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse: quod non magnopere moueret, nisi nescio quomodo, ἀλόγως fortasse, nollem illud vllo nomine, nisi fani, appellari. quod si volumus, vereor, ne assequi non possimus, nisi mutato loco. hoc quale sit, quæso considera. nam etsi minùs vrgeor, méque ipse propemodum collegi: tamen indigeo tui consilij. itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quàm à me vis, aut pateris te rogari, vt hanc cogitationem toto pectore amplectare.*

CICERO ATTICO. S. XXXV.

FANVM *fieri volo; neque hoc mihi suada erui potest: sepulcri similitudinem effugere, non tam propter pœnam legis studeo, quàm vt maximè assequar*

ἀποθέωσιν: quod poteram, si in ipsa villa facerem. sed, vt sæpe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. in agro vbicunque fecero, mihi videor assequi posse, vt posteritas habeat religionem. hæ mea tibi ineptiæ (fateor enim) ferendæ sunt. non habeo, ne me quidem ipsum, quicum tam audacter communicem, quàm te. si tibi res, si locus, si institutum placet, lege, quæso, legem, mihíque eam mitte. si quid in mentem veniet, quo modo eam effugere possimus; vtemur. Ad Brutum si quid scribes, nisi alienum putabis, obiurgato eum, quòd in Cumano esse noluerit propter eam caussam, quam tibi dixit. cogitanti enim mihi, nihil tam videtur potuisse facere rusticè. Et, si tibi placebit sic agere de fano vt cœpimus, velim cohortere, & exacuas Cluatium: nam, etiam si alio loco placebit, illius nobis opera, consilióq; vtendum puto. Tu ad villam fortasse cras.

CICERO ATTICO S. XXXVI.

A TE *heri duas epistolas accepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die tabellario: accepíque ab Aegypta liberto eodem die, Piliam & Atticam planè belle se habere. hæ litteræ mihi redditæ sunt tertiodecimo die. Quod mihi Bruti litteras, gratum. ad me quoque misit. eam ipsam ad te epistolam misi, & ad eam exemplum mearum litterarum. De fano, si nihil mihi hortorum inuenis (qui quidem tibi inueniendi sunt, si me tanti facis, quanti certè facis) valde probo rationem tuam*

de Tusculano. quamuis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen, nisi magnæ curæ tibi esset, vt ego consequerer id, quod magnopere vellem, numquam ea res tibi tam bellè in mentem venire potuisset. sed nescio quo pacto celebritatem requiro. itaque hortos mihi conficias, necesse est. maxima est in Scapulæ celebritas; propinquitas præterea vbi sis, ne totum diem in villam. quare, antequam discedis, Othonem, si Romæ est, conuenias peruelim. si nihil erit, etsi tu meam stultitiam consuesti ferre, eò tamen progrediar, vti stomachere. Drusus enim certè vendere vult. si ergo aliud erit, non mea erit culpa, nisi emero: qua in re ne labar, quæso prouide. prouidendi autem vna ratio est, si quid de Scapulanis possumus. Et velim me certiorem facias, quàm diu in suburbano sis futurus. Apud Terentiam gratia opus est nobis tua, tuáque auctoritate. sed facies, vt videbitur. scio enim, si quid mea intersit, tibi maiori curæ solere esse, quàm mihi. Hirtius ad me scripsit, Sex. Pompeium Corduba exisse, & fugisse in Hispaniam citeriorem, Cnæum fugisse nescio quò. neque enim curo. nihil præterea noui. litteras Narbone dedit VIIII. KAL. *Mai. Tu mihi de Caninij naufragio, quasi dubia misisti. scribas igitur, si quid erit certius. Quod me à mæstitia auocas, multum leuaris, si locum fano dederis. multa mihi εἰς ἀποθέωσιν in mentem veniunt. sed loco valde opus est. quare etiam Othonem vide.*

CICERO ATTICO. S. XXXVII.

NON dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum. sed homo nequam, qui tuum commodum non exspectarit, cùm ob eam vnam caussam missus esset. nunc quidem, nisi quid te tenuit, suspicor te esse in suburbano. at ego hîc, scribendo dies totos, nihil equidem leuor, sed tamen aberro. Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato. quod Balbus minor nuper satis planè, Dolabella obscurè, hic apertissimè. ferrem grauiter, si nouæ ægrimoniæ locus esset. sed tamen ecquid impurius? ô hominem cauendum! quamquam mihi quidem. sed tenendus dolor est. Tu, quoniam necesse nihil est, sic scribes aliquid, si vacabis. Quod putas oportere peruideri iam animi mei firmitatem, grauiúsque quosdam scribis de me loqui, quàm aut te scribere, aut Brutum: si, qui me fractum esse animo, & debilitatum putant, sciant quid litterarum, & cuius generis conficiam; credo, si modò homines sint, existiment me, siue ita leuatus sim, vt animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse; siue hanc aberrationem a dolore delegerim, quæ maximè liberalissima, doctóque homine dignissima, laudari me etiam oportere. sed, cùm ego faciam omnia, quæ facere possim ad me adiuuandum; tu effice id, quod video te non minùs, quam me laborare. hoc mihi debere videor, neque leuari posse, nisi soluero,

ant videro me poſſe ſoluere, id eſt, locum, qualem volo, inuenero. Heredes Scapulæ, ſi iſtos hortos, vt ſcribis tibi Othonem dixiſſe, partibus quatuor factis, liceri cogitant: nihil eſt ſcilicet emptori loci. ſin venibunt: quid fieri poſſit, videbimus. nam ille locus Publicianus, qui eſt Treboniȷ, & Cuſiniȷ, erat ad me allatus. ſed ſcis aream eſſe. nullo pacto probo. Clodiæ ſane placent; ſed non puto eſſe venalis. De Druſi hortis, quamuis ab iis abhorreas, vt ſcribis, tamen eò confugiam, niſi quid inueneris. ædificatio me non mouet. nihil enim aliud ædificabo, niſi id, quod etiam, ſi illos non habuero. κῦρος δ', ε, miſic placuit, vt cetera Antiſthenis, hominis acuti magis, quàm eruditi.

CICERO ATTICO. S. XXXVIII.

TABELLARIVS *ad me cùm ſine litteris tuis veniſſet, exiſtimaui tibi eam cauſſam non ſcribendi fuiſſe, quòd pridie ſcripſiſſes ea ipſa, ad quæ reſcripſi hac epiſtola. exſpectaram tamen aliquid de litteris Aſiniȷ Pollionis. ſed nimium ex meo otio tuum ſpecto. quamquã tibi remitto, niſi quid neceſſe erit, neceſſe ne habeas ſcribere, niſi eris valde otioſus. De tabellariis facerem quod ſuades, ſi eſſent vllæ neceſſariæ litteræ, vt erant olim, cùm breuioribus diebus, tamen quotidie reſpõdebãt tempori tabellariȷ; & erat aliquid, Silius, Druſus, alia quædá. nũc, niſi Otho extitiſſet, quod ſcriberemus nõ erat. idipſum dilatũ eſt: tamen alleuor, cùm loquor tecũ*

absens, & multo etiam magis, cùm tuas litteras lego. sed quoniam & abes (sic enim arbitror) & scribendi necessitas nulla est, conquiescent litteræ, nisi quid noui extiterit.

CICERO ATTICO S. XXXIX.

QVALIS *futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. itaque misi librum ad Muscam, vt tuis librariis daret. volo enim eum diuulgari: quod quò faciliùs fiat, imperabis tuis.* Συμβουλευτικὸν *sæpe conor: nihil reperio: & quidem mecum habeo &* Ἀριστοτέλους, *&* Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον*: sed quid simile? illi, & quæ ipsis honesta essent, scribebant, & grata Alexandro. ecquid tu eiusmodi reperis? mihi quidem nihil in mentem venit. Quod scribis te vereri, ne & gratia & auctoritas nostra hoc meo mœrore minuatur: ego, quid homines aut reprehendant, aut postulent, nescio; ne doleam? qui potest? ne iaceam? quis vmquam minùs? dum tua me domus leuabat, quis à me exclusus? quis venit, qui offenderetur? Asturam sum à te profectus. legere isti læti, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quàm ego scripsi. quàm bene, nihil ad rem. sed genus scribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere posset. triginta dies in hortis fui. quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desiderauit? nunc ipsum,*

ea

ea lego, ea scribo, vt ij, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quàm ego laborem. si quis requirit, cur Romæ non sim: quia discessus est. cur non sim in his meis prædiolis, quæ sunt huius temporis: quia frequentiam illam non facile ferrem. ibi sum igitur, vbi is, qui optimas Baias habebat, quotannis hoc tempus consumere solebat. cùm Romam venero, nec vultu, nec oratione reprehendar. hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi. constantia, & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. De hortis Scapulanis hoc videtur effici posse, aliud tua gratia, aliud nostra, vt præconi subiiciantur. id nisi fit, excludemur. sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis nostra cupiditate. Nã quod ad me de Lentulo scribis, non est in eo. Faberiana modò res certa sit, túque enitare, quod facis; quod volumus consequemur. Quod quæris, quàm diu hîc; paucos dies. sed certum non habeo. simul ac constituero, ad te scribam: & tu ad me, quàm diu in suburbano sis futurus. quo die ego ad te hæc misi, de Pilia, & Attica mihi quoque eadem, quæ scribis, & scribuntur, & nuntiantur.

CICERO ATTICO S. XL.

NIHIL *erat, quod scriberem. scire tamen volebam, vbi esses; si abes, aut afuturus es, quando rediturus esses. facies igitur me certiorem. Et, quod tu scire volebas, ego quando ex hoc loco; postridie*

Idus Lanuuij constitui manere; inde postridie in Tusculano, aut Romæ. vtrum sim facturus, eo ipso die scies. Scis, quàm sit φιλαίτιον συμφορά, minimè in te quidem: sed tamen auidè sum affectus de fano: quod nisi, non dico, effectum erit, sed fieri videro; audebo hoc dicere (& tu, vt soles, accipies) incursabit in te dolor meus, non iure ille quidem; sed tamen feres hoc ipsum, quod scribo, vt omnia mea fers, ac tulisti. omnes tuas consolationes vnã hanc in rem velim conferas. si quæris, quid optem: primùm Scapulæ, deinde Clodiæ; postea, si Silius nolet; Drusus aget iniuste; Cusinij & Trebonij. puto Terentium esse dominum, Rebilum fuisse certè scio. sin autem tibi Tusculanum placet, vt significasti quibusdam litteris, tibi assentiar. hoc quidem vtique perficies, si me leuari vis; quem iam etiã grauiùs accusas, quàm patitur tua consuetudo: sed facis summo amore, & victus fortasse vitio meo: sed tamen, si me leuari vis, hac est summa leuatio: vel (si verum scire vis) vna. Hirtij epistolam si legeris, quæ mihi quasi πρόπλασμα videtur eius vituperationis, quam Cæsar scripsit de Catone; facies me, quid tibi visum sit, si tibi erit commodum, certiorem. Redeo ad fanum. nisi hac æstate absolutum erit, quam vides integram restare, scelere me liberatum non putabo.

CICERO ATTICO. S. XLI.

NVLLVM *à te desideraui diem litterarum. videbam enim quæ scribis: & tamen suspicabar, vel*

potius intelligebam, nihil fuiſſe, quod ſcriberes. A.D. VI. ID. *verò & abeſſe te putabam, & planè videbam nihil te habere. ego tamen ad te ferè quotidie mittam. malo enim fruſtra, quàm te non habere, cui des; ſi quid forte ſit, quod putes me ſcire oportere. itaque accepi* VI. ID. *litteras tuas inanes. quid enim habebas, quod ſcriberes? mi tamen illud, quidquid erat, non moleſtum fuit,* NIHIL ALIVD; *ſcire me, noui te nihil habere. ſcripſiſti tamen neſcio quid de Clodia. vbi ergo ea eſt: aut quando ventura? placet mihi res ſic, vt ſecundum Othonem nihil magis. ſed neque hanc vendituram puto. delectatur enim, & copioſa eſt: & illud alterum quàm ſit difficile, te non fugit. ſed obſecro enitamur, vt aliquid ad id, quod cupio, excogitemus. Ego me hinc poſtridie exiturum puto, ſed aut in Tuſculanum, aut domum; inde fortaſſe Arpinum. cùm certum ſciero, ſcribam ad te. Venerat mihi in mentem monere te, vt id ipſum, quod facis, faceres. putabam enim commodiùs te idem iſtud domi agere poſſe, interpellatione ſublata.*

CICERO ATTICO S. XLII.

EGO *poſtridie Idus, vt ſcripſi ad te ante, Lanuuij manere cōſtitui; inde aut Romæ, aut in Tuſculano. ſcies ante vtrumque. Quod ſiles rectè mi illam rem fore leuamento; bene facis; cùm id eſſet, mihi crede, perinde, vt exiſtimare tu non poſſes. res indicat, quanto opere id cupiā, cùm tibi audeā confiteri;*

quem id non ita valde probare arbitrer. ſed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus? immo verò etiam adiuuandus. De Othone, diffido, fortaſſe quia cupio. ſed tamen maior etiam res eſt, quàm facultates noſtræ, præſertim aduerſario & cupido, & locuplete, & herede. proximũ eſt, vt velim Clodiæ. ſed ſi iſta minus confici poſſunt, effice quiduis. ego me maiore religione, quàm quiſquam fuit vllius voti, obſtrictum puto. videbis etiam Trebonianos: etſi abſunt domini. ſed, vt ad te heri ſcripſi, conſiderabis etiam de Tuſculano; ne æſtas effluat: quod certè non eſt committendum.

CICERO ATTICO S. XLIII.

ET *Hirtium aliquid ad te* συμπαθῶς *de me ſcripſiſſe facilè patior; (fecit enim humanè) & te eius epiſtolam ad me non miſiſſe, multo faciliùs. tu enim etiam humaniùs. Illius librum, quem ad me miſit de de Catone, propterea volo diuulgari à tuis, vt ex iſtorum vituperatione ſit illius maior laudatio. Quod per Muſtellam agis, habes hominem valde idoneum, meíque ſanè ſtudioſum iam inde à Pontiano. perfice igitur aliquid. quid autem aliud, niſi vt aditus ſit emptori? quod per quemuis heredem poteſt effici. ſed Muſtellam id perfecturum, ſi rogaris, puto. Mihi verò & locum, quem opto, ad id, quod volumus, dederis, & præterea* ἐγγήραμα. *Nam illa Silij, & Druſi non ſatis* οἰκοδεσποτικὰ *mihi videntur. quid enim ſedere totos dies in villa*

ista? igitur malim primum Othonis, deinde Clodiæ. si nihil fiet, aut Druso ludus est suggerendus, aut vtendum Tusculano. Quòd domi te inclusisti, ratione fecisti. sed quæso confice, & te vacuum redde nobis. Ego hinc, vt scripsi antea, postridie ID. Lanuuium, deinde postridie in Tusculano. contudi enim animum, & fortasse vici, si modò permansero. scies igitur fortasse cras, summum perendie. Sed quid est quæso? Philotimus nec arctim Pompeium teneri; (qua de re litterarum ad Clodium Patauinum missarum exemplum mihi Oppius, & Balbus miserant, se id factum arbitrari) bellúmque narrat reliquum satis magnum. solet omnino esse Fuluiniaster. sed tamen, si quid habes. volo etiam de naufragio Caniniano scire, quid sit.

CICERO ATTICO. S. XLIIII.

Ego hîc duo magna συντάγματα absolui. nullo enim alio modo à miseria quasi aberrare possum. tu mihi, etiam si nihil erit, quod scribas, quod fore ita video; tamen idipsum scribas velim, te nihil habuisse, quod scriberes, dummodò ne his verbis. De Attica, optimè. Ἀκηδία tua me mouet: etsi scribis nihil esse. In Tusculano eo commodiùs ero, quòd & crebriùs tuas litteras accipiam, & te ipsum non numquam videbo. nam ceteroqui ἀνεκτότερα erant Astura: nec hæc, quæ refricant, hîc me magis angunt. etsi tamen, vbicunque sum, illa sunt mecum. De Cæsare vicino scripseram ad te, quia

cognoram ex tuis litteris. eum σωίναον Quirino malo, quàm Saluti. Tu vero peruulga Hirtium. id enim ipsum putaram, quod scribis; vt, cùm ingenium amici nostri probaretur, ὑπόθεσις vituperandi Catonis irrideretur.

CICERO ATTICO. S. XLV.

VINCAM, *opinor, animum, & Lanuuio pergam in Tusculanum. aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est: (nam dolor idem manebit, tantùm mediocrius) aut nescio quid intersit, vtrum illuc nunc veniam, an ad decem annos. neque enim ista maior admonitio, quàm quibus assiduè cōficior, & dies & noctes. quid ergo? inquies: nihil litteræ? in hac quidem re, vereor ne etiam contra. nam essem fortasse durior. ξενῷ enim animo nihil agreste, nihil inhumanum est.*

CICERO ATTICO S. XLVI.

TV *igitur, vt scripsisti; nec id incommodo tuo. vel binæ enim poterunt litteræ. occurram etiam, si necesse erit. ergo id quidem, vt poteris. De Mustella; vt scribis: etsi magnum opus est. eo magis delabor ad Clodiam. quamquam in vtroque Faberianum nomen explorandum est: de quo, nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus; & quidem, vt res est, emere nos velle, nec posse sine isto nomine, nec audere re incerta. sed quando Clodia Romæ fu-*

tura est, & quia tanti rem aestimas, eo prorsus specto; non quin illud malim; sed & magna res est, & difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede: etsi de cupiditate nemini concedam: ceteris rebus inferiores sumus. sed haec coram. Hirtij librum, vt facis, diuulga. De Philotimo, idem & ego arbitrabar. Domum tuam pluris video futuram vicino Caesare. Tabellarium meum hodie exspectamus. nos de Pilia, & Attica certioris faciet.

CICERO ATTICO. S. XLVII.

DOMI te libenter esse facilè credo. sed velim scire, quid tibi restet, aut iam ne confeceris. ego te in Tusculano exspecto, eóque magis, quòd Tironi statim te venturum scripsisti, & addidisti, te putare opus esse. sentiebam omnino, quantum mihi praesens prodesses; sed multo magis post discessum tuum sentio. quamobrem, vt ante ad te scripsi, aut ego ad te totus, aut tu ad me, quod licebit.

CICERO ATTICO. S. XLVIII.

HERI non multo post, quàm tu à me discessisti, puto, quidam vrbani, vt videbantur, ad me mãdata, & litteras attulerũt à C. Mario C.F.C.N. multis verbis agere mecum per cognationem, quae mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi, aui sui, vt se defenderem: caussámque suam mihi perscripsit. rescripsi

patrono illi nihil opus esse, quoniam Cæsaris, propinqui eius, omnis potestas esset, viri optimi, & hominis liberalissimi: me tamen ei fauturum. O tempora! fore, cum dubitet Curtius Consulatum petere? Sed hæc hactenus. De Tirone, mihi cura est. sed iam sciam, quid agat. heri enim misi, qui videret: cui etiam ad te litteras dedi. Epistolam ad Cæsarem tibi misi. horti quam in diem proscripti sint, velim ad me scribas.

CICERO ATTICO S. XLIX.

VT *me leuarat tuus aduentus, sic discessus afflixit. quare cùm poteris, id est cum Sexti auctioni operam dederis, reuises nos. vel vnus dies mihi erit vtilis; quid dicam, gratus? ipse Romam venirem, vt vna essemus, si satis consilium quadam de re haberem.*

CICERO ATTICO. S. L.

TIRONEM *habeo citiùs, quàm verebar. venit etiam Nicias: & Valerium hodie audiebam esse venturum. quamuis multi sint, magis tamen ero solus, quàm si vnus esses. sed exspecto te, à Peduceo vtique. tu autem significas aliquid etiam ante. verùm id quidem, vt poteris. De Virgilio, vt scribis. hoc tamen velim scire, quando auctio. Epistolam ad Cæsarem mitti, video tibi placere. quid quæris? mihi quoque hoc idem maximè placuit, &*

eo magis, quòd nihil est in ea, nisi optimi ciuis; sed ita optimi, vt tempora, quibus parere omnes πολιτικοὶ præcipiunt. sed scis ita nobis esse visum, vt isti ante legerent. tu igitur vt curabis. sed, nisi planè iis intelliges placere, mittenda non est. id autem vtrum illi sentiant, ánne simulent, tu intelliges. mihi simulatio pro repudiatione fuerit. τοῦτο δὲ μῆα ζοπι? De Cærellia quid tibi placeret, Tiro mihi narrauit: debere, non esse dignitatis meæ: perscriptionem tibi placere: hoc metuere, alterum in metu non ponere. sed & hæc, & multa alia coram. sustinenda tamen, si tibi videbitur, solutio est nominis Cærelliani, dum & de Metone, & de Faberio sciamus.

CICERO ATTICO S. LI.

L. TVLLIVM *Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. ab eius sororis viro litteras accepi, Montanum Planco debere, quòd præs pro Flaminio sit,* HS XXV: *de ea re nescio quid te à Montano rogatum. sanè velim, siue Plancus est rogandus, siue qua re potes illum iuuare, iuues. pertinet ad nostrum officium. si res tibi fortè notior est, quàm mihi; aut si Plancum rogandum putas; scribas ad me velim; vt, quid rei sit, & quid rogandum, sciam. De epistola ad Cæsarem quid egeris, exspecto. De Silio, non ita sanè laboro. tu mi aut Scapulanos, aut Clodianos efficias, necesse est. sed nescio quid videris dubitare de Clodia; vtrum, quando veneant, an síntne venales? Sed quid est,*

quod audio, Spintherem fecisse diuortium? De lingua latina securi es animi, dices, qui talia conscribis: ἀπόγραφα sunt: minore labore fiunt: verba tantum affero, quibus abundo.

CICERO ATTICO. S. LII.

E G O, *etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui videor. Hîc nobiscum sunt Nicias, & Valerius. hodie tuas litteras exspectabamus matutinas. erunt fortasse alteræ postmeridianæ, nisi te Epeirotica litteræ impedient: quas ego non interpello. Misi ad te epistolas ad Marcianum, & ad Montanum. eas in eundem fasciculum velim addas, nisi fortè iam dedisti.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER XIII.

CICERO ATTICO S. I.

AD CICERONEM *ita scripsisti, ulli ut neque seuerius, neque temperatius scribi potuerit; nec magis, quam quemadmodum ergo maxime vellem. prudentissime etiam ad Tullios. quare aut ista proficient, aut aliud agamus. De pecunia verò, video à te omnem diligentiam adhiberi, vel potius iam adhibitam: quod si efficis, à te hortos habebo. nec verò vllum genus possessionis est, quod malim, maximè scilicet ob eam caussam, quæ suscepta est; cuius festinationem mihi tollis, quoniam de æstate polliceris, vel potius recipis: deinde etiam ad* καταβίωσιν, *mæstitiámque minuendam nihil mihi reperiri potest aptius: cuius rei cupiditas impellit me interdum, vt te hortari velim. sed me ipse reuoco. non enim dubito, quin, quod me valde velle putes, in eo tu me ipsum cupiditate vincas. itaq; istuc iam pro facto habeo. Exspecto, quid istis placeat de epistola ad Cæsarem. Nicias te, vt debet, amat, vehementérq; tua sui memoria delectatur. Ego verò Peduceum nostrum vehementer diligo. nam ecquãti patrem feci, totum in hunc: ipsum per se æquè amo, atq; illum amaui: te verò plurimũ, qui hoc ab vtroq;*

noſtrum fieri velis. Si hortos inſpexeris, & ſi de epiſtola certiorem me feceris, dederis mihi quod ad te ſcribam: ſin minus, ſcribam tamen aliquid. numquam enim deerit.

CICERO ATTICO S. II.

GRATIOR *mihi celeritas tua, quàm ipſa res. quid enim indignius? ſed iam ad iſta obduruimus, & humanitatem omnem exuimus. Tuas litteras hodie exſpectabam, nihil equidem vt ex iis noui: quid enim? verumtamen. Oppio, & Balbo epiſtolas deferri iubebis, & tamen Piſonem ſicubi de auro. Faberius ſi venerit, videbis vt tantũ attribuatur, ſi modò attribuetur, quantum debetur. accipies ab Erote. Ariarathes Ariobarzani filius Romam venit. vult, opinor, regnum aliquod emere à Cæſare. nam, quo modo nunc eſt, pedem vbi ponat in ſuo, non habet. omnino eum Seſtius noſter parochus publicus occupauit: quod quidem facilè patior. verumtamen, quòd mihi, ſummo beneficio meo, magna cum fratribus illius neceſſitudo eſt, inuito eum per litteras, vt apud me diuerſetur. ad eam rem cùm mitterem Alexandrum, has ei dedi litteras. Cras igitur auctio Peducei. cùm poteris ergo: etſi impediet fortaſſe Faberius: ſed tamen, cùm licebit. Dionyſius noſter grauiter queritur, & tamen iure, à diſcipulis abeſſe tam diu. multis verbis ſcripſit ad me, credo item ad te. mihi quidem videtur etiam diutiùs afuturus: ac nollem. valde enim hominem deſidero.*

CICERO ATTICO. S. III.

A TE *litteras exspectabam; non dum scilicet. nam has mane rescribebã. Ego verò ista nomina sic probo, vt nihil aliud me moueat, nisi quod tu videris dubitare. illud enim non accipio in bonã partem, quod ad me refers: qui si ipse negotiũ meũ gererem, nihil gererem, nisi consilio tuo. sed tamen intelligo, magis te id facere diligentia, qua semper vteris, quàm quòd dubites de nominibus istis. etenim Cœlium non probas: plura non vis. vtrumque laudo. his igitur vtendum est. præs aliquando factus esses, & in his quidem tabulis. à me igitur omnia. quòd dies longior est, (teneamus modò quod volumus) puto fore istam etiam à præcone diem, certè ab heredibus. De Crispo & Mustella videbis: & velim scire, quæ sit pars duorum. De Bruti aduentu eram factus certior. attulerat enim ab eo Aegypta libertus litteras. misi ad te epistolam, quia commodè scripta erat.*

CICERO ATTICO S. IIII.

HABEO *munus à te elaboratum de decem legatorum; & quidem puto. nam filius anno post Quæstor fuit, quàm Consul Mummius. sed quoniam sæpius de nominibus quæris quid placeat; ego quoque tibi sæpius respondeo, placere. Si quid poteris cum Pisone, conficies: Auius enim videtur in offi-*

cio futurus. Velim ante possis: si minùs, utique simul simus cùm Brutus veniet in Tusculanum. magni interest mea, unà nos esse. scies autem, qui dies is futurus sit, si puero negotium dederis, ut quærat.

CICERO ATTICO S. V.

SP. MVMMIVM *putaram in decem legatis fuisse: sed videlicet. etenim εὔλογον fratri fuisse. fuit enim ad Corinthum. misi tibi Torquatum. colloquere tu quidem cum Silio, ut scribis, & urge: illam diem negabat esse mense Maio, istam non negabat. sed tu, ut omnia, istuc quoque ages diligenter. De Crispo & Mustella, scilicet cùm quid egeris. Quoniam ad Bruti aduentum fore te nobiscum pol liceris, satis est, præsertim cùm hi tibi dies in magno nostro negotio consumantur.*

CICERO ATTICO S. VI.

DE *aquaductu probè fecisti. columnarium, vide, ne nullum debeamus. quamquam mihi videor audisse à Camillo, cõmutatam esse legem. Pisoni, quid est, quod honestiùs respondere possimus, quàm solitudinem Catonis? nec coheredibus solùm Herennianis, sed etiam, ut scis, (tu enim mecum egisti) de puero Lucullo: quam pecuniam tutor (nam hoc quoque ad rem pertinet) in Achaia sumpserat. sed agit liberaliter, quoniam negat se quicquam factu-*

rum contra nostram voluntatem. coram igitur, vt scribis, constituemus, quemadmodum rem explicemus. Quod reliquos coheredes conuenisti, planè bene fecisti. Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum, sed tamen saluum est, & ait Tiro te habere oportere: &, vt recordor, vnà cum illius obiurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi. Iudiciali molestia vt caream, videbis. Tuditanum istum, proauum Hortensii, planè non noram; & filium, qui tum non potuerat esse legatus, fuisse putaram. Mummium fuisse ad Corinthum, pro certo habeo. sæpe enim hic Spurius, qui nuper, st, epistolas mihi pronuntiabat versiculis facetis, ad familiares missas à Corintho. sed non dubito, quin fratri fuerit legatus, non in decem. atque hoc etiam accepi, non solitos maioris nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarij, vt nos ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potiùs, M. Lucullum, & L. Murenam, & ceteros coniunctissimos ad L. Lucullum misimus. illúdq; εὐλογώτατον, illum fratri in primis eius legatis fuisse. operam tuam multam! qui & hæc cures, & mea expedias, & sis in tuis multo minùs diligens, quàm in meis.

CICERO ATTICO S. VII.

SESTIVS apud me fuit, & Theopōpus pridie: venisse à Cæsare narrabat litteras; hoc scribere, sibi certū esse Romæ manere; caussámq; eam adscribere,

sed mansit inuitatus. Trebatium nobiscum habemus. hodie mane Dolabellá. multus sermo ad multum diem. nihil possum dicere ἐκτενέστερον, nihil φιλοστοργότερον. ventum est tamen ad Quinctum. multa ἄφατα, ἀδιήγητα: sed vnum eiusmodi, quod nisi exercitus sciret, non modo Tironi dictare, sed ne ipse quidem auderem scribere. sed hactenus. εὐκαίρως ad me venit, cùm haberem Dolabellam, Torquatus; humanissiméque Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit. commodùm enim egeram diligentissimè: quæ diligentia grata est visa Torquato. A te exspecto, si quid de Bruto. quamquam Nicias confectum putabat: sed diuortium non probari. quo etiam magis laboro idem, quod tu. si quid est enim offensionis, hac res mederi potest. mihi Arpinum eundum est. nam & opus est constitui à nobis illa prædiola; & vereor, ne exeundi potestas non sit, cùm Cæsar venerit: de cuius aduentu eam opinionem Dolabella habet, quam tu coniecturam faciebas ex litteris Messallæ. cùm illuc venero, intellexeróque quid negotij sit; tum, ad quos dies rediturus sim, scribam ad te.

CICERO ATTICO S. X.

MINIME *miror te & grauiter ferre de Marcello, & plura vereri periculi genera. quis enim hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec videbatur natura ferre, vt accidere posset? omnia igitur metuenda. sed illud περὶ τὴν ἱστορίαν, tu præsertim:*

ME RELIQVVM CONSVLAREM. *quid? tibi Seruius, quid videtur? quamquam hoc nullam ad partem valet ſcilicet, mihi præſertim, qui non minùs bene actum cum illis putem. quid enim ſumus? aut quid eſſe poſſumus? domíne, an foris? quod niſi mihi hoc veniſſet in mentem ſcribere iſta neſcio quæ, quò verterem me, non haberem. ad Dolabellam, vt ſcribis, ita puto faciendum, κοινότερα quædam, & πολιτικώτερα. faciendum certè aliquid eſt. valde enim deſiderat. Brutus ſi quid egerit, curabis vt ſciam: cui quidem quamprimum agendum puto, præſertim ſi ſtatuit. ſermunculum enim omnem aut reſtinxerit, aut ſedarit. ſunt enim, qui loquantur etiam mecum. Sed hæc ipſe optimè, præſertim ſi etiam tecum loquetur. Mihi eſt in animo proficiſci* XI. KAL. *hîc enim nihil habeo quod agam, ne hercule illic quidem, nec vſquam; ſed tamen aliquid illic. Hodie Spinterem exſpecto. miſit enim Brutus ad me: per litteras purgat Cæſarem de interitu Marcelli: in quem, ne ſi inſidiis quidem ille interfectus eſſet, caderet vlla ſuſpicio. nunc verò, cùm de Magio conſtet, nónne furor eius cauſſam omnem ſuſtinet? planè, quid ſit, non intelligo. explanabis igitur. quamquam nihil habeo, quod dubitem, niſi, ipſi Magio quæ fuerit cauſſa amentiæ: pro quo quidem etiam ſponſor Sunij factus eſt. nimirum id fuit. ſoluendo enim non erat. credo eum petiiſſe à Marcello aliquid, & illum, vt erat, conſtantiùs reſpondiſſe, ὀυ ταυτὸν εἶδος.*

CICERO ATTICO S. XI.

CREDEBAM *esse facile. totum est aliud, postea quàm sum à te diiunctior. sed fuit faciendum, vt & constituerem mercedulas prædiorum, & ne magnum onus obseruantiæ Bruto nostro imponerem. posthac enim poterimus cõmodiùs colere inter nos in Tusculano. hoc autem tempore, cùm ille me quotidie videre vellet, ego ad illum ire non possem, priuabatur omni delectatione Tusculani. tu igitur, si Seruilia venerit, si Brutus quid egerit, etiam si constituerit, quando obuiam: quidquid denique erit, quod scire me oporteat, scribes. Pisonem, si poteris, conuenies. vides, quàm maturum sit: sed tamen, quod commodo tuo fiat.*

CICERO ATTICO. S. XII.

VALDE *me momorderunt epistolæ tuæ de Attica nostra: eædem tamen sanauerunt. quòd enim te ipse consolabare eisdem litteris, id mihi erat satis firmum ad leniendam ægritudinem. Ligarianam præclare vendidisti. posthac quidquid scripsero, tibi præconium deferam. Quod ad me de Varrone scribis, scis me ante orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, vt Varronem nusquam possem intexere. postea autem quam hæc cœpi φιλολογώτερα, iam Varro mihi denũtiauerat magnã sanè, & grauem προσφώνησιν. biennium præterijt, cùm ille*

Καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit. ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, vt αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, si modò potuissem. nam hoc etiam Hesiodus adscribit, αἴκε δύνηαι. nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν, sanè mihi probatam, Bruto, vt tibi placuit, despondimus: idque tu eum non nolle mihi scripsisti. ergo illam, ἀκαδημικὴν, in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acutè loquuntur, ad Varronem transferamus. etenim sunt Ἀντιόχεια: quæ iste valde probat. Catulo & Lucullo alibi reponemus; ita tamen, si tu hoc probas: déque eo mihi rescribas velim. De Brinniana auctione accepi à Vestorio litteras. ait, sine vlla controuersia rem ad me esse collatam (Romæ videlicet, aut in Tusculano me fore putauerunt) A.D. VIII. KAL. Quinct. dices igitur vel amico tuo, S. Vettio coheredi meo, vel Labeoni nostro, paulum proferant auctionem; me circiter Nonas in Tusculano fore. cum Pisone Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus. dies adest.

CICERO ATTICO. S. XIII.

COMMOTVS tuis litteris, quòd ad me de Varrone scripseras, totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulique ad nostrum sodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor. grandiores sunt omnino, quàm erant illi; sed tamen multa detracta. tu autem mihi peruelim scribas,

quî intellexeris illum velle. illud verò vtique scire cupio, quem intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι, nisi forte Brutum: id hercle restabat: sed tamen scire peruelim. libri quidem ita exierunt, (nisi fortè me communis φιλαυτία decipit) vt in tali genere ne apud Græcos quidem simile quicquam. tu illam iacturam feres æquo animo, quòd illa, quæ habes de Academicis, frustra descripta sunt. multo tamen hæc erunt splendidiora, breuiora, meliora. nunc autem ἀπορῶ, quò me vertam. volo Dolabellæ valde desideranti. non reperio, quid: & simul αἰδέομαι Τρῶας: neque, si aliquid, quî potero μέμψιν effugere. aut cessandum igitur, aut aliquid excogitandum. sed quid hæc leuia curamus? Attica mea, obsecro te, quid agit? quæ me valde angit. sed crebro regusto tuas litteras: in his acquiesco. tamen exspecto nonas.

CICERO ATTICO S. XIV.

BRINNII *libertus, coheres noster, scripsit ad me, velle, si mihi placeret, coheredes, & Sabinum Albium ad me venire. id ego planè nolo. hereditas tanti non est. & tamen obire auctionis diem facile poterunt, (est enim* III. ID.) *si me in Tusculano postridie Nonas mane conuenerint. quod si laxius volent proferre diem, poterunt vel biduum, vel triduum, vel vt videbitur. nihil enim interest. quare, nisi iam profecti sunt, retinebis homines. De Bruto, si quid erit: de Cæsare, si quid scies; si quid*

erit præterea, scribes. Illud etiam atque etiam considerés velim, placeátne tibi mitti ad Varronem quod scripsimus. etsi etiam ad te aliquid pertinet. nam scito, te ei dialogo adiunctum esse tertium. opinor igitur considèremus: etsi nomina iam facta sunt. sed vel induci, vel mutari possunt.

CICERO ATTICO S. XV.

QVID *agit, obsecro te, Attica nostra? nam triduo abs te nullas acceperam: nec mirum: nemo enim venerat: nec fortasse caussa fuerat. itaque ipse quid scriberem non habebam. quo autem die has Valerio dabam, exspectabam aliquem meorum: qui si venisset, & à te quid attulisset, videbam non defuturum quod scriberem.*

CICERO ATTICO S. XVI.

NOS, *cùm flumina, & solitudines sequeremur, quo facilius sustentare nos possemus, pedem è villa adhuc egressi non sumus; ita magnos, & assiduos imbris habebamus. Illam Academicen σύνταξιν totam ad Varronem traduximus. primò fuit Catuli, Luculli, Hortensii. deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quòd erat hominibus nota, non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in iis rebus ἀτεχνία; simul ac veni ad villam, eosdem illos sermones ad Catonem, Brutúmque transtuli. ecce tua littera de Varrone. nemini visa est aptior Ἀντιόχεια ratio. sed*

tamen velim scribas ad me, primùm placeátne tibi aliquid ad illum; deinde, si placebit, hócne potissimum. Quid Seruilia, iam ne venit? Brutus ecquid agit, ecquando? De Cæsare quid auditur? Ego ad Nonas, quemadmodum dixi. Tu cum Pisone, si quid poteris.

CICERO ATTICO S. XVII.

V. KAL. *exspectabam Roma aliquid; non quò imperassem. igitur aliquid tuis. nunc eadem illa, quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit, ecquid à Cæsare. sed quid ista, quæ minùs curo? Attica nostra quid agat, scire cupio. etsi tuæ litteræ (sed iam nimis veteres sunt) rectè sperare iubent. tamen exspecto recens aliquid.*

CICERO ATTICO S. XVIII.

VIDES, *propinquitas quid habeat. nos verò conficiamus hortos. colloqui videbamur, in Tusculano cùm essem; tanta erat crebritas litterarum. sed id quidem iam erit. ego interea admonitu tuo perfeci sanè argutulos libros ad Varronem: sed tamen exspecto, quid ad ea, quæ scripsi ad te: primùm, qui intellexeris eum desiderare a me, cùm ipse homo πολυγραφώτατος numquam me lacessisset: deinde, quem ζηλοτυπεῖν, nisi forte Brutum: quem si non ζηλοτυπεῖ, multo Hortensium minùs, aut eos qui de Rep. loquuntur. planè hoc mihi explices velim: in pri-*

mis, maneásne in sententia, vt mittam ad eum, quæ scripsi; an nihil necesse putes. sed hæc coram.

CICERO ATTICO. S. XIX.

COMMODVM *discesserat Hilarus librarius* IIII. KAL. *cui dederam litteras ad te, cùm venit tabellarius cum tuis litteris pridie datis: in quibus illud mihi gratissimum fuit, quòd Attica nostra rogat te, ne tristis sis, quódque tu ἀκίνδυνα esse scribis. Ligarianam, vt video, præclarè auctoritas tua commendauit. scripsit enim ad me Balbus, & Oppius, mirificè se probare; ob eámque caussam ad Cæsarem eam se oratiunculam misisse. hoc igitur idem tu mihi antea scripseras. In Varrone ista caussa me non moueret, ne viderer φιλένδοξος: (sic enim constituebam, neminem includere in dialogos eorum, qui viuerent) sed, quia scribis & desiderari à Varrone, & magni illum æstimare, eos confeci: & absolui, nescio quàm bene, sed ita accuratè, vt nihil posset supra, Academicam omnem quæstionem libris quattuor. in eis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclarè collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea ipse respondeo: tu es tertius in sermone nostro. si Cottam, & Varronem fecissem inter se disputantis, vt à te proximis litteris admoneor; meum κωφὸν πρόσωπον esset. hoc in antiquis personis suauiter fit, vt & Heraclides in multis, & nos sex de Rep. libris fecimus. sunt etiam de oratore nostri tres, mihi vehementer probati. in eis quoque eæ personæ sunt, vt mi-*

hi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Iulius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. puero me hic sermo inducitur, vt nullæ esse possent partes meæ. quæ autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, vt penes ipsum sit principatus. ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, vt Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni darem. ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quod omnes illi decesserant. hæc Academica, vt scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. sanè in personas non cadebant. erant enim λογικώτερα, quam vt illi de iis somniasse vmquam viderentur. itaque, vt legi tuas de Varrone, tanquam ἕρμαιον arripui. aptius esse nihil potuit ad id philosophiæ genus, quo ille maximè mihi delectari videtur, measque partis, vt non sim consecutus, vt superior mea caussa videatur. sunt enim vehementer πιθανὰ Antiochia: quæ diligenter à me expressa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum; si modo is est aliquis in nobis. sed tu, dandósne putes hos libros Varroni, etiam atque etiam videbis. mihi quædam occurrunt: sed ea coram.

CICERO ATTICO S. XX.

A CAESARE *litteras accepi consolatorias, datas prid.* KAL. *Mai. Hispali. De vrbe augenda quid sit promulgatum, non intellexi: id sane scire velim. Torquato nostra officia grata esse, facile pa-*

tior: eáque augere non desinam. Ad Ligarianam de uxore Tuberonis, & priuigna, neque possum iam addere, (est enim res peruulgata) neque Tuberonem volo defendere. mirificè est enim φιλαίτιος. theatrum quidem sanè bellum habuisti. ego, etsi hoc loco facillime sustentor, tamen te videre cupio. itaque, vt constitui, adero. Fratrem credo à te esse conuentum. scire igitur studeo, quid egeris. De fama nihil sane laboro: etsi scripseram ad te tunc stulte; NIHIL MELIVS. *curandum enim non est. atqui hoc,* IN OMNI VITA SVA QVENQVE A RECTA CONSCIENTIA TRAVERSVM VNGVEM NON OPORTET DISCEDERE, *viden' quàm φιλοσόφως? an tu nos frustra existimas hæc in manibus habere? δεδῆχθαι te nollem, quod nihil erat. redeo enim rursus eodem. quicquámne me putas curare in toto, nisi vt ei ne desim? id ago scilicet, vt iudicia videar tenere. μὴ γὰρ αὐτοῖς? vellem tam domestica ferre possem, quàm ista contemnere. putas autem me voluisse aliquid, quod perfectum non sit? non licet scilicet sententiam suam: sed tamen quæ tum acta sunt, non possum non probare: & tamen non curare pulchrè possum, sicuti facio. sed nimium multa de nugis.*

CICERO ATTICO. S. XXI.

AD *Hirtium dederam epistolam sane grandem, quam scripseram proximè in Tusculano. Huic, quam tum mihi misisti, rescribam alias. nunc aliis*

malo. Quid possum de Torquato, nisi aliquid a Dolabella? quòd simul ac; continuo scietis: exspectabam hodie, aut summum cras ab eo tabellarios: qui simul ac venerint, mittentur ad te. A Quincto exspecto. proficiscens enim e Tusculano VIII. KAL. *vt scis, misi ad eum tabellarios. Nunc, ad rem vt redeam,* INHIBERE *illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. est enim verbum totum nauticum. quamquam id quidem sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, cùm inhibere essent remiges iussi. id non esse eiusmodi didici heri, cùm ad villam nostram nauis appelleretur. non enim sustinent, sed alio modo remigant. id ab* ἐποχῇ *remotissimum est. quare facies, vt ita sit in libro, quemadmodum fuit. dices hoc idem Varroni, nisi fortè mutauit. nec est melius quicqua, quam vt Lucullus*

Sustineat currum, vt bonus sæpe agitator, equósque.

sempérque Carneades προβολὴν *pugilis, & retentionem aurigæ, similem facit* ἐποχῇ. *inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis nauem conuertentis ad puppim. vides, quanto hoc diligentiùs curem, quam aut de rumore, aut de Pollione: de Pansa etiam, si quid certius (credo enim palam factum esse): de Critonio, si quid esset: certéne de Metello & Balbino. dic mihi, placétne tibi primum edere iniussu meo? hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is, qui Platonis libros solitus est diuulgare; ex quo,* λόγοισιν Ἑρμόδωρος. *quid illud? rectúmne existimas cuiquam ante, quam Bruto? cui te auctore,*

προσφωνῶ. *scripsit enim Balbus ad me se à te quinctum de finibus librum descripsisse: in quo non sanè multa mutaui: sed tamen quedam. tu autem commodè feceris, si reliquos continueris, ne & ἀδιόρθωτα habeat Balbus, & ἕωλα Brutus. sed hec hactenus ne videar περὶ μικρὰ σπουδάζειν. etsi nunc quidem maxima mihi sunt hec. quid est enim aliud? Varroni quidem quæ scripsi te auctore, ita propero mittere, vt iam Romam miserim describenda. ea si voles, statim habebis. scripsi enim ad librarios, vt fieret tuis, si tu velles, describendi potestas. ea verò continebis, quoad ipse te videam; quod diligentissimè facere soles, cùm à me tibi dictum est. cùm autem fugit me tibi dicere, mirificè Cærelia studio videlicet philosophiæ flagrans describit à tuis: istos ipsos de finibus habet. ego autem tibi confirmo, (possum falli, vt homo) à meis eam non habere. numquam enim ab oculis meis afuerunt. tantum porro aberat, vt binos scriberent; vix singulos confecerunt. tuorum tamen ego nullum delictum arbitror; idémque te volo existimare. à me enim prætermissum est, vt dicerem, eos exire nō dum velle. Hui quàm diu de nugis? de re enim nihil habeo, quod loquar. De Dolabella tibi assentior. coheredes, vt scribis, in Tusculano. De Cæsaris aduentu, scripsit ad me Balbus, non ante KAL. Sext. De Attica optimè, quòd leniùs, ac leniùs, & quòd fert εὐκόλως. Quod autem de illa nostra cogitatione scribis, in qua nihil tibi cedo; ea, quæ noui, valde probo; hominem, domum, facultates. quod caput est,*

ipsum non noui: sed audio laudabilia de Scrofa. etiam proximè accedit, si quid hoc ad rem: ἐυγενέστερος est etiam, quam pater. coram igitur, & quidem propenso animo ad probandum. accedit enim, quod patrem, vt scire te puto, plus etiam, quàm non modo tu, sed quàm ipse scit, amo, ídque & merito, & iam diu.

CICERO ATTICO S. XXII.

DE VARRONE, *non sine caussa, quid tibi placeat, tam diligenter exquiro. occurrunt mihi quædam. sed ea coram. te autem ἀσμενέστατα intexui, faciámque id crebrius. proximis enim tuis litteris primùm, te id non nolle, cognoui. De Marcello, scripserat ad me Cassius antea; τὰ κατὰ μέρος Seruius. ò rem acerbã! ad prima redeo. Scripta nostra nusquam malo esse, quàm apud te: sed ea tum foras dari, cùm vtrique nostrum videbitur. ego & librarios tuos culpa libero, neque te accuso: & tamen aliud quiddam ad te scripseram, Cærelliam quædam habere, quæ nisi a te non potuerit. Balbo quidem intelligebam satisfaciendum fuisse: tantum nolebam, aut absoletum Bruto, aut Balbo inchoatum dari. Varroni, simul ac te videro, si tibi videbitur, mittam. quid autem dubitarim, cùm videro te, scies. Attributos quòd appellas, valde probè. Te de prædio auiæ exerceri, molestè fero. De Bruto nostro, perodiosum: sed vita fert. mulieres autem vix satis humanè, quæ inimico animo ferant.*

cum vtraque officio pareat. Tullium scribam, nihil fuit, quod appellares. nam tibi mandassem, si fuisset. nihil enim est apud eum positum nomine voti: sed est quiddam apud illum meum. id ego in hanc rem statui conferre. itaque & ego rectè tibi dixi, vbi esset: & tibi ille rectè negauit. sed hoc quoque ipsum continuò adoriamur. lucum hominibus non sane probo, quòd est desertior: sed habet εὐλογίαν. verùm hoc quoque, vt censueris; quippe qui omnia. Ego, vt constitui, adero: atque vtinam tu quoque eodem die. sin quid; (multa enim) vtique postridie. etenim coheredes: à quis sine te opprimi, malitia est. Alteris iam litteris nihil ad me de Attica. sed id quidem in optima spe pono. illud accuso, non te, sed illam, ne salutem quidem. at tu & illi, & Piliæ plurimam: nec me tamen irasci indicaris. Epistolam Cæsaris misi, si minùs legisses.

CICERO ATTICO. S. XXIII.

ANTEMERIDIANIS *tuis litteris heri statim rescripsi: nunc respondeo vespertinis. Brutus, mallem, me arcesseret. nam & æquius erat, cùm illi iter instaret & subitum, & longum: & mehercule nunc, cùm ita simus affecti, vt non possimus planè simul viuere, (intelligis enim profectò, in quo maximè posita sit συμβίωσις) facile patiebar nos potiùs Romæ vna esse, quam in Tusculano. libri ad Varronem non morabantur. sunt enim defixi, vt vidisti: tantum librariorum menda tolluntur: de quibus*

libris ſcis me dubitaſſe. ſed tu videris. item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarij. Mea mandata, vt ſcribis, explica: quamquam iſta retentione omnis ait vti Trebatius: quid tu iſtos putas? noſti domum. quare confice ἐναγώγως. incredibile eſt, quam ego iſta non curem. omni tibi aſſeueratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi maiori offenſioni eſſe, quam delectationi, poſſeſſiunculas meas. magis enim doleo, me non habere, quoi tradam, quàm habere, qui vtar. atque illud Trebatius ſe tibi dixiſſe narrabat. tu autem veritus es fortaſſe, ne ègo inuitus audirem. fuit id quidem humanitatis: ſed, mihi crede, iam iſta non curo. quare da te in ſermonem, & perſeca, & confice, excita, compella, loquere, vt te cum illo Scæua loqui putes. ne exiſtimes eos, qui non debita conſectari ſoleant, quod debeatur, remiſſuros. de die tantum videto, & id ipſum bono modo.

CICERO ATTICO. S. XXIIII.

QVID *eſt, quod Hermogenes mihi Clodius, Andromenem ſibi dixiſſe, ſe Ciceronem vidiſſe Corcyræ? ego enim audita tibi putarã. nil igitur ne ei quidem litterarum? an non vidit? facies ergo vt ſciam. Quid tibi ego de Varrone reſcribam? quattuor διφθέραι ſunt in tua poteſtate. quod egeris, id probabo. nec tamen αἰδέομαι Τρῶας: quid enim? ſed, ipſi quàm res illa probaretur, magis verebar. ſed quoniam tu ſuſcipis; in alteram aurem.*

CICERO ATTICO S. XXV.

De retentione, *rescripsi ad tuas accurate scriptas litteras. conficies igitur, & quidem sine vlla dubitatione, aut retrectatione. hoc fieri & oportet, & opus est. De Andromene, vt scribis, ita putaram. scisses enim, mihíque dixisses. Tu tamen ita mihi de Bruto scribis, vt de te nihil. quando autem illum putas? nam ego Romā pridie Idus. Bruto ita volui scribere, (sed quoniā tu te legisse scribis, fui fortasse ἀσυφίστερος) me ex tuis litteris intellexisse, nolle eum me quasi prosequendi sui caussa Romam nunc venire. sed quoniam iam adest meus aduentus, fac quæso, ne quid eum Idus impediant, quo minùs suo commodo in Tusculano sit. nec enim ad tabulam eum desideraturus eram. in tali enim negotio cur tu vnus non satis es? sed ad testamentum volebam: quod iam malo alio die; ne ob eam caussam Romam venisse videar. scripsi igitur ad Brutum, iam illud, quod putassem, Idib. nihil opus esse. velim ergo totum hoc ita gubernes, vt ne minima quidem re vlla Bruti commodum impediamus. Sed quid est tandem, quod perhorrescas, quia tuo periculo iubeam libros dari Varroni? etiam nunc si dubitas, fac vt sciamus. nihil est enim illis elegantius. volo Varronem, præsertim cùm ille desideret: sed est, vt scis,*

δεινὸς ἀνήρ: τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο.

ita mihi sæpe occurrit vultus eius, querentis fortasse

tasse vel hoc, meas partis in iis libris copiosiùs defensas esse, quàm suas: quod mehercule non esse intelliges, si quando in Epirum veneris. nam nunc Alexionis epistolis cedimus. sed tamen ego non despero probatum iri Varroni: & id, quoniam impensam fecimus in macrocola, facilè patior teneri. sed etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet. quare, si addubitas, ad Brutum transeamus. est enim is quoque Antiochius. ò Academiam volaticam, & sui similem, modo huc, modo illuc. sed, quæso, epistola mea ad Varronem valdéne tibi placuit? malè mi sit, si vmquam quicquam tam enitar ἔργον. *at ego ne Tironi quidem dictaui, qui totas* περιοχὰς *persequi solet, sed Spintharo syllabatim.*

CICERO ATTICO S. XXVI.

DE VIRGILII *parte valde probo. sic ages igitur. & quidem id erit primum; proximum Clodiæ. quòd si neutrum; metuo, ne turbem, & irruam in Drusum. intemperans sum in eius rei cupiditate, quam nosti. itaque reuoluor identidem in Tusculanum. quiduis enim potiùs, quàm vt non hac æstate absoluatur. Ego, vt tempus est nostrum, locum habeo nullum, vbi faciliùs esse possim, quàm Astura. sed quia qui mecum sunt (credo, quòd mæstitiam meam non ferunt) domum properant; etsi poteram remanere, tamen, vt scripsi tibi, proficiscar hinc, ne relictus videar. quò autem? Lanuuium? conor equidem in Tusculanum. sed faciam*

te statim certiorem. tu litteras conficies. equidem, credibile non est, quantum scribam die; quinetiam noctibus. nihil enim somni. heri etiam effeci epistolam ad Cæsarem. tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putares. ut quidem nunc est, nihil sanè est necesse mittere. sed id quidem, vt tibi videbitur. mittam tamen ad te exemplum fortasse Lannuuio, nisi fortè Romam. sed cras scies.

CICERO ATTICO. S. XXVII.

De epistola ad Cæsarem, nobis verò semper rectissimè placuit, vt isti ante legerent. aliter enim fuissemus & in hos inofficiosi, & in nosmetipsos, si illum offensuri fuimus, pæne periculosi. isti autem ingenuè; mihique gratum, quòd, quid sentirent, non reticuerunt: illud verò vel optimè, quòd ita multa mutari volunt, vt mihi de integro scribendi caussa non sit: quamquam de Parthico bello quid spectare debui, nisi quod illum velle arbitrabar? quod enim aliud argumentum epistolæ nostræ, nisi κολακία, fuit? an, si ea, quæ optima putaram, suadere voluissem, oratio mihi defuisset? totis igitur litteris nihil opus est. vbi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα vel non magnum, molestum futurum sit; quid opus est παρακινδυνεύειν? præsertim cùm illud occurrat, illum, cùm antea nihil scripserim, existimaturum, me, nisi toto bello confecto, nihil scripturum fuisse. at-

que etiam vereor, ne putet, me hoc quasi Catonis μείλιγμα esse voluisse. quid quaeris? valde me paenitebat. nec mihi in hac quidem re quicquam magis ut vellem, accidere potuit, quàm quod σπουδὴ nostra non est probata. incidissemus etiam in illos, in eis in cognatum tuum. sed redeo ad hortos. Planè illuc te ire, nisi tuo magno commodo, nolo. nihil enim urget. quidquid erit, operam in Faberio ponamus. de die tamen auctionis, si quid scies. Eum, qui è Cumano venerat, quòd & planè valere Atticam nuntiabat, & litteras se habere aiebat, statim ad te misi.

CICERO ATTICO. S. XXVIII.

HORTOS quoniam hodie eras inspecturus, quid visum tibi sit, cras scilicet. De Faberio autem, cùm venerit. De epistola ad Caesarem, iurato mihi crede, non possum; nec me turpitudo deterret, etsi maximè debebat. quàm enim turpis est assentatio, cùm vivere ipsum turpe sit nobis? sed ut coepi, non me hoc turpe deterret: ac vellem quidem: (essem enim, qui esse debeam) sed in mentem nihil venit. nam, quae sunt ad Alexandrum hominum eloquentium, & doctorum suasiones, vides quibus in rebus versentur. adolescentem, incensum cupiditate verissimae gloriae, cupientem sibi aliquid consilii dari, quod ad laudem sempiternam valeret, cohortantur. ad decus non deest oratio. ego quid possum? tamen nescio quid è quercu exculpseram, quod videretur simile simulacri. in eo quia non nulla erant paulo

meliora, quàm ea, quæ fiunt & facta sunt, reprehenduntur: quod me minimè pænitet. si enim peruenissent istæ litteræ, mihi crede, nos pæniteret. quid? tu non vides ipsum illum Aristoteli discipulum, summo ingenio, summa modestia, posteaquàm rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse? quid? tu hunc de Pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis lætaturum putas? ille verò potius non scripta desideret, quàm scripta non probet. postremò, vt volet. abiit illud, quod tum me stimulabat, quod tibi dabam, πρόβλημα ἀρχιμήδειον. multò mehercule magis nunc opto casum illum, quàm tum timebã, vel quemlibebit. Nisi quid te aliud impediet, mi optato veneris. Nicias à Dolabella magno opere arcessitus, (legi enim litteras) etsi inuito me, tamen eodem me auctore profectus est. Hoc manu mea.

CICERO ATTICO. S. XXIX.

CVM *quasi alias res quærerem de philologisè Nicia, incidimus in Talnam. ille de ingenio nihil nimis: modestum & frugi. sed hoc mihi non placuit. se scire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. filiam, vetulam sanè, & multarum nuptiarum: non esse probatum mulieribus, quòd ita reperirent, rem non maiorem* DCCC. *hoc putaui te scire oportere. De hortis ex tuis litteris cognoui, & Chrysippo. in villa, cuius insulsitatem bene noram video nihil, aut pauca mutata. balnearia ta-*

men laudat maiora: de minoribus ait hiberna effici posse. tecta igitur ambulatiuncula addenda est: quam vt tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, prope dimidio minoris constabit isto loco. ad id autem, quod volumus, ἀφίδρυμα, nihil aptius videtur, quàm lucus, quem ego noram: sed celebritatem nullam tum habebat: nunc audio maximam. nihil est, quod ego malim. in hoc τὸν τύφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον. Reliquum est, si Faberius nobis nomen illud explicat, noli quærere, quanti. Othonem vincas volo. nec tamen insaniturum illum puto. nosse enim mihi hominem videor. ita malè autem audio ipsum esse tractatum, vt mihi ille emptor non esse videatur. quid enim? pateretur? sed quid argumentor? si Faberianum explicas, emamus vel magno: sin minus, ne paruo quidem possumus. Clodiam igitur; à qua ipsa ob eam caussam sperare videor, quòd & multo minoris sunt, & Dolabellæ nomen iam expeditum videtur, vt etiam repræsentatione confidam. De hortis satis. Cras aut te, aut caussam: quam quidem futuram Faberianam. sed, si poteris.

CICERO ATTICO S. XXX.

CICERONIS epistolam tibi remisi. ô te ferreum, qui illius periculis non moueris! me quoque accusat. eam tibi epistolam misissem. nam illam alteram de rebus gestis eodem exemplo puto. In Cumanum hodie misi tabellarium. ei dedi tuas ad Ve-

storium, quas Pharnaci dederas. Commodùm ad te miserum Demeam, cùm Eros ad me venit. sed in eius epistola nihil erat noui, nisi, auctionem biduum. ab ea igitur, vt scribis: & velim, confecto negotio Faberiano: quem quidem negat Eros hodie. cras mane putat. à te colendus est. istæ autem κολακίαι non lõgè absunt à scelere. te, vt spero, perendie. Mi sicunde potes, erues, qui decem legati Mummio fuerint. Polybius non nominat. ego memini Albinum Consularem, & Sp. Mummium. videor audisse ex Hortensio, Tuditanum. sed in Libonis annali, XIIII. annis post Prætor est factus Tuditanus, quàm Consul Mummius: non sanè quadrat. ὑλλῶ aliquem Olympiæ, aut vbi visum, πολιτικὸν σύλλογον, more Dicæarchi, familiaris tui.

CICERO ATTICO. S. XXXI.

V. KAL. *manè accepi à Demea litteras pridie datas, ex quibus aut hodie, aut cras te exspectare deberem. sed, vt opinor, idem ego, qui exspecto tuum aduentum, morabor te. non enim puto tam expeditum Faberianum negotium futurum, etiam si est futurum, vt non habeat aliquid moræ. cùm poteris igitur, quoniam etiamdum abes. Dicæarchi, quos scribis, libros sanè velim mihi mittas: addas etiam καταβάσεως. De epistola ad Cæsarem, κεκύβικα. atque idipsum, quod isti aiunt illum scribere, se, nisi constitutis rebus, non iturum in Parthos;*

idem ego suadebam in illa epistola: sin; vtrum liberet, facere posse, auctore me. hoc enim ille exspectat videlicet, neque est facturus quicquam, nisi de meo consilio. obsecro, abiiciamus ista, & semiliberi saltem simus: quod assequemur & tacendo, & latendo. Sed & aggredere Othonem, vt scribis. confice, mi Attice, istam rem. nihil enim aliud reperio, vbi & in foro non sim, & tecum esse possim. quanti autem, hoc mihi venit in mentem. C. Albanius proximus est vicinus, is CIↃ *iugerum de M. Pilio emit, vt mea memoria est,* HS CXV. *omnia scilicet nunc minoris. sed accedit cupiditas: in qua, præter Othonem, non puto nos vllum aduersarium habituros. sed eum ipsum tu poteris mouere: faciliùs etiam, si Kanum haberes. ô gulam insulsam! pudet me patris. rescribes, si quid voles.*

CICERO ATTICO S. XXXII.

ALTERAM *à te epistolam cùm hodie accepissem, nolui te vna mea contentum. Tu verò age, quod scribis, de Faberio. in eo enim totum est positum id, quod cogitamus: quæ cogitatio si non incidisset, (mihi crede istuc, vt cetera) non laborarem. quamobrem, vt facis (istuc enim addi nihil potest) vrge, insta, perfice. Dicæarchi* περὶ ψυχῆς *vtrosque velim mittas, &* καταβάσεως. τριπολιτικὸν *non inuenio, & epistolam eius, quam ad Aristoxenum misit. tris eos libros maximè nunc vellem: apti essent ad id, quod cogito. Torquatus Romæ est. iussi,*

vt tibi daretur. Catulum, & Lucullum, vt opinor, antea. his libris noua proœmia sunt addita, quibus eorum vterque laudatur. eas litteras volo habeas: & sunt quædam alia. Et, quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti; credo, quia διὰ σημείων scripseram. de C. Tuditano enim quærebam, quem ex Hortensio audieram fuisse in decem: eum video in Libonis Prætorem P. Popillio, P. Rupilio COSS. *annis* XIIII. *ante, quàm Prætor factus est, legatus esse potuisset? nisi admodum serò Quæstor est factus: quod non arbitror. video enim Curulis magistratus eum legitimis annis perfacilè cepisse. Postumium autem, cuius statuam in Isthmo meminisse te dicis, in iis sciebam fuisse. is autem est, qui cum Lucullo fuit; quem tu mihi addidisti, sanè ad illum σύλλογον personam idoneam. videbis igitur, si poteris, ceteros; vt possimus πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις.*

CICERO ATTICO. S. XXXIII.

NEGLIGENTIAM *miram! semélne putas mihi dixisse Balbum, & Faberium, professionem relatam? quinetiam eorum iussu miseram, qui profiteretur. ita enim oportere dicebant. professus est Philotimus libertus. nosti credo librarium. sed scribes, & quidem confestim. Ad Faberium, vt tibi placet, litteras misi. cum Balbo autem puto te aliquid fecisse hodie in Capitolio. In Virgilio mihi nulla est δυσωπία. nec enim eius caussa sanè debeo:*

& , si emero, quid erit, quod postulet? sed videbis, ne is cùm sit in Africa, vt Cœlius. De nomine, tu videbis cum Cispio: sed, si Plancus destinat, tum habet res difficultatem. Te ad me venire vterq; nostrum cupit: sed ista res nullo modo relinquenda est. Othonem quòd speras posse vinci, sanè bene narras. de æstimatione, vt scribis, cùm agere cœperimus: etsi nihil scripsit nisi de modo agri. Cum Pisone, si quid poteris. Dicæarchi librum accepi: & καταβάσεως exspecto. Negotium dederis; repeperiet ex eo libro, in quo sunt S. C. Cn. Cornelio, L. Mummio COSS. De Tuditano autem, quod putas, εὔλογον est, tum illum, quoniam fuit ad Corinthum (non enim temere dixit Hortensius) aut Quæstorem aut Tribunum mil. ídque potiùs fuisse credo. tu de Antiocho scire poteris (videt iam) quo anno Quæstor, aut Tribunus mil. fuerit. si neutrum quadret, in præfectis, an in contubernalibus fuerit, modò fuerit in eo bello. De Varrone loquebamur; lupus in fabula. venit enim ad me, & quidem id temporis, vt retinendus esset. sed ego ita egi, vt non scinderem penulam. memini enim tuum: & multi erant, nósq; imparati. quid refert? paulo post C. Capito cum T. Carrinate. horum ego vix attigi penulam; tamen remanserunt: cecidítque bellè. sed casu sermo à Capitone de vrbe augenda. à ponte Muluio Tiberim duci secundum montis Vaticanos; campum Martium coædificari; illum autem campum Vaticanum fieri, quasi Martium campum. quid ais? inquam. at ego ad tabulam, vt, si rectè possem, Scapulanos

hortos. caue facias, inquit. nam iſta lex perferetur. vult enim Cæſar. audire me facilè paſſus ſum: fieri autem, moleſtè fero. ſed tu quid ais? quamquam quid quæro? noſti diligentiam Capitonis in rebus nouis perquirendis. non concedit Camillo. facies me igitur certiorem de Idibus. iſta enim me res adducebat. eò adiunxeram ceteras; quas conſequi tamen biduo, aut triduo poſt facile potero. te tamen in via confici minimè volo. quin etiam Dionyſio cognoſco. De Bruto quod ſcribis, feci vt ei liberum eſſet, quod ad me attineret: ſcripſi enim ad eum heri, Idib. Mai. eius opera mihi nihil opus eſſe.

CICERO ATTICO S. XXXIIII.

ASTVRAM *veni* VIII. KAL. *vitandi enim caloris cauſſa, Lanuuij* III. *horas acquieueram. tu velim, ſi graue non erit, efficias, ne ante Nonas mihi illuc veniendum ſit. id potes per Egnatium maximùm. Illud in primis, vt cum Publilio, me pæne abſente, conficias: de quo quæ fama ſit, ſcribes. id populus curat ſcilicet. non mehercule arbitror. etenim hæc decantata erat fabula. ſed complere paginam volui. quid plura? ipſe enim adſum, niſi quid tu prorogas. ſcripſi enim ad te de hortis.*

CICERO ATTICO. S. XXXV.

O REM *indignam! gentilis tuus vrbem auget; quam hoc biennio primùm vidit: & ei parum ma-*

gna visa est, quæ etiam ipsum capere potuerit. hac de re igitur exspecto litteras tuas. Varroni, scribis, te simul ac venerit. dati igitur iam sunt; nec tibi integrum est: hui, si scias quanto periculo tuo: aut fortasse litteræ meæ te retardarunt. sed eas nondum legeras, cùm has proximas scripsisti. scire igitur haueo, quo modo res se habeat.

CICERO ATTICO S. XXXVI.

DE *Bruti amore, vestráque ambulatione, etsi mihi nihil noui affers, sed idem, quod sæpe; tamen hoc audio libentiùs, quo sæpius: eóque mihi iucundius est, quòd tu eo lætaris; certiúsque eo est, quòd à te dicitur.*

CICERO ATTICO S. XXXVII.

HAS *alteras hodie litteras. De Xenonis nomine, & de Epiroticis* XXXX. *nihil potest fieri nec commodiùs, nec aptiùs, quàm vt scribis. id erat locutus mecum eodem modo Balbus minor. Noui nihil sane, nisi Hirtium cum Quincto acerrimè pro me litigasse: omnibus eum locis facere, maximéque in conuiuiis: cùm multa de me, tum redire ad patrem: nihil autem ab eo tam ἀξιοπίστως dici, quam alienissimos nos esse à Cæsare: fidem nobis habendam non esse: me verò etiam cauendum: (φοβερὸν ἦν, nisi viderem scire regem, me animi nihil habere) Ciceronem verò meũ vexari. sed id quidem arbitratu suo.*

Laudationem Porciæ gaudeo me ante dedisse Leptæ tabellario, quàm tuas acceperim litteras. eam tu igitur, si me amas, curabis, si modò mittetur, isto modo mittendam Domitio, & Bruto. De gladiatoribus; de ceteris, quæ scribis ἀνεμοφόρητα, facies me quotidie certiorem. Velim, si tibi videtur, appelles Balbum, & Offilium de auctione proscribenda. equidem locutus sum cum Balbo. placebat. puto conscripta habere Offilium omnia; habet & Balbus: sed Balbo placebat, propinquum diem, & Romæ: si Cæsar moraretur, posse diem differri. sed is quidem adesse videtur. totum igitur considera. placet enim Vestorio.

CICERO ATTICO S. XXXVIII.

ANTE *lucem cùm scriberem contra Epicureos, de eodem oleo, & opera exaraui nescio quid ad te, & ante lucem dedi. deinde cùm, somno repetito, simul cum sole experrectus essem, datur mi epistola à sororis tuæ filio, quam ipsam tibi misi, cuius est principium non sine maxima contumelia. sed fortasse οὐκ ἐπέσησεν. est autem sic:* EGO ENIM NON PROBO QVIDQVID NON BELLE IN TE DICI POTEST. *posse vult in me multa dici non bellè, sed ea se negat approbare. hoc quicquam pote impurius? iam cetera leges, (misi enim ad te) iudicabisque. Bruti nostri quotidianis assiduisque laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renuntiauerunt, commotum istum aliquando, scri-*

psisti, aliquid ad me: credo & ad te: idque vt sciam, facies: nam, ad patrem de me quid scripserit, nescio: de matre quàm piè? VOLVERAM, *inquit*, VT QVAMPLVRIMVM TECVM ESSEM, CONDVCI MIHI DOMVM; ET ID AD TE SCRIPSERAM: NEGLEXISTI. ITA MINVS MVLTVM VNA ERIMVS. NAM EGO ISTAM DOMVM VIDERE NON POSSVM: QVA DE CAVSSA, SCIS. *Hanc autem caussam pater odium matris esse dicebat. nunc me iuua, mi Attice, consilio,* πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, *id est vtrum apertè hominem asperner, & respuam,* ἢ σκολιᾶς ἀπάτας. *vt enim Pindaro, sic* δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν. *omnino moribus meis illud aptius, sed hoc fortasse temporibus. tu autem, quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato. equidem vereor maximè, ne in Tusculano opprimar. in turba hæc essent faciliora. vtrum igitur Asturæ? quid, si Cæsar subito? iuua me, quæso, consilio. vtar eo, quod tu decreueris.*

CICERO ATTICO. S. XXXIX.

O INCREDIBILEM *vanitatem! ad patrem, domo sibi carendum propter matrem: plena pietatis. hic autem iam languescit, & ait sibi illum iure iratum. sed vtar tuo consilio.* σκολιὰ *enim tibi video placere. Romam, vt censes, veniam, sed inuitus. valde enim in scribendo hæreo. Brutum, inquis, eâdem scilicet. sed nisi hoc esset, res me ista*

non cogeret. nec enim inde venit, vnde mallem; neque diu afuit; neque vllam litteram ad me. sed tamen scire haueo, qualis ei totius itineris summa fuerit. Libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, & maximè φαίδρου περὶ θεῶν, & ἑλλάδος.

CICERO ATTICO S. XL.

ITA'NE *nuntiat Brutus, illum ad bonos viros* εὐαγγέλια*? sed vbi eos? nisi forte se suspendit. hîc autem vt fultum est? vbi igitur* φιλοτέχνημα *illud tuum, quod vidi in parthenone, Ahalam, & Brutum? sed quid faciat? illud optimè,* SED NE IS QVIDEM QVI OMNIVM FLAGITIORVM AVCTOR, BENE DE NOSTRO. *at ego verebar, ne etiam Brutus eum diligeret. ita enim significarat iis, quas ad meas.* AT VELLEM ALIQVID DEGVSTASSE DE FABVLIS. *sed coram, vt scribis. etsi, quid mi auctor es? aduolône, an maneo? equidem & in libris hæreo, & illum hic excipere nolo: ad quem, vt audio, pater hodie ad Saxa Acronoma. miris, quam inimicus ibat, vt ego obiurgarem. sed ego ipse* κεκφοῦμαι*. itaque posthac. tu tamen vide, quid de aduentu meo censeas; &* τὰ ὅλα*, cras si perspici potuerint, mane statim vt sciam.*

CICERO ATTICO. S. XLI.

EGO *verò Quincto epistolam ad sororem misi. cum ille quereretur filio cum matre bellum, & se ob*

eam caussam domo cessurum filio diceret; dixi illum commodas ad matrem litteras, ad te nullas. ille alterum mirabatur: de te autem suam culpam, quòd sæpe grauiter ad filium scripsisset de tua in illum iniuria. quòd autem relanguisse se dicit, ego et tuis litteris lectis σχολιᾶς ἀπάτας significaui me nõ fore. tum enim mentio Canæ. omnino, si id consilium placeret, esset necesse. sed vt scribis, ratio est habenda grauitatis; & vtriusque nostrum idem consilium esse debet: etsi in me grauiores iniuriæ, & certè notiores. si verò etiam Brutus aliquid afferet, nulla dubitatio est. sed coram. magna enim res, & multæ cautionis. cras igitur; nisi quid à te commeatus.

CICERO ATTICO S. XLII.

VENIT ille ad me, καὶ μάλα κατηφής: et ego, σὺ δὲ δή τί σύννους; rogas? inquit, quoi iter instet, & iter ad bellum, idque cùm periculosum, tum etiam turpe. quæ vis igitur, inquam? æs, inquit, alienum: & tamen ne viaticum quidem. hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia. nam tacui. at ille: sed me maximè angit auunculus. quidnam? inquam. quòd mihi, inquit, iratus est. cur pateris? inquam. malo enim ita dicere, quàm cur committis. non patiar, inquit. causam enim tollam. & ego, rectissimè quidem. sed si graue nõ est, velim scire quid sit causæ. quia, dũ dubitabam quã ducerem, non satisfaciebam matri, ita ne illi quidem. nunc nihil mihi tanti est. faciã quod volunt. feliciter velim, inquã, téque

laudo. ſed quando? nihil ad me, inquit, de tempore, quoniam rem probo. at ego, inquam, cenſeo prius, quàm proficiſcaris. ita patri quoque morem geſſeris. faciam, inquit, vt cenſes. hic dialogus ſic concluſus eſt. Sed heus tu, diem meum ſcis eſſe III. NON. *Ian. aderis igitur. Scripſeram iam: ecce tibi, orat Lepidus vt veniam. opinor Augures nil habere ad templum effandum. eia tu:* μίας κόρδου. *videbimus te igitur.*

CICERO ATTICO S. XLIII.

EGO *vero vtar prorogatione diei: túque humaniſſimè feciſti, qui me certiorem feceris, atque ita, vt eo tempore acciperem litteras, quo non exſpectarem: túque vt ab ludis ſcriberes. ſunt omnino mihi quidam agenda Romæ: ſed conſequemur biduo poſt.*

CICERO ATTICO S. XLIIII.

SVAVES *tuas litteras! etſi acerba Pompa. verumtamen ſcire omnia non acerbum eſt, vel de Cotta. populum vero præclarum, quòd propter malum vicinum, ne victoriæ quidem ploditur. Brutus apud me fuit: cui quidem valde placebat, me aliquid ad Cæſarem. annueram; ſed pompam videret. Tu tamen auſus es Varroni dare? exſpecto quid iudicet. quando autem perleget? De Attica, probo. eſt quiddam etiam animum leuari cùm ſpectatione,*

tum

tum etiam religionis opinione, & fama. Cottam mihi velim mittas. Libonem mecum habeo, & habueram ante Cascam. Brutus mihi T. Ligarij verbis nunciauit, quòd appelletur L. Curfidius in oratione Ligariana, erratum esse meum: sed, vt aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. sciebam Curfidium pernecessarium Ligariorum: sed eum video ante esse mortuum. da igitur, quæso, nogotium Pharnaci, Antæo, Saluio, vt id nomen ex omnibus libris tollatur.

CICERO ATTICO S. XLV.

FVIT *apud me Lamia post dicessum tuum, epistolámque ad me attulit missam sibi à Cæsare: quæ quamquam antè data erat, quàm illæ Diocharinæ, tamem planè declarabat illum antè ludos Romanos esse venturum. in qua extrema scriptum erat, vt ad ludos omnia pararet, néve committeret, vt frustra ipse properasset. prorsus ex his litteris non videbatur esse dubium, quin ante eam diem venturus esset: idémque Balbo, cùm eam epistolam legisset, videri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos video: sed quàm multos, fac si me amas, sciam. de Bæbio poteris, & de altero vicino Egnatio. Quòd me hortaris, vt eos dies consumam in philosophia explicanda; currentem tu quidem: sed cum Dolabella viuendum esse istis diebus vides. quòd nisi me Torquati caussa teneret, satis erat dierum, vt Puteolos excurrere possem, et ad tem-*

pus redire. Lamia quidem à Balbo (vt videbatur) audiuerat, multos nummos domi esse numeratos, quos oporteret quamprimùm diuidi. magnum pondus argenti, præter prædia: auctionem primo quoq; tempore fieri oportere. scribas ad me velim quid tibi placeat. equidem, si ex omnibus esset eligendum, nec diligentiorem, nec officiosiorem, nec nostri studiosiorem facilè delegissem Vestorio: ad quem accuratissimas litteras dedi, quod idem te fecisse arbitror. mihi quidem hoc satis videtur. tu quid dicis? vnum enim pungit, ne negligentiores esse videamur. exspectabo igitur tuas litteras.

CICERO ATTICO S. XLVI.

POLLEX *quidem, vt dixerat, ad Idus Sext. ita mihi Lanuuij pridie Idus præsto fuit; sed planè Pollex, non index. cognosces igitur ex ipso. Balbum conueni (Lepta enim de sua vini curatione laborans, me ad eum perduxerat: meo autem Lanuino, quod Lepido tradidi ex eo hoc primùm: paulò antè acceperam eas literas, in quibus magnopere confirmat, antè ludos Romanos. legi epistolam: multa de meo Catone, quo sæpissimè legendo se dicit copiosiorem factum: Bruti Catone lecto se sibi visum disertum) ex eo cognoui cretionem Cluuij (ô Vestorium negligentem!) liberam cretionem, testibus præsentibus, sexaginta diebus. metuebam ne ille arcendus esset. nunc mittendum est, vt meo iussu cernat. idem igitur Pollex. etiam de hortis Cluuia-*

nis egi cum Balbo liberaliùs: ſe enim ſtatim ad Cæſarem ſcripturum: Cluuium autem à Tito Hordeonio legare & Terentiæ HS. L Ͻ Ͻ Ͻ, & ſepulchro, multiſq; rebus; nihil à nobis. ſubaccuſa quæſo Veſtorium. Quid minus probandum, quàm Plotium vnguentarium per ſuos pueros omnia tanto antè Balbo; illum mi ne per meos quidem? De Coſſinio doleo; dilexi hominem. Quinto delegabo, ſi quid æri meo alieno ſuperabit, & emptionibus; ex quibus mi etiam æs alienum faciendum puto. De domo Arpini, nihil ſcio. Veſtorium nihil eſt quod accuſes. iam enim obſignata hac epiſtola, noctu tabellarius noſter venit, & ab eo literas deligenner ſcriptas attulit, & exemplum teſtamenti.

CICERO ATTICO S. XLVII.

POSTEAQVAM abs te Agamemno, non vt venirem (nam id quoq; feciſſem, niſi Torquatus eſſet) ſed vt ſcriberem, tetigit aures nunciȷs, extemplo inſtituta omiſi, ea, quæ in manibus habebam, abieci; quod iuſſeras edolaui. Tu velim è Pollice cognoſcas rationes noſtras ſumptuarias. turpe eſt enim nobis illum, qualiſcunq; eſt, hoc primo anno egere. poſt moderabimur diligentius. Idem Pollex remittendus eſt, vt ille cernat. Plane Puteolos non fuit eundum, cùm ob ea quæ ad te ſcripſi, tum quod Cæſar adeſt. Dolabella ſcribit ſe ad me poſtridie Idus. ô magiſtrum moleſtum! Lepidus ad me heri veſperi litteras miſit Antio: nam ibi erat: habet enim

domum, quam nos vendidimus: rogat magnopere ut sim KAL. *in Senatu; me & sibi, & Cæsari vehementer gratum esse facturum. puto equidem nihil esse. dixisset enim tibi fortasse aliquid Oppius; quoniam Balbus est æger. sed tamen malim venire frustra, quàm desiderari, si opus esset: molestè ferrẽ postea. itaq; hodie Antij: cras antè meridiem, domi. Tu velim, nisi te impediuisti, apud nos pridie.* KAL. *cum Pilia. Te spero cum Publilio confecisse. equidem* KAL. *in Tusculanum recurram. me enim absente omnia cum illis transigi malo. Q. fratris epistolam ad te misi, non satis humanè illam quidem respondentem meis literis, sed tamen quod tibi satis sit, ut equidem existimo. tu videbis.*

CICERO ATTICO. S. XLVIII.

HERI *nescio quid in strepitu videor exaudisse, cum diceres te in Tusculanum venturum: quod utinam; iterum utinam; tuo tamen commodo. Lepta me rogat, ut, si quid sibi opus sit, accurram. mortuus enim Babullius. Cæsar, opinor, ex uncia: etsi nihil adhuc: sed Lepta ex triente. veretur autem ne non liceat tenere hereditatem, ἀλόγως omnino; sed veretur tamen. is igitur si accierit, accurram; sin minùs, antequàm necesse erit. Tu Pollicẽ, cùm poteris.*

Laudationem Porciæ tibi misi correctam: ac eò properaui, ut si fortè aut Domitio filio, aut Bruto mitteretur, hæc mitteretur. id si tibi erit commodum, magnopere cures velim: & velim M.

Varronis, & Lollij mittas laudationem; Lollij vtique. nam illam legi. volo tamen regustare. quædam enim vix mihi credo legisse me.

CICERO ATTICO. S. XLIX.

ATTICAE *primùm salutem, quam equidem ruri esse arbitror. multam igitur salutem & Piliæ. De Tigellio, siquid noui: qui quidem, vt mihi Gallus Fabius scripsit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquissimam, me Phameæ defuisse, cùm eius caussam recepissem: quam quidem receperam contra pueros Octauios Cn. filios non libenter: sed & Phameæ caussa volebam. erat enim, si meministi, in Consulatus petitione per te mihi pollicitus, si quid opus esset: quod ego perinde tuebar, ac si vsus essem. is ad me venit, dixitque iudicem operam dare sibi constituisse eo die ipsò, quo de Sestio nostro lege Pompeia in consilium iri necesse erat. scis enim dies illorum iudiciorum præstitutos fuisse. respondi non ignorare eum quid ego deberem Sestio: quem vellet, alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. ita tum ille discessit iratus. puto me tibi narrasse. non laboraui scilicet, nec hominis alieni iniustissimam iracundiam mihi curandam putaui. Gallo autem narraui, cùm proximè Romæ fui, quid audissem; neque nominaui Balbum minorem. Habuit suum negotium Gallus, vt scribit. ait illum, me animi conscientia, quòd Phameam destituissem, de se suspicari. quare tibi hactenus mando, de illo nostro,*

si quid poteris exquiras: de me nequid labores. est bellum aliquem libenter odisse; est, quemadmodum non omnibus seruire. etsi mehercule, vt tu intelligis, magis mihi isti seruiunt, si obseruare seruire est.

CICERO ATTICO S. L.

ADMONITVS *quibusdam tuis litteris, vt ad Cæsarem vberiores litteras mittere instituerem, cùm mihi Balbus nuper in Lanuino dixisset, se, & Oppium scripsisse ad Cæsarem, me legisse libros contra Catonem, & vehementer probasse; conscripsi de his ipsis libris epistolam Cæsari, quæ deferretur ad Dolabellam: sed eius exemplum misi ad Oppiũ, & Balbum; scripsíque ad eos, vt tum deferri ad Dolabellam iuberent meas litteras, si ipsi exemplum probassent. ita mihi rescripserunt, nihil vnquam se legisse meliùs, epistolámque meam iusserunt dari Dolabellæ. Vestorius ad me scripsit vt iuberem mancipio dari seruo suo, pro mea parte, Hetereio cuidam fundum Brinnianum; vt ipse ei Puteolis recte mancipio dare posset. eum seruum, si tibi videbitur, ad me mittes. opinor enim ad te etiã scripsisse Vestorium. De aduentu Cæsaris idem, quod à te, mihi scriptum est ab Oppio, & Balbo. Miror te nihildum cum Tigellio, vel vt hoc ipsum, quantum acceperit: prorsus haueo scire, nec tamen flocci facio. Quæris quid cogitem de obuiam itione; quid censes, nisi Alsium? & quidem ad Muranam de hospitio scripseram: sed opinor cum Matio profe-*

ctum. Sallustius igitur vrgebitur. Scripto iam superiore versiculo, Eros mihi dixit, sibi Muranam liberalissimè respondisse. Eo igitur vtamur. nam Silius culcitras non habet. Dida autem, opinor, hospitibus totam villam concessit.

CICERO ATTICO. S. LI.

AD *Cæsarem quam misi epistolam, eius exemplum fugit me tum tibi mittere; nec id fuit quod suspicaris, vt me puderet tui, ne ridiculè hemicillus: nec mehercule scripsi aliter, ac si* πρὸς ἴσον ὅμοιόν τε *scriberem. bene enim existimo de illis libris, vt tibi coram. itaque scripsi, &* ἀκολακεύτως, *& tamen sic, vt nihil eum existimem lecturum libentiùs. De Attica nunc demum mihi est exploratum. itaque ei deintegro gratulare. Tigellium totum mihi, & quidem quamprimùm. nam pendeo animi. Narro tibi, Quinctus cras. sed ad me, an ad te nescio. mi scripsit Romam* VII. KAL. *sed misi, qui inuitaret: etsi hercle iam Romam veniendum est, ne ille antè aduolet.*

CICERO ATTICO. S. LII.

O HOSPITEM *mihi tam graue!* ἀμεταμέλητον. *fuit enim periucundè. sed cùm secundis Saturnalibus ad Philippũ vesperi venisset, villa ita cõpleta militibus est, vt vix tricliniũ, vbi cœnaturus ipse Cæsar esset, vacaret: quippe hominũ* CIↃ CIↃ. *sanè sum cõmotus*

quid futurum esset postridie: ac mihi Barba Cassius subuenit: custodes dedit. castra in agro: villa defensa est. ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam VII. nec quenquam admisit. rationes opinor cum Balbo. inde ambulauit in littore. Post horam VIII. in balneum: tum audiuit de Mamurra: vultum nõ mutauit: vnctus est; accubuit; ἐμετικὴν agebat. itaque & edit, & bibit ἀδεῶς, & iucundè; opipare sanè, & apparatè: nec id solùm, sed bene cocto, & condito sermone bono, &, si quæris, libenter. præterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copiosè. libertis minùs lautis, seruísque nihil defuit. nam lautiores eleganter accepti. quid multa? homines visi sumus. hospes tamen non is, cui diceres, amabo te, eodem ad me cùm reuertêre. semel satis est. σπουδαῖον οὐδὲν in sermone: φιλόλογα multa. quid quæris? delectatus est, & libenter fuit. Puteolis se aiebat vnum diem fore, alterum ad Baias. Habes hospitium, siue ἐπισταθμίαν odiosam, mihi, dixi, non molestam. Ego paulisper hîc, deinde in Tusculanum. Dolabellæ villam cùm præteriret, omnis armatorum copia, dextra sinistra ad equum, nec vsquam alibi. hoc ex Nicia.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER XIIII.

CICERO ATTICO S. I.

DIVERTI *ad illum, de quo tecum mane. nihil perditius: explicari rem non posse. etenim si ille tali ingenio exitum non reperiebat, quis nunc reperiet? quid quæris? periisse omnia aiebat, quod haud scio an ita sit: verùm ille gaudens: affirmabátque minùs diebus* XX. *tumultum Gallicum: in sermonem se post Idus Mart. præterquam Lepidi, venisse neminis: ad summam, non posse isthæc sic abire. ô prudentem Oppium, qui nihilo minus illum desiderat; sed loquitur nihil, quod quenquam bonum offendat. sed hæc hactenus. Tu, quæso, quidquid noui (multa autem exspecto) scribere ne pigrere. in his, de Sexto satísne certum; maximè autem de Bruto nostro; de quo quidem ille, ad quem diuerti, Cæsarem solitum dicere,* MAGNI REFERT, HIC QVID VELIT: SED QVIDQVID VOLT, VALDE VOLT: *ídque eum animaduertisse, cùm pro Deiotaro Niceæ dixerit, valde vehementer eum visum, & liberè dicere: atque etiam (vt enim quidque succurrit, libet scribere) proximè cùm Sestij rogatu apud eum fuissem, exspectarémque sedens quoad vocarer, dixisse eum,* EGO DVBITEM

QVIN SVMMO IN ODIO SIM, CVM M. CICERO SEDEAT, NEC SVO COMMODO ME CONVENIRE POSSIT? ATQVI SI QVISQVAM EST FACILIS, HIC EST: TAMEN NON DVBITO, QVIN ME MALE ODERIT. *Hæc & eiusmodi multa. Sed ad propositum. quidquid erit non modò magnum, sed etiam paruum scribes. equidem nihil intermittam.*

CICERO ATTICO. S. II.

DVAS *à te accepi epistolas heri. ex priore theatrum, Publiliúmque cognoui; bona signa consentientis multitudinis. plausus verò L. Cassio datus, etiam facetus mihi quidem visus est. Altera epistola de Madaro scripta, apud quem nullum φαλάκρωμα: tu puta. processi enim, sed minùs. diutiùs sermone enim sum retentus. Quod autem ad te scripseram, obscurè fortasse, id eiusmodi est; aiebat Cæsarem secum, quo tempore Sestij rogatu veni ad eum, cùm exspectarē sedens, dixisse:* EGO NVNC TAM SIM STVLTVS, VT HVNC IPSVM FACILEM HOMINEM, PVTEM MIHI ESSE AMICVM, CVM TAMDIV SEDENS MEVM COMMODVM EXSPECTET? *Habes igitur φαλάκρωμα inimicissimū otij, id est, Bruti. In Tusculanum hodie; Lanuuij cras; inde Asturæ cogitabam. Piliæ paratū est hospitium: sed vellē Atticam; (verùm tibi ignosco) quarū vtique salutem.*

CICERO ATTICO. S. III.

TRANQVILLAE *tuæ quidem litteræ; quod vtinam diutiùs: nam Matius posse negabat. Ecce autem structores nostri ad frumentum profecti, cùm inanes rediissent, rumorem afferunt magnum, Romæ domum ad Antonium frumentum omne portari: πανικὸν certè: scripsisses enim. Corumbus Balbi nullus adhuc; & mihi notum nomen. Bellus enim esse dicitur architectus. Ad obsignandum tu adhibitus non sine causa videris. volunt enim nos ita putare. nescio cur non animo quoque sentiant. sed quid hæc ad nos? odorare tamen Antonij διάθεσιν: quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quidquam mali cogitare. Tu, si quid pragmaticon habes, scribe: sin minùs, populi ἐπισημασίαν, & mimorum dicta perscribito. Piliæ, & Atticæ salutem.*

CICERO ATTICO S. IIII.

NVNC *quid putas me Lanuuij? at ego te istic quotidie aliquid noui suspicor. tument negotia. nam cùm Matius, quid censes ceteros? equidem doleo, quod numquã in vlla ciuitate accidit, non vnà cum libertate Rempublicã recuperatam. horribile est quæ loquantur, quæ minitentur; ac vereor Gallica etiam bella; ipse Sextus quò euadat. sed omnia licet concurrant, Idus Martiæ consolantur. nostri*

autem ἥρωες quod per ipsos confici potuit, gloriosissimè & magnificentissimè confecerunt. reliquæ res, opes & copias desiderant, quas nullas habemus. Hæc ego ad te, vt si quid noui (nam quotidie aliquid exspecto) confestim ad me: &, si noui nihil, nostro more tamen ne patiamur intermitti litterulas. equidem non committam.

CICERO ATTICO. S. V.

SPERO tibi iam esse vt volumus; quoniam quidem ἠσίτισας, cùm leuiter commotus esses: sed tamen velim scire quid agas. Signa bella, quòd Caluena molestè fert, se suspectum esse Bruto. illa signa non bona, si cum signis legiones veniũt è Gallia. quid tu illas putas, quæ fuerunt in Hispania, nónne idem postulaturas? quid, quas Annius transportauit? Caninium volui, sed μνημονικὸν ἁμάρτημα. A Balneatore φυρμὸς πολὺς. nam ista quidem Cæsaris libertorum coniuratio facilè opprimeretur, si recta saperet Antonius. Meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere viderer hunc rerum tumorem; cui certè si possem mederi, deesse non deberem. sed vides magistratus, si quidem illi magistratus: vides tamen tyranni satellites in imperiis; vides eiusdem exercitus; vides in latere veteranos; quæ sunt εὐρίπιστα omnia: eos autem qui orbis terræ custodiis non modò septi, verumetiam vagi esse debebant, tantum non laudari, atque amari, sed parietibus contineri. atqui illi quo-

quo modo beati; ciuitas misera. Sed velim scire quid aduentus Octauij. num qui concursus ad eum, num quæ νεωτερισμοῦ suspicio. non puto equidem: sed tamen quidquid est, scire cupio. Hæc scripsi ad te proficiscens Astura III. Idus.

CICERO ATTICO S. VI.

PRIDIE *Idus Fundis accepi tuas litteras cœnans. primùm igitur melius esse: deinde meliora te nunciare. odiosa illa enim fuerant, legiones venire. Nam de Octauio súsque déque. exspecto quid de Mario: quem quidẽ ego sublatũ rebar à Cæsare. Antonij colloquiũ cum Heroibus nostris pro re nata non incommodum. sed tamen adhuc me nihil delectat præter Idus Mart. nam, quoniam Fundis sum cum Ligure nostro, discrucior, Sestulij fundum à verberone Curtilio possideri: quod cùm dico, de toto genere dico. quid enim miserius, quàm ea nos tueri, propter quæ illum oderamus? Etiámne* COSS. *& Tribunos pleb. in biennium, quos ille voluit? nullo modo reperio quemadmodum possim πολιτεύεσθαι. nihil enim tam σόλοικον quàm τυραννοκτόνους in cœlo esse, tyranni facta defendi. sed vides* COSS. *vides reliquos magistratus, si isti magistratus: vides languorem bonorum. exultant lætitia in municipiis. dici enim non potest quanto opere gaudeant, vt ad me concurrant, vt audire cupiant verba mea ea de re; nec vlla interea decreta. sic enim πεπολιτεύμεθα, vt victos metueremus. Hæc ad te scripsi*

apposita secunda mensa: plura, & πολιτικώτερα postea: & tu, quid agas, quidque agatur.

CICERO ATTICO S. VII.

POSTRIDIE *Idus Paulũ in Caieta vidi. is mihi de Mario & de Rep. alia quædam sanè pessima. a te scilicet nihil: nemo enim meorum. sed Brutum nostrum audio visum sub Lanuuio. vbi tãdem est futurus? nã cùm reliqua, tum de hoc scire haueo omnia. Ego è Formiano exiens* XVII. KAL. *vt inde altero die in Puteolanum, scripsi hæc. A Cicerone mihi litteræ sanè πεπινωμέναι, & bene longæ. cetera autem vel fingi possunt: πίνος litterarum significat doctiorem. nunc magnopere à te peto, de quo sum nuper tecum locutus, vt videas nequid ei desit. id cùm ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem, & dignitatem: quod idem intellexi tibi videri omnino. Si ἀγὼν est, volo mense Quinctili in Græciam. sint omnia faciliora. sed cùm sint ea tempora, vt certi nihil esse possit, quid honestum mihi sit, quid liceat, quid expediat; quæso da operam, vt illum quam honestissimè copiosissiméq; tueamur. hæc & cetera, quæ ad nos pertinebunt, vt soles, cogitabis: ad méque aut quod ad rem pertineat; aut, si nihil erit, quod in buccam venerit, scribes.*

CICERO ATTICO. S. VIII.

TV *me iam rebare, cùm scribebas, in Actis esse*

nostris: & ego accepi XVII. KAL. *in diuersoriolo Sinuessano tuas litteras. De Mario probe: etsi doleo L. Crassi nepotem. optimè tam etiam Bruto nostro probari Antonium. nam quòd Iuniam scribis moderatè, & amicè scriptas litteras attulisse, mihi Paulus dedit ad se à fratre missas: quibus in extremis erat, sibi insidias fieri; se id certis auctoribus comperisse. hoc nec mihi placebat, & multo illi minùs. Reginæ fuga mihi non molesta. sed Clodia quid egerit, scribas ad me velim. De Byzantiis curabis, vt cetera; & Pelopem ad te arcesses. Ego, vt postulas, Baiana negotia, chorúmque illum, de quo scire vis, cùm perspexero, tum scribam; ne quid ignores. Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, vehementer exspecto. ea scilicet tu declarabis, qui cetera. Nauseolam tibi tum caussam otij dedisse facilè patiebar. videbar enim mihi legenti tuas litteras requiesse paulisper. De Bruto semper ad me omnia perscribito, vbi sit, quid cogitet: quem quidem ego spero iam tutò vel solum tota vrbe vagari posse. verumtamen.*

CICERO ATTICO S. IX.

DE *Rep. multa cognoui ex tuis litteris, quas quidẽ multiiuges accepi vno tẽpore à Vestorij liberto. ad ea autẽ quæ requiris, breui respõdebo. Primùm vehemẽter me Cluuiana delectãt. Sed quòd quæris quid arcesserim Chrysippũ; tabernæ mihi duæ corruerũt, reliquæq; rimas agunt. itaque non solùm inquilini,*

ſed mures etiam migrauerunt. hăc ceteri calamitatem vocant: ego ne incommodum quidem. ô Socrates, & Socratici viri! numquam vobis gratiam referam. dy immortales, quàm mihi iſta pro nihilo! ſed tamen ea ratio ædificandi initur, conſiliario quidem, & auctore Veſtorio, vt hoc damnum quæſtuoſum ſit. Hic turba magna eſt, erítque, vt audio, maior. Duo quidem quaſi deſignati COSS. *ô Dy boni! viuit tyrannis, Tyrranus occidit? eius interfecti morte lætamur, cuius facta defendimus? itaque quàm ſeuerè nos M. Curtius accuſat; vt pudeat viuere: neque iniuria. nam mori millies præſtitit, quàm hæc pati, quæ mihi videntur habitura etiam vetuſtatem. & Balbus hic eſt, multúmque mecum: ad quem à Vetere litteræ datæ pridie* KAL. *Ianuar. cùm à ſe Cæcilius circunſederetur, & iam teneretur; veniſſe cum maximis copiis Pacorum Parthum: ita ſibi eſſe eum ereptum, multis ſuis amiſſis: in qua re accuſat Volcatium. ita mihi videtur bellum illud inſtare. ſed Dolabella, & Nicias viderint. idem Balbus meliora de Gallia* XXI *die litteras habebat; Germanos, illáſque nationes re audita de Caſare, Legatos miſiſſe ad Aurelium, qui eſt præpoſitus ab Hirtio, ſe, quod imperatum eſſet, eſſe facturos. quid quæris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Caluena dixerat.*

CICERO ATTICO S. X.

ITA'NE *vero? hoc meus, & tuus Brutus egit*

vt La-

vt Lanuuij esset? vt Trebonius itineribus deuiis proficisceretur in prouinciam? vt omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Cæsaris plus valerent, quàm si ipse viueret? meministi me clamare, illo ipso primo Capitolino die, Senatum, in Capitolium à Prætoribus vocari? dij immortales, quæ tum opera effici potuerunt, lætantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus? Liberalia tu accusas. quid fieri tum potuit? iam pridem perieramus. meministíne te clamare, caussam periisse, si funere elatus esset? at ille etiam in foro combustus, laudatúsque miserabiliter: seruíque, & egentes in tecta nostra cum facibus immissi. quæ deinde? vt audeant dicere, TV NE CONTRA CAESARIS NVTVM? *hæc & alia ferre non possum. itaque* γῆν πρὸ γῆς *cogito. Tua tamen* ὑπηνέμιος *nausea iámne planè abiit? mihi quidem ex tuis litteris coniectanti ita videbatur. redeo ad Tebassos, Scæuas, Frangones. hos tu existimas confidere se illa habituros, stantibus nobis? in quibus plus virtutis putarunt, quàm experti sunt. pacis isti scilicet amatores, & non latrocinij auctores? at ego cùm tibi de Curtilio scripsi, Sestullianóque fundo, scripsi de Censorino, de Messalla, de Planco, de Postumio, de genere toto. meliùs fuit periisse illo interfecto, quod numquam accidisset, quàm hæc videre. Octauius Neapolim venit* XIIII. KAL. *ibi eum Balbus mane postridie; eodémque die mecum in Cumano, illum hereditatem aditurum. sed, vt scribis,* ῥιζόθεμιν *magnam cum Antonio. Buthrotia mihi tua res*

est, vt debet, eritq; curæ. Quod quæris, iám ne ad centena Cluuianum: aduentare videtur: sed primo anno LXXX. detersimus. Q. pater ad me grauia de filio; maximè quòd matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus. ardentis in eum letteras ad me misit. ille autem quid agat, si scis, neque dum Roma es profectus, scribas ad me velim; & hercule, si quid aliud. vehementer delector tuis litteris.

CICERO ATTICO. S. XI.

NVDIVS tertius dedi ad te epistolam longiorem: nunc ad ea, quæ proximè. Velim mehercule, Asturæ Brutus. ἀκολασίαν istorum scribis. an censebas aliter? equidem etiam maiora exspecto. cum equidem contionem lego, DE TANTO VIRO, DE CLARISSIMO CIVI, ferre non queo: etsi ista iam ad risum. sed memento: sic alitur consuetudo perditarum contionum; vt nostri illi, non heroes, sed dij, futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine inuidia, ne sine periculo quidem. verùm illis magna consolatio, cõscientia maximi & clarissimi facti: nobis quæ? qui, interfecto rege, liberi non sumus? sed hæc fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat. De Cicerone, quæ scribis, iucunda mihi sunt: velim, sint prospera. quod verò curæ tibi est, vt ei suppeditetur ad vsũ, & cultum copiosè, per mihi gratum est; idq; vt facias, te etiam rogo. De Buthrotijs, & tu rectè cogitas, & ego

non dimitto istam curam. suscipiam omnem etiam actionem; quam video quotidie faciliorem. De Cluniano, quoniam in re mea me ipsum diligentia vincis, res ad centena perducitur. ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an iam fructuosiorem. Hîc mecum Balbus, Hirtius, Pansa. modo venit Octauius, & quidem in proximam villam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me: cras manè vadit.

CICERO ATTICO S. XII.

O MI *Attice, vereor, ne nobis Idus Mart. nihil dederint præter lætitiam, & odij pœnam ac doloris. quæ mihi istinc afferuntur? quæ hic video? ὢ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. Scis quàm diligam Siculos, & quàm illam clientelam honestam iudicem. multa illis Cæsar, neque me inuito: etsi Latinitas erat non ferenda: verumtamen. ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, à Dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, viuo illo, mentio nulla. Quid? Deiotari nostri caussa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fuluiam. sexcēta similia. verùm illuc referor: tam claram, támque testatam rem, támque iustam Buthrotiam non tenebimus aliqua ex parte? & eo quidem magis, quo iste plura? Nobiscum hîc perhonorificè, & amicè Octauius: quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus non: itaque ne nos quidem: quem nego posse bonum*

ciuem: ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur. negari hæc ferri posse? quid censes, cùm Romam puer venerit, vbi nostri liberatores tuti esse non possunt? qui quidem semper erunt clari; conscientia verò facti sui etiam beati. sed nos, nisi me fallit, iacebimus. itaque exire haueo, vbi nec Pelopidarum, inquit. haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt; vt ne apud aquas quidem acquiescere liceret. sed hoc meæ nimiæ facilitatis. nam id erat quondam quasi necesse: nunc, quoquo modo se res habet, non est item. Quàm dudum nihil habeo, quod ad te scribam: scribo tamen, non vt delectem his litteris, sed vt eliciam tuas. tu, si quid erit de ceteris; de Bruto vtique, quidquid. Hæc conscripsi X. KAL. *accubans apud Vestorium, hominem remotum à dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum.*

CICERO ATTICO. S. XIII.

SEPTIMO *denique die litteræ mihi redditæ sunt, quæ erant à te* XIII. KAL. *datæ: quibus quæris, atque etiam me ipsum nescire arbitraris, vtrum magis tumulis prospectúque, an ambulatione* ἀλιτενεῖ *delecter. est mehercule, vt dicis, vtriusque loci tanta amœnitas, vt dubitem, vtra anteponenda sit.*

—ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηρά·του ἔργα μέμηλεν.
Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφὲς, εἰσορόωντες
Δείδιμεν. ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

quamuis enim tu magna, & mihi iucunda ſcripſeris de D. Bruti aduentu ad ſuas legiones; in quo ſpem maximam video: tamen, ſi eſt bellum ciuile futurum, quod certè erit, ſi Sextus in armis permanebit, quem permanſurum eſſe certè ſcio, quid nobis faciendum eſt, ignoro. neque enim iam licebit, quod Cæſaris bello licuit, neque huc, neque illuc. quemcumque enim hæc pars perditorum lætatum morte Cæſaris putabit, (lætitiam autem apertiſſimè tulimus omnes) hunc in hoſtium numero habebit: quæ res ad cædem maximam ſpectat. reſtat, vt in caſtra Sexti, aut, ſi fortè, Bruti nos conferamus. res odioſa & aliena noſtris ætatibus, & incerto exitu belli: & neſcio quo pacto tibi ego poſſim, mihi tu dicere,

Τέκνον ἐμὸν οὔτοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
Ἀλλὰ σύ γ᾽ ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

ſed hæc fors viderit, ea, quæ talibus in rebus plus, quàm ratio poteſt. nos autem id videamus, quod in nobis ipſis eſſe debet, vt, quidquid acciderit, fortiter & ſapienter feramus, & accidiſſe hominibus meminerimus; nóſque cùm multùm litteræ, tum non minimùm Idus quoque Mart. conſolentur. Suſcipe nunc meam deliberationem, qua ſolicitor: ita multa veniunt in mentem in vtramque partem. proficiſcor, vt conſtitueram, legatus in Græciam? cædis impendentis periculum non nihil vitare videor, ſed caſurus in aliquam vituperationem, quòd Reip. defuerim tam graui tempore. ſin autem manſero, fore me quidem video in diſcrimine; ſed accidere poſſe ſuſpicor, vt prodeſſe poſſim Reip. Iam illa

consilia priuata sunt, quòd sentio valde esse vtile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire: nec alia caussa profectionis mihi vlla fuit tum cùm consilium cepi legari ab Cæsare. tota igitur hac de re, vt soles, si quid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nunc ad epistolam tuam. scribis enim esse rumores, me, ad lacum quod habeo, venditurum: minusculam vero villam vtique Quincto traditurum, vel impenso pretio, quò introducatur, vt tibi Q. filius dixerit, dotata Aquillia: ego verò de venditione nihil cogito, nisi quid, quod magis me delectet, inuenero. Quinctus autẽ de emendo nihil curat hoc tempore. satis enim torquetur debitione dotis: in qua mirificas Egnatio gratias agit. à ducenda autem vxore sic abhorret, vt libero lectulo neget esse quicquam iucundius. Sed hæc quoque hactenus. redeo enim ad miseram, seu nullam potius Remp. M. Antonius ad me scripsit de restitutione Sex. Clodij: quàm honorificè, quod ad me attinet, ex ipsius litteris cognosces; (misi enim tibi exemplum) quam dissolutè, quàm turpiter, quámq; ita perniciosè, vt nonnumquam Cæsar desiderandus esse videatur, facilè existimabis. quæ enim Cæsar numquam neque fecisset, neque passus esset, ea nunc ex falsis eius commentarijs proferuntur. ego autem Antonio facillimũ me præbui. etenim ille, quoniam semel induxit animum sibi licere quod vellet, fecisset nihilo minus me inuito. itaque mearum quoque litterarum misi tibi exemplum.

ANTONIVS CONSVL. S. D. M. CICERONI.

OCCVPATIONIBVS est factum meis, & subita tua profectione, ne tecum coram de hac re agerem. quam ob caussam vereor, ne absentia mea leuior sit apud te. quòd si bonitas tua respon derit iudicio meo, quod semper habui de te; gaudebo. A Cæsare petij, vt Sex. Clodium restitueret: impetraui. erat mihi in animo etiam tum sic vti beneficio eius, si tu concessisses. quo magis laboro, vt tua voluntate id per me facere nunc liceat. quòd si duriorem te eius miseræ, & afflictæ fortunæ præbes; non cõtendam ego aduersus te. quamquam videor debere tueri commentarium Cæsaris. sed mehercule, si humaniter, & sapienter, & amabiliter in me cogitare vis, facilem profectò te præbebis: & voles P. Clodium, in optima spe puerum repositum, existimare, non te insectatum esse, cùm potueris, amicos paternos. patere, obsecro te, pro Rep. videri gessisse simultatem cum patre eius. non contempseris hanc familiam. honestiùs enim, & libentiùs deponimus inimicitias Reip. nomine susceptas, quàm contumaciæ. Me deinde sine ad hanc opinionem iam nunc dirigere puerum, & tenero animo eius persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. quãquam, tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abesse, certũ habeo: tamẽ arbitror malle te quietã senectutem, & honorificam

potius agere, quàm solicitam. Postremo meo iure te hoc beneficium rogo. nihil enim non tua caussa feci. Quòd si non impetro, per me Clodio daturus non sum: vt intelligas, quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem præbeas.

CICERO ANTONIO COS. S.

QVOD mecum per litteras agis, vnam ob caussam mallem coram egisses. non enim solùm ex oratione, sed etiam ex vultu, & oculis, & fronte (vt aiunt) meum erga te amorem perspicere potuisses. nam cùm te semper amaui, primùm tuo studio, post etiam beneficio prouocatus; tum his temporibus Resp. te mihi ita commendauit, vt cariorem habeam neminem. litteræ verò tuæ, cùm amantissimè, tum honorificentissimè scriptæ, sic me affecerunt, vt non dare tibi beneficium viderer, sed accipere à te, ita petente, vt inimicum meum, necessarium tuum, me inuito seruare nolles, cùm id nullo negotio facere posses. Ego verò tibi istuc, mihi Antoni, remitto; atque ita, vt me à te, cùm his verbis scripseris, liberalissimè atque honorificentissimè tractatum existimem: ídque cùm totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati & naturæ meæ. nihil enim vmquam non modò acerbum in me fuit, sed ne paulo quidem tristius, aut seuerius, quàm necessitas Reip. postulauit. Accedit, vt ne in ipsum quidem Clodium meum insi-

gne odium fuerit vmquam: ſempérque ita ſtatui, non eſſe inſectandos inimicorum amicos, præſertim humiliores; nec his præſidiis noſmet ipſos eſſe ſpoliandos. Nam de puero Clodio tuas partis eſſe arbitror, vt eius animum, tenerum, quemadmodum ſcribis, his opinionibus imbuas, vt ne quas inimicitias reſidere in familiis noſtris arbitretur. contēdi cum P. Clodio, cùm ego publicam cauſſam, ille ſuam defenderet. noſtras concertationes Reſp. diiudicauit. ſi viueret, mihi cum illo nulla contētio iam maneret. Quare, quoniam hoc à me ſic petis, vt, quæ tua poteſtas eſt, ea neges te me inuito vſurum; puero quoque hoc à me dabis, ſi tibi videbitur: non quo aut ætas noſtra ab illius ætate quicquam debeat periculi ſuſpicari, aut dignitas mea vllam contentionem extimeſcat: ſed vt noſmet ipſi inter nos coniunctiores ſimus, quàm adhuc fuimus. interpellantibus enim his inimicitiis, animus tuus mihi mihi magis patuit, quàm domus. Sed hæc hactenus. illud extremum; ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, ſemper ſine vlla dubitatione ſummo ſtudio faciam. hoc velim tibi penitus perſuadeas.

CICERO ATTICO S. XIIII.

ITERA *dum eadem iſta mihi. coronatus Quinctus noſter Parilibus? Parilibus? ſolúſne? etſi addis Lamiam: quod demiror equidem: ſed ſcire cupio, qui fuerunt alij: quamquam ſatis ſcio, niſi im-*

probum neminem. explanebis igitur hoc diligentius. ego autē casu cùm dedissem ad te litteras VI. KAL. satis multis verbis, tribus fere horis post accepi tuas, & magni quidem ponderis. itaque ioca tua plena facetiarum, de hæresi Vestorina, & de Phario nummo re Puteolano, risisse me satis, nihil est necesse rescribere. πολιτικώτερα illa videamus. Ita Brutos Cassiúmque defendis, quasi eos ego reprehendam: quos satis laudare non possum. rerum ego vitia collegi, non hominum. sublato enim tyranno, tyrannida manere video. nam quæ ille facturus non fuit, ea fiunt, vt de Clodio: de quo mihi exploratum est, illum non modò non facturum, sed etiam ne passurum quidem fuisse. sequetur Rufio Vestorianus, Victor numquam scriptus, ceteri, quis non? cui seruire ipsi non potuimus, eius libellis paremus. Nam Liberalibus quis potuit in Senatum non venire? fac id potuisse aliquo modo: num, etiam cùm venissemus, liberè potuimus sententiam dicere? nón ne omni ratione veterani, qui armati aderant, cùm presidij nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse, tu testis es. quid ergo? ista culpa Brutorum? minimè illorum quidem; sed aliorum brutorum; qui se cautos, ac sapientes putant: quibus satis fuit lætari; non nullis, etiā gratulari; nullis, permanere. sed præterita omittamus: istos omni cura præsidióque tueamur; &, quemadmodum tu præcipis, contenti Idib. Mart. simus: quæ quidem nostris amicis, diuinis viris, aditum ad cælum dederunt, libertatem populo Ro-

mano non dederunt. Recordare tua. non ne meministi clamare te, omnia periisse, si ille funere elatus esset? sapienter id quidem. itaque ex eo quæ manarint, vides. Quæ scribis KAL. *Iuniis Antonium de prouinciis relaturum, vt & ipse Galias habeat, & vtrisque dies prorogetur: licebít ne decerni liberè? si licuerit; libertatem esse recuperatam lætabor: si non licuerit; quid mihi attulerit ista domini mutatio præter lætitiam, quam oculis cepi iusto interitu tyranni? Rapinas scribis ad Opis fieri: quas nos quoque tum videbamus. nè nos & liberati ab egregiis viris, nec liberi sumus. ita laus illorum est, culpa nostra. & hortaris me, vt historias scribam? vt colligam tanta eorum scelera, à quibus etiam nunc obsidemur? poteró ne eos ipsos non laudare, qui te obsignatorem adhibuerunt? nec mehercule me raudusculum mouet: sed homines beniuolos, quales cunque sunt, graue est insequi contumelia. sed de omnibus meis consiliis, vt scribis, existimo exploratius nos ad* KAL. *Iuniás statuere posse: ad quas adero; & omni ope, atque opera enitar, adiuuante me scilicet auctoritate tua, & gratia, & summa æquitate caussæ, vt de Buthrotiis S. C. quale scribis, fiat. Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem: etsi tibi dederam superiore epistola cogitandum. tu autem, quasi iam recuperata Rep. vicinis tuis Massiliensibus sua reddis. hæc armis, quæ, quàm firma habeamus, ignoro, restitui fortasse possunt, auctoritate non possunt.*

CICERO ATTICO S. XV.

EPISTOLA *breuis, quæ postea à te scripta est, sane mihi fuit iucunda, de Bruti ad Antonium, & de eiusdem ad te litteris. posse videntur esse meliora, quàm adhuc fuerunt. sed nobis vbi simus, & quò iam nunc nos conferamus, prouidendum est. ô mirificum Dolabellam meum! iam enim dico meum; antea, crede mihi, subdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet: de saxo; in crucem; columnam tollere; locum illum sternendum locare. quid quæris? heroica: sustulisse mihi videtur simulationem desiderij, adhuc quæ serpebat indies; & inueterata, verebar, ne periculosa nostris tyrannoctonis esset. nunc prorsus assentior tuis litteris, speróque meliora: quamquam istos ferre non possum: qui, dum se pacem velle simulant, acta nefaria defendunt. sed non possunt omnia simul. incipit res meliùs ire, quàm putaram. nec verò discedam, nisi cùm tu me id honestè putabis facere posse. Bruto certè meo nullo loco deero: idque, etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter eius singularẽ, incredibilémque virtutem. Piliæ nostræ villã totam, quæq; in villa sunt, trado, in Pompeianũ ipse proficiscens* KAL. *Maiis. quàm velim Bruto persuadeas, vt Asturæ sit?*

CICERO ATTICO S. XVI.

V. NON. *conscendens ab hortis Cluuianis in*

phaselum epicopum has dedi litteras, cùm Piliæ nostræ villam ad Lucrinum, villicosq; procuratores tradidissem. ipse autem eo die in Pæti nostri tyrotarichum imminebam: perpaucis diebus in Pompeianum: post in hæc Puteolana, & Cumana regna renauigaro. ô loca ceteroqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine pæne fugienda! Sed ad rem vt veniam, ô Dolabellæ nostri magnam ἀριστείαν! quanta est ἀναθεώρησις? equidem laudare eum & hortari non desisto. rectè tu omnibus epistolis significas, quid de re, quid de viro sentias. mihi quidē videtur Brutus noster iam vel coronam auream per forum ferre posse. quis enim audeat laudare, proposita cruce, aut saxo? præsertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum? Nunc, mi Attice, me fac vt expedias. cupio, cùm Bruto nostro affatim satis fecerim, excurrere in Græciam. magni interest Ciceronis, uel mea potiùs, vel mehercule vtriusq;, me interuenire discenti. nam epistola Leonidæ, quam ad me misisti, quid habet, quæso, in quo magnopere lætemur? numquam ille mihi satis laudari videbitur, cùm ita laudabitur; QVOMODO NVNC EST. non est fidentis hoc testimonium, sed potiùs timentis. Herodi autem mandaram, vt mihi κατὰ μίτον scriberet: à quo adhuc nulla littera est. vereor, ne nihil habuerit, quod mihi, cùm cognossem, iucundum putaret fore. Quòd ad Xenonē scripsisti, valde mihi gratum est. nihil enim deesse Ciceroni, cùm ad officium, tum ad existimationem meam pertinet.

Flammam Flaminium audio Romæ esse. ad eum scripsi, me tibi mandasse per litteras, vt de Montani negotio cum eo loquerere: & velim cures epistolam, quam ad eum misi, reddendam; & ipse, quod commodo tuo fiat, cum eo colloquare. puto, si quid in homine pudoris est, præstaturum eum, ne pro se quodam modo dependatur. De Attica per gratum mihi fecisti, quòd curasti, vt ante scirem rectè esse, quàm non belle fuisse.

CICERO ATTICO S. XVII.

IN *Pompeianum veni V Nonas Mai. cùm pridie, vt antea ad te scripsi, Piliam in Cumano collocauissem. ibi mihi cenanti litteræ tuæ sunt redditæ, quas dederas Demetrio liberto prid.* KAL. *in quibus multa sapienter; sed tamen talia, quemadmodum tute scribebas, vt omne consilium in fortuna positum videretur. itaque his de rebus ex tempore, & coram. De Buthrotio negotio, vtinam quidem Antonium conueniam: multum profectò proficiam. sed non arbitrantur eum à Capua declinaturum. quò quidem, metuo, ne magno Reip. malo venerit. quod idem L. Cæsari videbatur, quẽ pridie Neapoli affectum grauiter videram. quamobrem ista nobis ad* KAL. *Iun. tractanda & perficienda sunt. sed hactenus. Q. filius ad patrem acerbissimas litteras misit: quæ sunt ei redditæ, cùm venissemus in Põpeianum: quarum tamen erat caput, Aquilliam nouercam non esse laturum. sed hoc tolerabile fortasse, illud vero?*

se ab Cæsare habuisse omnia, nil à patre, reliqua sperare ab Antonio. ô perditum hominem! sed μελήσει. Ad Brutum nostrum, ad Cassium, ad Dolabellam epistolas scripsi. earum exempla tibi misi, non vt deliberarem reddendæ ne essent, (planè enim iudico esse reddendas) sed quòd non dubito, quin tu idem existimaturus sis. Ciceroni meo, mi Attice, suppeditabis quantum videbitur, méque hoc tibi onus imponere patiere. quæ adhuc fecisti, mihi sunt gratissima. Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum, vt volui, perpolivi. ista vero, quæ tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen exspectant. ego autem (credas mihi velim) minore periculo existimo contra illas nefarias partis, viuo tyranno, dici potuisse, quàm mortuo: ille enim nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter. nunc, quacunque nos commouimus, ad Cæsaris non modò acta, verùm etiam cogitata reuocamur. De Montano, quoniam Flamma venit, videbis. puto rem meliore loco esse debere.

CICERO DOLABELLAE COS. SVO. S.

ETSI contentus eram, mi Dolabella tua gloria, satísque ex ea magnam lætitiã voluptatémque capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio quòd vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. neminem cõueni, (conuenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui, valetudinis

caussa, in his locis conueniunt; præterea ex municipijs frequentes necessarij mei) qui omnes, cum te summis laudibus ad cælum exulterunt, mihi continuò maximas gratias agunt. negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis, & consilijs obtemperans, præstantissimum te ciuem, & singularē Consulem præbeas. quibus ego quamquam verissimè possum respondere, quæ facias, tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio: tamen neque planè assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis à meis consilijs profecta videatur; neque valde nego. sum enim auidior etiam, quàm satis est, gloriæ. & tamen non alienum est dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consilijs capiendis Nestorem. mihi verò gloriosum, te iuuenem Consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ. L. quidem Cæsar, cùm ad eum ægrotum Neapolim venissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quàm me planè salutauit, ô mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cùm tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, iam salui esse possemus. Dolabellæ vero tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem, post te Consulem, solùm possum verè Consulem dicere. dein multa de facto, ac de re gesta. tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum vmquam, nihil Reip. salutarius: atque hæc vna vox omnium est. A te autem peto, vti me hanc

quasi

quasi falsam hereditatem alienæ gloriæ sinas cernere, méque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. quamquam, mi Dolabella, (hæc enim iocatus sum) libentiùs omnis meas, si modò sunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quàm aliquam partem exhauserim ex tuis. nam cùm te semper tantùm dilexerim, quantum tu intelligere potuisti; tum his tuis factis sic incensus sum, vt nihil vnquam in amore fuerit ardentius. nihil est enim, mihi crede, virtute formosius; nihil pulchrius, nihil amabilius. semper amaui, vt scis, M. Brutum, propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem atque constantiam: tamen Idibus Mart. tantum accessit ad amorem, vt mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatum etiam videbatur. quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Quare quid est, quòd ego te horter, vt dignitati & gloriæ seruias? proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quàm te ipsum. te imitere oportet, tecum ipse certes. ne licet quidem tibi iam, tantis rebus gestis, non tui similem esse. quod cùm ita sit, hortatio non est necessaria; gratulatione magis vtendum est. contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, vt summa seueritas animaduersionis non modò nòn inuidiosa, sed etiam popularis esset, & cùm bonis omnibus, tum infimo cuique

gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam cōtigisset, gratularer felicitati tuæ: sed contigit magnitudine cùm animi, tum etiam ingenij, atque consilij. legi enim contionem tuam. nihil illa sapientius. ita pedetentim tum accessus à te ad caussam facti, tum recessus, vt res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur & vrbem periculo, & ciuitatem metu: neque solùm ad tempus maximam vtilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum. quo facto, intelligere debes, in te positam esse Rempub. tibíque non modò tuendos, sed etiam ornandos illos viros, à quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, vt spero. Tu, quoniam Remp. nósque conseruas, fac, vt diligentissimè te ipsum, mi Dolabella, custodias.

CICERO ATTICO S. XVIII.

SAEPIVS *me iam agitas, quòd rem gestam Dolabellæ nimis in cælum videar efferre: ego autem, quamquam sanè probo factum, tamen vt tanto opere laudarem, adductus sum tuis & vnis, & alteris litteris. sed totum se à te abalienauit Dolabella, ea de caussa, qua me quoque sibi inimicissimum reddidit. ô hominem pudentem!* KAL. *Ian. debuit; adhuc non soluit, præsertim cùm se maximo ære alieno Faberij manu liberarit, & Opem ab eo petierit. licet enim iocari, ne me valde conturbatum putes. atque ego ad eum* VIII *Idus litteras dederam bene manè:*

eodem autem die tuas litteras vesperi acceperam in Pompeiano, sanè celeriter, tertio abs te die. sed, vt ad te eo ipso die scripseram, satis aculeatas ad Dolabellam litteras dedi: quæ si nihil profecerint, puto fore, vt me præsentem non sustineat. Albianum te confecisse arbitror. De Patulciano nomine, quod mihi suppeditatus es, gratissimum est, & simile tuorum omnium. sed ego Erotem ad ista expedienda factum mihi videbar reliquisse: cuius non sine magna culpa vacillarunt. sed cum ipso videro. De Montano, vt sæpe ad te scripsi, erit tibi tota res curæ. Seruius proficiscens, quòd desperanter tecum locutus est, minimè miror; neque ei quicquam in desperatione concedo. Brutus noster, singularis vir, si in Senatum non est KAL. *Iuniis venturus, quid facturus sit in foro, nescio. sed hoc ipse meliùs. Ego ex his, quæ parari video, non multum, Idib. Martiis profectum iudico. itaque de Græcia quotidie magis & magis cogito. nec enim Bruto meo, exilium, vt scribis ipse, meditanti, video quid prodesse possim. Leonidæ me litteræ non satis delectarunt. De Herode tibi assentior. Saufeij legisse vellem. Ego ex Pompeiano* VI. *Idus Mai. cogitabam.*

CICERO ATTICO S. XIX.

NON. *Mai. cùm essem in Pompeiano, accepi binas à te litteras, alteras sexto die, alteras quarto. ad superioris igitur priùs. Quàm mihi iucundum, oportunè tibi Barnaeum litteras reddidisse. Tu verò*

cum Cassio, vt cetera. quàm commodè autem, quòd id ipsum, quod me mones, quatriduo ante ad eum scripseram, exemplúmque mearum litterarum ad te miseram. sed cum Dolabella ἀπνοίᾳ (sic enim tu ad me scripseras) magna desperatione affectus essem; ecce tibi & Bruti, & tuæ litteræ. ille exilium meditari. nos autem alium portum propiorem huic ætati videbamus: in quem mallem equidem peruehi florente Bruto nostro, constitutáque Rep. sed nunc quidem, vt scribis, non vtrum vis. assentiris enim mihi, nostram ætatem à castris, præsertim ciuilibus, abhorrere. Antonius ad me tantum de Clodio rescripsit, meam lenitatem & clementiam & sibi esse gratam, & mihi voluptati magnæ fore. sed Pansa furere videtur de Clodio, itémque de Deiotaro; & loquitur seuerè, si velis credere. illud tamen non bellè, vt mihi quidem videtur, quòd factum Dolabellæ vehementer improbat. De coronatis, cùm sororis tuæ filius à patre accusatus esset, rescripsit se coronam habuisse honoris Cæsaris caussa; posuisse luctus gratia: postremò, se libenter vituperationem subire, quòd amaret, etiam mortuum, Cæsarem. Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, scripsi diligenter. ergo etiam ad Siccam. tibi hoc oneris non impono. nolo te illum iratum habere. Seruij orationem cognosco: in qua plus timoris video, quam consilij. sed quoniam perterriti omnes sumus, assentior Seruio. Publilius tecum tricatus est. huc enim Cærellia missa ab istis est legata ad me; cui facile persuasi, mihi id, quod rogaret,

ne licere quidem, non modò non lubere. Antonium si videro, accuratè agam de Buthroto. Venio ad recentioris litteras: quamquam de Seruio iam rescripsi. me facere magnam πρᾶξιν Dolabellæ? mihi mehercule ita videtur, non potuisse maior tali re, talíque tempore. sed tamen, quidquid ei tribuo, tribuo ex tuis litteris. tibi verò assentior, maiorem πρᾶξιν eius fore, si mihi, quod debuit, dissoluerit. Brutus, velim, sit Asturæ. Quod autem laudas me, quòd nihil ante de profectione cõstituam, quàm, ista quò euasura sint, videro: muto sententiam. neque quicquam tamen ante, quàm te videro. Atticam meá gratias mihi agere de matre gaudeo: cui quidem ego totam villam, cellámq; tradidi; eámque cogitabam V. Idus videre. tu Atticæ salutem dices. nos Piliam diligenter tuebimur.

CICERO ATTICO. S. XX.

E POMPEIANO naui aduectus sum in Luculli nostri hospitium VI. Idus, hora ferè III. egressus autem è naui, accepi tuas litteras, quas tuus tabellarius in Cumanum attulisse dicebatur, Nonis Mai. datas: à Lucullo postridie eadem fere hora, qua veni, VII. Idus Lanuuio datas. audi igitur ad omnis. Primùm, quæ de re mea gesta & in solutione, & in Albiano negotio, grata. De tuo autem Buthroto, cùm in Pompeiano essem, Misenum venit Antonius: inde ante discessit, quàm illum venisse audissem: à quo in Samnium. vide, quid speres. Ro-

ma igitur de Buthroto. L. Antonij horribilis contio, Dolabellæ præclara. iam vel sibi habeat nummos, modò numeret Idibus. Tertullæ nollem abortum. tam enim Cassii sunt iam, quàm Bruti serendi. De regina velim, atque etiam de Cæsare illo. Persolui primæ epistolæ: venio ad secundam. De Quinctiis, Buthroto, cùm venero, vt scribis. Quòd Ciceroni suppeditas, gratum. Quòd errare me putas, qui Remp. putem pendere è Bruto: sic se res habet. aut nulla erit, aut ab isto, istisve seruabitur. Quòd me hortaris, vt scriptam contionem mittam; accipe à me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα *earum rerum, in quibus satis exercitati sumus. nemo vnquam neque poëta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem, quàm se, arbitraretur. hoc etiam malis contingit. quid tu Bruto putas, & ingenioso, & erudito? de quo etiam experti sumus nuper in edicto. scripseram rogatu tuo: meum mihi placebat, illi suum. quin etiam, cùm, ipsius precibus pæne adductus, scripsissem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari. quare sine quæso sibi quemque scribere.* suã cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum. *non scitè. hoc enim Attilius, poeta durissimus. atque vtinam liceat isti contionari; cui si esse in vrbe tuto licebit, vicimus. ducem enim noui belli ciuilis aut nemo sequetur, aut ij sequentur, qui facilè vincantur. Venio ad tertiam. Gratas fuisse meas litteras Bruto, & Cassio gaudeo. itaque iis rescripsi. Quod Hir-*

tium per me meliorem fieri volunt: do equidem operam; & ille optimè loquitur: sed viuit, habitatque cum Balbo, qui item benè loquitur. quid credas, videris. Dolabellam valde placere tibi video: mihi quidem egregiè. Cum Pansa vixi in Pompeiano. is plane mihi probabat se bene sentire, & cupere pacem. Caussam armorum quæri plane video. Edictum Bruti, & Cassij probo. Quæris, ut suscipiam cogitationem, quidnam istis agendum putem: consilia temporum sunt; quæ in horas commutari video. Dolabella & prima illa actio, & hæc contra Antonium contio mihi profecisse permultum videtur. prorsus ibat res. nunc autem videmur habituri ducem: quod vnum municipia, boníque desiderant. Epicuri mentionem facis, & audes dicere, μὴ πολιτεύεσθαι? non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret? Q. filius, vt scribis, Antonij est dextella. per eum igitur, quod volemus, facile auferemus. exspecto, si, vt putas, L. Antonius produxit Octauium, qualis contio fuerit. Hæc scripsi citatim. statim enim Cassij tabellarius. eram continuò Piliam salutaturus: deinde ad epulas Vestorij, nauicula. Attica plurimam salutem.

CICERO ATTICO. S. XXI.

Cvm paulo ante dedissem ad te Cassij tabellario litteras, v. Idus venit noster tabellarius, & quidem, portenti simile, sine tuis litteris. sed citò coniecti, Lanuuij te fuisse. Eros autem festinauit, vt ad

me litteræ Dolabellæ perferrentur, non de re mea (nondum enim meas acceperat) sed rescripsit ad eas, quarum exemplum tibi miseram, sane luculente. Ad me autem, cùm Cassij tabellarium dimisissem, statim Balbus. ô dij boni, quam facile perspiceres timere otium! & nosti virum: quam tectus: sed tamen Antonij consilia narrabat; illum circumire veteranos, vt acta Cæsaris sancirent: idque se facturos esse iurarent, vt rata omnes haberent: eáque Duumuiri omnibus mensibus inspicerent. questus est etiam de sua inuidia; eáque omnis eius oratio fuit, vt amare videretur Antonium. quid quæris? nihil sinceri. mihi autem non est dubium, quin res spectet ad castra. acta enim illa res est animo virili; consilio puerili. quis enim hoc non vidit, regni heredem relictum? quid autem absurdius, Hoc metuere, alterum in metu non ponere? *quin etiam hoc ipso tempore multa ὑποσολοικα. Pontij Neapolitanum à matre tyrannoctoni possideri? legendus mihi sæpius est Cato maior, ad te missus: amariorem enim me senectus facit. stomachor omnia. sed mihi quidem βεβίωται. viderint iuuenes. tu mea curabis, vt curas. Hæc scripsi, seu dictaui, apposita secunda mensa, apud Vestorium. postridie apud Hirtium cogitabam: & quidem πεντέλοιπον. sic hominem traducere ad optimatis paro. λῆρος πολύς. nemo est istorum, qui otium non timeat. quare talaria videamus. quiduis enim potiùs quàm castra. Atticæ salutem plurimam velim dicas. Exspecto Octauij contionem, &, si quid*

aliud; maximè autem ecquid Dolabella tinniat, an in meo nomine tabulas nouas fecerit.

CICERO ATTICO. S. XXII.

CERTIOR *à Pilia factus, mitti ad te Idibus tabellarios, statim hoc nescio quid exaraui. Primùm igitur scire te volui, me hinc Arpinum* XVI. KAL. *Iun. eò igitur mittes, si quid erit posthac: quamquam ipse iam iámque adero. cupio enim ante, quam Romam venio, odorari diligentiùs, quid futurum sit. quamquam vereor, ne nihil coniectura aberrem. minimè enim obscurum est, quid isti moliantur (meus verò discipulus, qui hodie apud me cenat, valde amat illum, quem Brutus noster sauciauit) & si quaeris, (perspexi enim planè) timent otium: ὑπόθεσιν autem hanc habent, eámque prae se ferunt, virum clarissimum interfectum, totam Remp. illius interitu perturbatam: irrita fore, quae ille egisset, simul ac desisteremus timere: clementiam illi malo fuisse: qua si vsus non esset, nihil ei tale accidere potuisse. Mihi autem venit in mentem, si Pompeius cum exercitu firmo veniat, quod est εὔλογον, certè fore bellum. haec me species, cogitatióque perturbat. neque enim iam, quod tibi tum licuit, nobis nunc licebit. nam aperte laetati sumus. deinde habent in ore, nos ingratos. nullo modo licebit, quod tum & tibi licuit, & multis. φαινοπροσωπητέον ergo, & ἰτέον in castra? millies mori melius, huic praesertim aetati. itaque me Idus Mart. non*

tam consolantur, quàm antea: magnum enim mendum continent. et si illi iuuenes

ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸν δ᾽ ἀπωθοῦνται ψόγον.

Sed, si tu melius quippiam speras, quòd & plura audis, & interes consiliis; scribas ad me velim, simúlque cogites, quid agendum nobis sit super legatione votiua. equidem in his locis moneor à multis, ne in Senatu KAL. *dicuntur enim occultè milites ad eam diem comparati, & quidem in istos; qui mihi videntur vbiuis tutiùs, quàm in Senatu, fore.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER XV.

CICERO ATTICO S.

OFACTVM *malè de Alexione. incredibile est, quata me molestia affecerit; nec mehercule ex ea parte maximè, quod plerique mecum. ad quem igitur te medicum conferes? quid mihi iam medico? aut si opus est, tanta inopia est? amorem erga me, humanitatem, suauitatémque desidero. etiam illud: quid est, quod non pertimescendum sit; cùm hominem temperantem, summum medicum, tantus improuiso morbus oppresserit? sed ad hæc omnia vna consolatio est, quod ea condicione nati sumus, vt nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. De Antonio, iam antea tibi scripsi, non esse eum à me conuentum. venit enim Misenum, cùm ego essem in Pompeiano: inde ante profectus est, quàm ego eum venisse cognoui. sed casu, cùm legerem tuas litteras, Hirtius erat apud me in Puteolano: ei legi; & egi: primum quod attinet, nihil mihi concedebat: deinde ad summam, arbitrum me statuebat non modò huius rei, sed totius Consulatus sui. Cum Antonio autem sic agemus, vt perspiciat, si in eo negotio nobis satisfecerit, totum me futurum suum. Dolabellam spero domi esse. Redeamus ad*

nostros: de quibus tu bonam spem te significas habere propter edictorum humanitatem. ego autem perspexi, cùm a me XVII. KAL. de Puteolano Neapolim Pansæ cõueniendi caussa proficisceretur Hirtius, omnem eius sensum. seduxi enim, & ad pacem sum cohortatus. non poterat scilicet negare, se velle pacem; sed non minùs se nostrorum arma timere, quam Antonij: & tamen vtrosque non sine caussa præsidium habere; se autem vtraque arma metuere. quid quæris? οὐδὲν ὑγιές. De Q. filio tibi assentior: patri quidem certe gratissimæ, & bellissimæ tuæ litteræ fuerunt. Cærelliæ vero facilè satisfeci: nec valde laborare mihi visa est: &, si illa, ego certè non laborarem. istam verò, quam tibi molestam scribis esse, auditam à te esse omnino demiror. nam quòd eam collaudaui apud amicos; audientibus tribus filiis eius, & filia, οὐ παῦλό ἐκ τοῦ αὐτοῦ. quid est hoc? quid est autem, cur ego personatus ambulem? parúmne fœda persona est ipsius senectutis? Quod Brutus rogat, vt ante Kalend: ad me quoque scripsit: & fortasse faciam. sed planè, quid velit, nescio. quid enim illi afferre consilij possum, cùm ipse egeam consilio? & cum ille suæ immortalitati melius, quàm nostro otio, consuluerit? De regina, rumor exstinguetur. De Flamma, obsecro te, si quid potes. Here dederam ad te litteras exiens è Puteolano, diuerterámque in Cumanum. ibi pæne valentem videram Piliam. quin etiam Baulos Cumis eam vidi. venerat enim in funus: cui funeri ego quoque operam dedi. Cn. Lucullus, familiaris no-

ster, matrem efferebat. mansi igitur eo die in Sinuessano: atque inde mane postridie Arpinum proficiscens, hanc epistolam exaraui. erat autem nihil noui, quod aut scriberem, aut ex te quærerem; nisi forte hoc ad rem putas pertinere: Brutus noster misit ad me orationem suam, habitam in contione Capitolina; petiuítque à me, vt eam nec ambitiosè corrigerem ante, quàm ederet. est autem oratio scripta elegantissimè sententiis, verbis, vt nihil possit vltra. ego tamen, si illam caussam habuissem, scripsissem ardentius ὑποθέσει. vides, quæ sit persona dicentis. itaque eam corrigere non potui. quo enim in genere Brutus noster esse vult, & quod iudicium habet de optimo genere dicendi, id ita consecutus est in ea oratione, vt elegantius esse nihil possit. sed ego solus alius sum; siue hoc rectè, siue non rectè. tu tamen velim orationem legas, nisi fortè iam legisti, certiorémque me facias, quid iudices ipse. quamquam vereor, ne cognomine tuo lapsus ὑπεραττικὸς sis in iudicando. sed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges posse & ἀττικώτατα grauissimè dici. sed hæc coram. nunc nec sine epistola, nec cum inani epistola volui ad te Metrodorum venire.

CICERO ATTICO. S. II.

XV. KAL. *è Sinuessano proficiscens, cùm dedissem ad te litteras, diuertissémque à Cumis in Vesciano, accepi à tabellario tuas litteras: in quibus nimis multa de Buthroto. non enim tibi ea res maiori*

curæ aut est, aut erit, quam mihi. sic enim decet, te mea curare, tua me. quamobrem id quidem sic susceptum est mihi, vt nihil sim habiturus antiquius. L. Antonium contionatum esse, cognoui tuis litteris & aliis, sordidè: sed, id quale fuerit, nescio. nihil enim scripsisti. De Menedemo, probè. Quinctus certè ea dictitat, quæ scribis. Consilium meum à te probari, quòd ea non scribam, quæ tu à me postularis, facilè patior: multóque magis id probabis, si orationem eam, de qua hodie ad te scripsi, legeris. Quæ de legionibus scribis, ea vera sunt. sed non satis hoc mihi videris tibi persuasisse, quid de Buthrotiis nostris per Senatum speres confici posse. quod puto; (tantum enim video) non vi videmur esse victuri. sed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet. De Octauij contione idem sentio, quod tu: ludorúmque eius apparatus, & Matius, ac Postumus mihi procuratores non placent. Saserna collega dignus. sed isti omnes, quemadmodum sentis, non minus otium timent, quàm nos arma. Balbum leuari inuidia per nos velim: sed ne ipse quidem id fieri posse confidit. itaque alia cogitat. Quòd prima disputatio Tusculana te confirmat, sanè gaudeo. neque enim vllum est perfugium aut melius, aut paratius. Flamma quòd bene loquitur, non molestè fero. Tyndaritanorum caussa, de qua καίως laborat, quæ sit ignoro. hos tamen. πιτέλοιπον mouere ista videntur, in primis erogatio pecuniæ. De Alexione doleo; sed, quoniam inciderat in ita grauem morbum, bene actum cum illo arbi-

tror. quos tamen secundos heredes, scire vellem, & diem testamenti.

CICERO ATTICO S. III.

XI. KAL. *accepi in Atinati duas epistolas tuas; quibus duabus meis respondisti. vna erat* XV. KAL. *altera* XII *data. ad superiorem igitur priùs. accurres in Tusculanum, vt scribis: quò me* VI. KAL. *venturum arbitrabar. Quod scribis parendum victoribus: non mihi quidem, cui sunt multa potiora. nã illa, quæ recordaris Lẽtulo & Marcello* COSS. *acta in æde Apollinis; nec caussa eadem est, nec simile tempus; præsertim cùm Marcellum scribas, aliósque discedere. erit igitur nobis coram odorandum, & constituendum, tutóne Romæ esse possimus. noui conuentus habitatores sanè mouent. in magnis enim versamur angustiis. sed sint ista parui. quin & maiora contemnimus. Caluæ testamentum cognoui, hominis turpis ac sordidi. Tabula Demonici quòd tibi curæ est, gratum Demalo. Scripsi iam pridem ad Dolabellam accuratissimè; modò redditæ litteræ sint. eius caussa & cupio, & debeo. Venio ad propiorem. Cognoui de Alexione, quæ desiderabam. Hirtius est tuus. Antonio, quàm est, volo peius esse. De Q. filio vt scribis, ἰλιάς. de patre coram agemus. Brutum omni re, qua possum, cupio iuuare: cuius de oratiuncula idem te, quod me, sentire video: sed parum intelligo, quid me velis scribere. quasi à Bruto habita oratione? cùm ille ediderit;*

qui tandem conuenit? an sic, vt in tyrannum iure optimo casum? multa dicentur, multa scribentur à nobis; sed alio modo, & tempore. De sella Caesaris, bene Tribuni. praeclaros etiam XIIII. ordines. Brutum apud me fuisse gaudeo: modò & libenter fuerit, & sat diu.

CICERO ATTICO S. IIII.

X. KAL. hora VIII. ferè à Q. Fufio venit tabellarius: nescio quid ab eo litterularum, vti me sibi restituerem; sanè insulsè, vt solet: nisi fortè, quae non ames, omnia videntur insulsè fieri. scripsit ita, vt te probaturum existimem. mihi duas à te epistolas reddidit, vnã XI. alteram X. ad recentiorem priùs. & legio? rem laudo. si verò etiam Carfulenus, ἄνω ποταμῶν. Antonij consilia narras turbulenta: atque vtinam potius per populum agat, quàm per Senatum; quod quidem ita credo. sed mihi totum eius consilium ad bellum spectare videtur, si quidem D. Bruto prouincia eripitur. quoque modo ego de illius neruis existimo, non videtur fieri posse sine bello. sed non cupio; quoniam caretur Butrotis. rides? ast condoleo, non mea potiùs assiduitate, diligentia, gratia perfici. Quod scribis te nescire, quid nostris faciundum sit: iam pridem me illa ἀπορία sollicitat. itaque stulta iam Iduum Martiarum est consolatio. animis enim vsi sumus virilibus, consiliis, mihi crede, puerilibus. excisa enim est arbor, non euulsa. itaque, quam fruticetur, vides.

vides. redeamus igitur, quoniam sæpe vsurpas, ad Tusculanas disputationes. Sauseium per te celemus: ego numquam indicabo. Quod te à Bruto scribis, vt certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus: vt ad te ante scripsi, VI. KAL. & quidem ibi te quamprimum peruidere velim. puto enim nobis Lanuuium eundum, & quidem non sine multo sermone. sed μελήσει. Redeo ad superiorem: ex qua prætereo illa prima de Buthrotiis: quæ mihi sunt inclusa medullis; sit modò, vt scribis, locus agendi. De oratione Bruti, prorsus contendis, cùm iterum tam multis verbis agis. egóne vt eam caussam, quàm is scripsit? ego scribam non rogatus ab eo? nulla παρεγχείρησις fieri potest contumeliosior. at, inquis, ἡρακλείδιον aliquod. non recuso id quidem; sed & componendum argumentum est, & scribendi exspectandum tempus maturius. licet enim de me, vt libet, existimes (velim quidem quamoptimè) si hæc ita manant, vt videntur (feres quod dicam) me Idus Martiæ non delectant. ille enim numquam reuertisset: nos timor confimare eius acta non coegisset: aut, (vt in Saufeij eam, relinquámque Tusculanas disputationes, ad quas tu etiam Vestorium hortaris) ita gratiosi eramus apud illum, quem dij mortuum perduint, vt nostra ætati, quoniam interfecto domino liberi non sumus, non fuerit dominus ille fugiendus. rubeo, mihi crede. sed iam scripseram; delere nolui. De Menedemo, vellem verum fuisset. De regina, velim verum sit. Cetera coram, & maximè, quid nostris faciendum sit; quid etiam

nobis, si Antonius militibus obsessurus est Senatum. Hanc epistolam si illius tabellario dedissem, veritus sum, ne solueret. itaque misi dedita opera. erat enim rescribendum tuis. Quam vellem, Bruto studium tuum nauare potuisses! ego igitur ad eum litteras. Ad Dolabellam Tironem misi cum mandatis, & litteris. eum ad te vocabis; &, si quid habebis, quod placeat, scribes. Ecce autem de trauerso L. Caesar, vt veniam ad se, rogat, in Nemus; aut scribam, quò se venire velim: Bruto enim placere, se à me conueniri. ô rem odiosam & inexplicabilem! puto me ergo iturum, & inde Romam; nisi quid mutaro. Summatim adhuc ad te. nihil dum enim à Balbo. tuas igitur exspecto, nec actorum solùm, sed etiam futurorum.

CICERO ATTICO. S. V.

A BRVTO *tabellarius rediit: attulit & ab eo, & Cassio. consilium meum magnopere exquirunt: Brutus quidem, vtrum de duobus. ô rem miseram! planè non habeo, quid scribam. itaque silentio puto me vsurum; nisi quid aliud tibi videtur. sin tibi quid venit in mentem, scribe quaeso. Cassius verò vehementer orat ac petit, vt Hirtium quam optimum faciã. sanum putas?* ὁ γναφεὺς ἄνθρακας. *epistolam tibi misi. Vt tu de prouincia Bruti, & Cassij per S. C. ita scribit & Balbus & Hirtius. qui quidem, se actutum. etenim iam in Tusculano est: mihíque, vt absim, vehementer auctor est: & ille quidem*

periculi caussa; quod sibi etiam fuisse dicit: ego autem, etiam vt nullum periculum sit: tantum abest, vt Antonij suspicionem fugere nũc curem, ne videar eius secundis rebus non delectari, vt mihi caussa sit, cur Romam venire nolim, ne illum videam. Varro autem noster ad me epistolam misit, sibi à nescio quo missam, (nomen enim delerat) in qua scriptum erat, veteranos eos, qui reiiciantur (nam partem esse dimissam) improbissimè loqui; vt magno periculo Romæ sint futuri, qui ab eorum partibus dissentire videantur. qui porro noster itus, reditus, vultus, incessus inter istos? quòd si, vt scribis, L. Antonius in Decimum, reliqui in nostros; ego quid faciam? aut quo me pacto geram? mihi vero deliberatum est, vt nunc quidẽ est, abesse ex ea vrbe, in qua non modo florui cum summa, verũ etiam seruiui cum aliqua dignitate. nec tam statui ex Italia exire, de quo tecũ deliberabo, quàm istuc nõ venire.

CICERO ATTICO. S. VI.

CVM *ad me Brutus noster scripsisset & Cassius, vt Hirtium, quẽ adhuc bonum fuisse sciebant, neque eum confidebant fore, mea auctoritate meliorem facerem, (Antonio est enim fortasse iratior, caussæ vero amicissimus) tamen ad eum scripsi, eique dignitatem Bruti, & Cassij commendaui. ille quid mihi rescripsisset, scire te volui; si forte idem tu, quod ego, existimares, istos etiam nunc vereri, ne fortè ipsi nostri plus animi habeant, quàm habent.*

HIRTIVS CICERONI SVO. S.

RVRE iam redierim, quæris. an ego, cùm omnes caleant, ignauiter aliquid faciam? etiam ex vrbe ſum profectus. vtilius enim ſtatui abeſſe. has tibi litteras exiens in Tuſculanum ſcripſi. noli autem me tam ſtrenuum putare, vt ad Nonas recurram. nihil enim iam video opus eſſe noſtra cura: quoniam præſidia ſunt in tot annos prouiſa. Brutus, & Caſſius vtinam, quàm facilè à te de me impetrare poſſunt, ita per te exorentur, ne quod calidius ineant conſilium, cedentis enim hæc ais ſcripſiſſe: quo? aut quare? retine, obſecro te, Cicero, illos: & noli ſinere hæc omnia perire, quæ funditus me dius fidius rapinis, incendiis, cædibus peruertuntur. tantum, ſi quid timent, caueant: nihil præterea moliantur. non medius fidius acerrimis conſiliis plus, quàm etiam inertiſſimis, dummodò diligentibus, conſequentur. hæc enim, quæ fluunt, per ſe diuturna non ſunt; in contentione præſentis ad nocēdum habent vires. quid ſperes de illis, in Tuſculanum ad me ſcribe.

Habes Hirtij epiſtolam: cui reſcripſi, nil illos calidius cogitare, idque confirmaui. hoc qualecunque eſſet, te ſcire volui. Obſignata iam epiſtola, Balbus ad me, Seruiliam rediiſſe, confirmare non diſceſſuros. nunc exſpecto à te litteras.

CICERO ATTICO S. VII.

GRATVM, *quòd mihi epiſtolas: quæ quidem*

me delectarunt, in primis Sexti nostri. dices, quia te laudat. puto mehercule id quoque esse caussæ: sed tamen etiam ante, quàm ad eum locum veni, valde mihi placebat, cùm sensus eius de Rep. tum scribendi cura. Seruius vero pacificator cum librariolo suo videtur obiisse legationem, & omnes captiunculas pertimescere. debuerat autem, Non ex iure manu consertum; *sed quæ sequuntur. Tu quoque scribes.*

CICERO ATTICO S. VIII.

POST *tuum discessum binas à Balbo: nihil noui itémq; ab Hirtio; qui se scribit vehementer offensum esse veteranis. exspectat animus, quidnam agam de* KAL. *Martiis. misi igitur Tironem, & cum Tirone pluris, quibus singulis, vt quidque accidisset, dares litteras: atque etiam scripsi ad Antonium de legatione: ne, si ad Dolabellam solùm scripsissem, iracundus homo commoueretur. quòd autem aditus ad eum difficilior esse dicitur; scripsi ad Eutrapelum, vt is ei meas litteras redderet, legatione mihi opus esse. honestior est votiua: sed licet vti vtraque. De te, quæso, etiam atque etiam vide. velim possis coram: si minus possis, litteris idem consequemur. Graeceius ad me scripsit, C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. id quidē mihi non videbatur; sed cauendum tamen, villæq; pluries vidēdæ. sed aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis de ea re.*

CICERO ATTICO S. IX.

III. *Nonas vesperi à Balbo redditæ mihi litteræ, fore Nonis Senatum, vt Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum, & ad vrbem mittendum curarent. ô rem miseram! primùm vllam ab istis, dein, si aliquam, hanc locatoriam prouinciam? atque haud scio an melius sit, quà ad Eurotã sedere. sed hæc casus gubernabit. ait autem, eodem tempore decretum iri, vt iis, & reliquis Prætoriis prouinciæ decernantur. hoc certe melius, quàm illa Persice porticus. nolo enim Lacedæmonem λαχεῖν. κοχώνην Lanuuium existimaui. rides, inquies, in talibus rebus? quid faciam? plorando fessus sum. Dij immortales! quam me conturbatum tenuit epistolæ tuæ prior pagina! quid autem iste in domo tua casus armorum? sed hunc quidem nimbum cito transiisse lætor. tu quid egeris tua cùm tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer exspecto. est enim inexplicabilis. ita circumsedemur copiis omnibus. Me quidem Bruti litteræ, quas ostendis à te lectas, ita perturbarunt, vt, quamquam ante egebam consilio, tamen animi dolore sim tardior. sed plura, cùm ista cognoro. hoc autem tempore, quod scriberem, nihil erat, eóque minus, quòd dubitabam, tu has ipsas litteras essésne accepturus. erat enim incertum, visurúsne te esset tabellarius. ego tuas litteras vehementer exspecto.*

CICERO ATTICO S. X.

O BRVTI *amanter ſcriptas litteras. ô iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non poſſis! ego autẽ quid ſcribam? vt beneficio iſtorũ vtatur? quid turpius? vt moliantur aliquid? nec audent, nec iam poſſunt. age, quieſcant auctoribus nobis? quis incolumitatem præſtet? ſi verò aliquid de Decimi, Graceiique; quæ noſtris vita, etiam ſi nemo moleſtus ſit? ludos vero non facere, quid fœdius? frumentum imponere, quæ eſt alia Dionis legatio? aut quod munus in Rep. ſordidius? prorſus quidem conſilia tali in re ne iis quidem tuta ſunt, qui dant. ſed poſſim id negligere proficiens. fruſtra verò qui ingrediar? matris conſilio cùm vtatur, vel etiam precibus, quid me interponam? ſed tamen cogitabo, quo genere vtar litterarum. nam ſilere non poſſum. ſtatim igitur mittam vel Antium, vel Circæos.*

CICERO ATTICO. S. XI.

ANTIVM *veni ante* VI. KAL. *Bruto iucundus noſter aduentus. deinde, multis audientibus, Seruilia, Tertulla, Porcia, quærere, quid placeret. aderat etiam Fauonius. ego, quod eram meditatus in via, ſuadere, vt vteretur Aſiatica curatione frumenti; nihil eſſe iam reliqui, quod ageremus, niſi vt ſaluos eſſe. in eo etiam ipſi Reip. eſſe præſidium. quam orationem cùm ingreſſus eſſem, Caſſius*

interuenit. ego eadem illa repetiui. hoc loco, fortibus ſane oculis, Caſſius (Martem ſpirare diceres) ſe in Siciliam non iturum. egó ne, vt beneficium accepiſſe in contumeliam? quid ergo agis? inquam. at ille, in Achaiam ſe iturum: quid tu, inquam, Brute? Romam, inquit, ſi tibi videtur. mihi verò minime. tutò enim non eris: quid ſi poſſem eſſe? placerétne? atque vt omnino; neque nunc, neque ex Pratura in prouinciam ires? ſed auctor non ſum, vt te vrbi committas. dicebam ea, quæ tibi profectò in mentem veniunt, cur non eſſet tutò futurus. multo inde ſermone querebantur, atque id quidem Caſſius maximè, amiſſas occaſiones; Decimúmque grauiter accuſabat. ego negabam oportere præterita: aſſentiebar tamen. cúmque ingreſſus eſſem dicere, quid oportuiſſet, nec vero quicquam noui, ſed ea, quæ quotidie omnes; nec tamen illum locum attingere, quemquam preterea oportuiſſe tangi, ſed Senatum vocare, populum ardentem ſtudio vehementius incitare, totam ſuſcipere Remp. exclamat tua familiaris: hoc vero neminem vmquam audiui. ego repreſſi. ſed & Caſſius mihi videbatur iturus: (etenim Seruilia pollicebatur ſe curaturam, vt illa frumenti curatio de S. C. tolleretur) & noſter citò deiectus eſt de illo inani ſermone. velle enim ſe dixerat. conſtituit igitur, vt ludi, abſente ſe, fierent ſuo nomine. proficiſci autem mihi in Aſiam videbatur ab Antio velle. ne multa; nihil me in illo itinere, præter conſcientiam, delectauit. non enim fuit committendum, vt ille ex Italia priùs, quàm à me con-

uentus esset, discederet. hoc dempto munere amoris atque officij; sequebatur, vt mecum ipse:
Ἡ δεῦρ' ὁδός σοι τί δύναται νῦν θεοπρεπής;
prorsus dissolutum offendi nauigium, vel potius dissipatum. nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. itaque & si ne antea quidem dubitaui, tamen nunc eo minùs, euolare hinc, ídque quamprimum, vbi

„ Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.

Sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legauit A. D. IIII. *Nonas April. id mihi heri vesperi nuntiatum est. votiua ne tibi quidem placebat. etenim erat absurdum, quæ, si stetisset Resp. vouissem; ea me, euersa illa, vota dissoluere: & habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Iulia; nec facile addi potest ad id, quod ad Deos, genus legationis, vt, cùm velis, introire, exire, liceat: quod nunc mihi additum est. bella est autem huius iuris quinquennij licentia. quamquam quid de quinquennio cogitem? contrahi mihi negotium videtur. sed* βλάσφημα *mittamus.*

CICERO ATTICO. S. XII.

BENE *mehercule de Buthroto. at ego Tironem ad Dolabellam cum litteris, quia iusseras, miseram. quid nocet? De nostris autem Antiatibus satis videbar planè scripsisse, vt non dubitares, essent quin otiosi futuri, vsurique beneficio Antonij contumelioso. Cassius frumentariam rem aspernabatur.*

eam Seruilia sublaturam ex S.C. se esse dicebat. noster verò, καὶ μάλα σεμνὸς, in Asiam, postea quàm mihi est assensus tutò se Romæ esse non posse. ludos enim absens facere malebat. statim autem se iturum, simul ac ludorum apparatum iis, qui curaturi essent, tradidisset. nauigia colligebat. erat animus in cursu. interea in eisdem locis erant futuri. Brutus quidem se aiebat Asturæ. L. quidem Antonius liberaliter litteris sine cura me esse iubet. habeo vnum beneficium: alterum fortasse, ni in Tusculanum venerit. ô negotia non ferenda! quæ feruntur tamen. τὰν δ' αἰτίαν τῶν βρούτων τίς εἶχεν? Octauiano, vt perspexi, satis ingenij, satis animi: videbatúrque erga nostros ἥρωας ita fore, vt nos vellemus, animatus. sed quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει, magni consilij est. vitricus quidem nihil censebat; quem Asturæ vidimus. sed tamen alendus est: & , vt nihil aliud, ab Antonio seiungendus. Marcellus præclarè, si præcipit nostro nostri: cui quidem ille deditus mihi videbatur. Pansæ autem & Hirtio non nimis credebat. bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ.

CICERO ATTICO. S. XIII.

VIII. KAL. *duas à te accepi epistolas. respondebo igitur priori priùs. Assentior tibi, vt nec duces simus, nec agmen cogamus; faueamus tamen. Orationem tibi misi. eius custodiendæ, & proferendæ arbitrium tuum. sed quando illum diem, cum tu*

edendam putes? Inducias, quas ſcribis, non intelligo fieri poſſe. melior eſt ἀναντιφωνησία: qua me vſurum arbitror. Quod ſcribis legiones duas Brundiſium veniſſe; vos omnia priùs. ſcribes igitur, quidquid audieris. Varronis διάλογον exſpecto. Iam probo ἡρακλείδιον, præſertim cùm tu tantopere delectere: ſed, quale velis, velim ſcire. Quod ad te antea, atque adeo priùs ſcripſi (ſic enim mauis) ad ſcribendum tibi veredis certè feciſti me acriorem. ad tuũ enim iudicium, quod mihi erat notũ, addidiſti Peducei auctoritatẽ, magnam quidẽ apud me, & in primis grauem. enitar igitur, ne deſideres aut induſtriam meã, aut diligentiam. Vectenũ, vt ſcribis, & Faberium foueo. Cloelium nihil arbitror malitioſè: quamquam. ſed quid egerit? De libertate retinenda, qua certè nihil eſt dulciùs, tibi aſſentior. Itáne Gallo Caninio? ô hominem nequam! quid enim dicam aliud? cautum Marcellum; me ſic, ſed non tamen cautiſſimum. Longiori epiſtolæ ſuperiorique reſpondi. nunc breuiori propriorique quid reſpõdeam, niſi eam fuiſſe dulciſſimam? Res Hiſpanienſes valde bonæ. modo Balbilium incolumem videam, ſubſidium noſtræ ſenectutis. De Anniano item, quòd me valde obſeruat Viſellia. ſed hæc quidem humana. De Bruto te nihil ſcire dicis: ſed Selicia veniſſe M. Scaptium: eúmque non qua pompa, ad ſe tamen clam venturum, ſciturúmque me omnia: quæ ego ſtatim. interea narras eâdem Baſſi ſeruum veniſſe, qui nuntiaret, legiones Alexandrinas in armis eſſe,

Baſſum arceſſi, Caſſium exſpectari. quid quæris? videtur Reſp. ius ſuum reciperatura. ſed ne quid ante. noſti horum exercitationem in latrocinio, & amentiam. Dolabella, vir optimus. etſi, cùm ſcribebam, ſecunda menſa apposita, veniſſe eum ad Baias audiebam; tamen ad me ex Formiano ſcripſit (quas litteras, cùm è balineo exiiſſem, accepi) ſeſe de attributione omnia ſumma feciſſe: Vectenum accuſat: tricatur ſcilicet, vt homo talis. ſed ait totum negotium Seſtium noſtrum ſuſcepiſſe, optimum quidem illum virum, noſtríque amantiſſimum. quæro autem, quid tandem Seſtius in hac re facere poſſit, quod non quiuis noſtrum? ſed, ſi quid præter ſpem erit, facies vt ſciam. ſin eſt, vt arbitror, negotium perditum, ſcribes tamen; neque iſta res commouebit. Nos hîc φιλοσοφοῦμεθα (quid enim aliud?) & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnificè explicamus, προσφωνοῦμέν τε Ciceroni. qua de re enim potius pater filio? deinde alia. quid quæris? extabit opera peregrinationis huius. Varronem hodie, aut cras venturum putabant. ego autem in Pompeianum properabam; non quo hoc loco quicquam pulchrius; ſed interpellatores illic minus moleſti. ſed perſcribe quæſo, quæ cauſſa ſit Myrtilo (pœnas quidem illum pependiſſe audiui) & ſatiſne patet, vnde corruptus. Hæc cùm ſcriberem, tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam. hui, quàm timeo, quid exiſtimes. etſi quid ad me, quæ non ſit foras proditura, niſi Rep. recuperata? de quo quid ſperem, non audeo ſcribere.

CICERO ATTICO. S. XIIII.

VI. KAL accepi à Dolabella litteras, quarum exemplum tibi misi: in quibus erat, omnia se fecisse, quæ tu velles. statim ei rescripsi, & multis verbis gratias egi. sed tamen, ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc caussæ sumpsi, quòd ex te ipso corã antea nihil potuissem cognoscere. sed quid multa? litteras hoc exemplo dedi.

CICERO DOLABELLAE COS. SVO.

ANTEA cùm per litteras Attici nostri de tua summa liberalitate, summóque erga se beneficio certior factus essem; cúmque tu ipse etiam ad me scripsisses, te fecisse ea, quæ nos voluissemus: egi tibi gratias per litteras iis verbis, vt intelligeres, nihil te mihi gratius facere potuisse. postea verò quàm ipse Atticus ad me venit in Tusculanum huius vnius rei caussa, tibi vt apud me gratias ageret, vt tuam eximiam quandam, & admirabilem in caussa Buthrotia voluntatem, & singularem erga se amorem perspexisset; teneri non potui, quin tibi apertiùs illud idem his litteris declararem. ex omnibus enim, mi Dolabella, studiis in me, & officiis, quæ summa sunt, hoc scito mihi & amplissimum videri, & gratissimum esse, quòd perfeceris, vt Atticus intelligeret, quantum ego te, quàm tu me amares. quod reliquum est, Buthrotiam & caussam, & ciuitatẽ, quamquam à te constituta est (beneficia autem nostra tueri solemus) tamen

velim, receptam in fidem tuam, à méque etiam tibi commendatam, auctoritate, & auxilio tuo tectam velis esse. satis erit in perpetuum Buthrotiis præsidij, magnáque cura, & solicitudine Atticum, & me liberaris; si hoc honoris mei caussa susceperis, vt eos semper à te defensos velis. quod vt facias, te vehementer, etiam atque etiam rogo.

His litteris scriptis, me ad συντάξεις dedi: quæ quidem, vereor, ne miniata cærula tua pluribus locis notandæ sint: ita sum μετέωρος, & magnis cogitationibus impeditus.

CICERO ATTICO S. XV.

L. ANTONIO *malè sit, siquidem Buthrotiis molestus est. Ego testimonium composui: quòd, cùm voles, obsignabis. Tu nummos Arpinatum, si L. Fadius Aedilis petet, vel omnis reddito. ego ad te alia epistola scripsi de* HS CX, *quæ Statio curarentur. si ergo petet Fadius, ei volo reddi; præter Fadium, nemini. apud me item puto depositum. id, scripsi ad Erotem, vt redderet. Reginam odi. me iure facere scit. sponsor promissorum eius Ammonius; quæ quidem erant φιλόλογα, & dignitatis meæ; vt vel in contione dicere auderem. Saram autem præterquam quòd nefarium hominem cognoui, præterea in me contumacem. semel eum omnino domi meæ vidi. cùm φιλοφρόνως ex eo quærerem, quid opus esset; Atticum se dixit quærere. superbiam autem ipsius reginæ, cùm esset trans Tiberim in hortis,*

commemorare ſine magno dolore non poſſum. nihil igitur cùm iſtis: nec tam animum me, quàm vix ſtomachum habere arbitrantur. Profectionem meam, vt video, Erotis diſpenſatio impedit. nam cum ex reliquis, quæ Nonis April. fecit, abundare debeam; cogor mutuari: quódque ex iſtis fructioſis rebus receptum eſt, id ego ad illud fanum ſepoſitum putabam. ſed hæc Tironi mandaui, quem ob eam cauſſam Romam miſi. te nolui impeditum impedire. Cicero noſter quo modeſtior eſt, eo me magis commouet. ad me enim de hac re nihil ſcripſit, ad quem nimirum potiſſimum debuit. ſcripſit hoc autem ad Tironem, ſibi poſt KAL. April. (ſic enim annuum tempus confici) nihil datum eſſe: tibi pro tua natura ſemper placuiſſe, téque exiſtimaſſe id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modò liberaliter à nobis, ſed etiam ornatè cumulatéque tractari. quare velim cures (nec tibi eſſem moleſtus, ſi per alium hoc agere poſſem) vt permutetur Athenas, quod ſit in annuum ſumptum. ei ſcilicet Eros numerabit. eius rei cauſſa Tironem miſi. curabis igitur, & ad me, ſi quid tibi de eo videbitur, ſcribes.

CICERO ATTICO S. XVI.

TANDEM à Cicerone tabellarius: & mehercule littera πεπινωμένως ſcripta: quod ipſum προκοπὴν aliquam ſignificaret. itémque ceteri præclara ſcribunt. Leonidas tamen retinet ſuum illud ADHVC. ſummis verò laudibus Herodes. quid quæ-

ris? vel verba mihi dari facilè patior in hoc, méque libenter præbeo credulum. Tu, velim, si quid tibi est à Statio scriptum, quod pertineat ad me, certiorem me facias. Narro tibi: hæc loca venusta sunt, abdita certè: &, si quid scribere velis, ab arbitris libera. sed nescio quo modo οἶκος φίλος. itaque me referunt pedes in Tusculanum. & tamen hæc ῥωπογραφία ripulæ videtur habitura celerem satietatem. equidem etiam pluuias metuo, si prognostica nostra vera sunt. ranæ enim ῥητορεύουσιν. Tu, quæso, fac sciam vbi Brutum nostrum, & quo die videre possim.

CICERO ATTICO S. XVII.

DVAS *accepi postridie Idus, alteram eo die datam, alteram idibus. prius igitur superiori. De Bruto, cùm scies. De Consulum ficto timore cognoueram. Sica enim φιλόστοργος ille quidem, sed tumultuosiùs ad me etiam illam suspicionem pertulit. quid tu autem? τὰ μὲν διδόμενα? nullum enim verbum à Siregio, non placet. De Pletorio vicino tuo permolestè tuli, quemquam priùs audisse, quàm me. De Syro prudenter. L. Antonium per M. fratrem, vt arbitror, facillimè deterrebis. Antroni vetui; sed nondum acceperas litteras; nec cuiquam, nisi L. Fadio Aedili. aliter enim nec cautè, nec iure fieri potest. Quòd scribis tibi deesse* HS C, *quæ Ciceroni curata sint; velim ab Erote quæras, vbi sit merces insularum. Arabioni de Sitio nihil irascor.*

irascor. ego de itinere, nisi explicato Λ, nihil cogito. quod idem tibi videri puto. Habes ad superiorem. nunc audi ad alteram. Tu verò facis, vt omnia, quòd Seruiliæ non dees, id est Bruto. De regina gaudeo te non laborare, certè etiam tibi probari. Erotis rationes & ex Tirone cognoui, & vocaui ipsum. Gratissimum, quod polliceris, Ciceroni nihil defuturum: de quo mirabilia Messalla; qui, Lanuuio rediens ab illis, venit ad me: & mehercule ipsius litteræ sic & φιλοστόργως, & εὐμνῶς scriptæ, vt eas vel in acroasi audeam legere: quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano Sestium puto non molestè ferre. Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanũ. Tu verò, quidquid erit, quod me scire par sit, statim.

CICERO ATTICO. S. XVIII.

XVII. KAL. *etsi satis videbar scripsisse ad te, quid mihi opus sit, & quid te facere vellem, si tibi commodum esset: tamen, cùm profectus essem, & in ea cura vigilarem, Tironem statui ad te esse mittendum, vt iis negotiis, quæ agerentur, interesset: atque etiam scripsi ad Dolabellam, me, si ei videretur, velle proficisci: petiique ab eo de mulis vecturæ itineris, & vehis. quoniam intelligo te distentissimum esse quà de Buthrotiis, quà de Bruto; cuius etiam ludorum seorsum curam, etiam administrationem suspicor ex magna parte ad te pertinere; vt ergo in eiusmodi re, tribues nobis paulum operæ. nec enim multum opus est. mihi res ad cadem, & eam*

quidem propinquam, spectare videtur. vides homines; vides arma. prorsus non mihi videor esse tutus. sin tu aliter sentis, velim ad me scribas. domi enim manere, si rectè possum, multo malo.

CICERO ATTICO S. XIX.

QVIDNAM *est, quod audendum amplius de Buthrotiis? stetisse enim te frustra scribis. quid autem se refert Brutus? doleo mehercule te tam esse detentum: quod decem hominibus referendum acceptum. est illud quidem* ἐργῶδες, *sed* ἀνυστὸν, *mihíque gratissimum. De armis, nihil vidi apertiùs. fugiamus igitur: at, vt ais, coram. Theophanes quid velit, nescio. scripserat enim ad me: cui rescripsi, vt potui. mihi autem scribit, venire ad me se velle, vt & de suis rebus, & quædam, quæ ad me pertinerent. tuas litteras exspecto. vide quæso, ne quid temere fiat. Statius scripsit ad me, locutum secum esse Q. Ciceronem valde asseueranter, se hæc ferre non posse: certum sibi esse ad Brutum, & Cassium transire. hoc enimuero nunc discere haueo: hoc ego, quid sit, interpretari non possum. potest aliquid iratus Antonio: potest gloriam nouam quærere: potest totum esse* χιδίασμα: *& nimirum ita est. sed tamen & ego vereor, & pater conturbatus est. scit enim, quæ ille de hoc: mecum quidem* ἄφατα *olim. planè, quid velit, nescio. A Dolabella mandata habebo, quæ mihi videbuntur, id est nihil. Dic mihi, C. Antonius voluítne fieri Septemuir? fuit*

certè dignus. De Menedemo est, ut scribis. facies omnia mihi nota.

CICERO ATTICO S. XX.

EGI *gratias Vecteno: nihil enim potuit humanius. Dolabellæ mandata sint quælibet: mihi aliquid, vel quod Niciæ nuntiem; quis enim hæc, ut scribis, ἐν κοινῷ? nunc dubitare quemquam prudentem, quin meus discessus desperationis sit, non legationis? Quod ais, extrema quædam iam homines de Rep. loqui, & eos quidem viros bonos; ego, quo die audiui illum tyrannum in contione clarissimum virum appellari, subdiffidere cœpi. postea vero quàm tecum Lanuuij vidi nostros tantum spei habere ad viuendū, quantum accepissent ab Antonio, desperaui. itaque, mi Attice, fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo. genus illud interitus, qua causa, ac quorsus est, fœdum duces, & quasi denuntiatum nobis ab Antonio. ex hac naxa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. hæc omnis culpa Bruti. Pompeium Cartheiæ receptum scribis: iam igitur contra hunc exercitum. utra ergo castra? media enim tollit Antonius. illa infirma, hæc nefaria. properemus igitur. sed iuua me consilio, Brundisione, an Puteolis. Brutus quidem subito: sed sapienter. πάσχω τι. quando enim illum? sed humana ferenda. tu ipse eum videre non potes. dij illi mortuo, qui vnquam Buthrotum. sed acta missa. videamus, quæ agenda sint.*

Rationes Erotis, etsi ipsum non dum vidi, tamen & ex litteris eius, & ex eo, quod Tiro cognouit, propemodum cognitas habeo. versuram scribis esse faciendam mensium quinque; id est ad KAL. *Nouemb.* HS CC: *in eam diem cadere nummos, qui à Quincto debentur. velim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere, me eius rei caussa Romam venire; si te ea res nihil offendet, videas, vnde nummi sint; mihi feras expensum. hoc video in præsentia opus esse. reliqua diligentius ex hoc ipso exquiram; in his, de mercedibus dotalium prædiorum: quæ si fideliter Ciceroni curabuntur, quamquam volo laxiùs, tamen ei propemodum nihil deerit. equidem video mihi quoque opus esse viaticum. sed id ex prædiis, vt cadet, ita soluetur: mihi autem opus est vniuerso quidem, etsi mihi videtur iste, qui umbras timet, ad cædem spectare; tamen, nisi explicata solutione, non sum discessurus. sit ne autem extricata, nécne, tecum cognoscam. Hanc putaui mea manu scribendam: itaque feci. De Fadio, vt scribis; vtique alij nemini, rescribas velim hodie.*

CICERO ATTICO. S. XXI.

NARRO *tibi; Q. pater exultat lætitia. scripsit enim filius, se idcirco profugere ad Brutum voluisse, quòd, cùm sibi negotium daret Antonius, vt eum dictatorem efficeret, præsidium occuparet, id recusasset: recusasse autem se, ne patris animum offenderet: ex eo sibi illum hostem. Cum me, inquit,*

collegi, verens, ne quid mihi ille iratus tibi noceret. itaque eum placaui. & quidem CCCC. certa: reliqua in spe. scribit autem Statius, illum cum patre habitare velle. hoc verò mirum: & id gaudet. ecquem tu illo certiorem nebulonem? ἐποχὴν vestram de re Cani deliberationis probo. nihil eram suspicatus de tabulis: ἀκεραίως restitutam arbitrabar. Quæ differs, vt mecum coram; exspectabo. Tabellarios, quoad voles, tenebis. es enim occupatus. Quod ad Xenonem, probè. Quod scribo, cum absoluero. Quincto scripsisti, te ad eum litteras: nemo attulerat. Tiro negat iam tibi placere Brundisium, & quidem dicere aliquid de militibus. at ego iam destinaram, Hydruntem quidem. mouebant me tuæ quinque horæ. hîc autem quantus πλοῦς? sed videbimus. Nullas à te XI. KAL. quippe: quid enim iam noui? cùm primùm igitur poteris, venies. ego propero, ne ante Sextus; quem aduentare aiunt.

CICERO ATTICO S. XXII.

GRATVLOR nobis Q. filium exiisse: molestus non erit. Pansam bene loqui credo. semper enim coniunctum esse cum Hirtio scio. amicissimum Bruto & Cassio puto, si expediet. sed quando illos videbit? inimicum Antonio: quando, aut cur? quousque ludemur? Ego autem scripsi Sextum aduentare, non quo iam adesset, sed quia certè id ageret, ab armisque nullus discederet. certè, si pergit, bellum paratum est. hic autem noster Cytherius, nisi victo-

rem, neminem victurum. quid ad hac Pansa? utro erit, si bellum erit; quod videtur fore? sed & hac, & alia coram: hodie quidem, ut scribis, aut cras.

CICERO ATTICO S. XXIII.

M I R I F I C E *torqueor, sine dolore tamen: sed per multa mihi de nostro itinere in utramque partem occurrunt. quousque? inquies. quoad erit integrum: erit autem usque dum ad nauem. Pansa si rescripserit, & meam tibi, & illius epistolam mittam. Silium exspectabam; cui ὑπόμνημα compositum, si quid noui. Ego litteras misi ad Brutum: cuius de itinere etiam ex te velim, si quid scies, cognoscere.*

CICERO ATTICO S. XXIIII.

T A B E L L A R I V S, *quem ad Brutum miseram, ex itinere rediit* V I I. K A L. *ei Seruilia dixit, eo die Brutum* H. I I I I. *profectum. sane dolui meas litteras redditas non esse. Silius ad me non venerat. caussam composui. eum libellum tibi misi. te quo die exspectem, velim scire.*

CICERO ATTICO. S. XXV.

D E *meo itinere variae sententiae. multi enim ad me. sed tu incumbe quaeso in eam curam. magna res est. an probas, si ad* K A L. *Ian. cogitamus? meus*

animus est æquus, sic tamen, vt si nihil offensionis sit: & tu etiam scitè, quo die olim piaclum, mysteria scilicet. vt vt sit res, casus consilium nostri itineris iudicabit. dubitemus igitur. est enim hiberna nauigatio odiosa; eóque ex te quæsieram mysteriorum diem. Brutum, vt scribis, visum iri à me puto. ego hinc volo prid. KAL.

CICERO ATTICO. S. XXVI.

De Quincti negotio video à te omnia facta. ille tamen dolet, dubitans, vtrum morem gerat Leptæ, an fidem infirmet Silio. Inaudiui L. Pisonem velle exire legatum ✝ψευδεγγεάφῳ S.C. velim scire, quid sit. Tabellarius ille, quem tibi dixeram à me ad Brutum esse missum in Anagninum, ad me venit ea nocte, quæ proxima ante KAL. fuit; litteràsque ad me attulit: in quibus vnum alienum summa sua prudentia, idem illud, vt spectem ludos suos. rescripsi scilicet, primùm me iam profectum, vt non integrum sit: dein, ἀτοπώτατον esse, me, qui Romam omnino post hæc arma non accesserim, neque id tam periculi mei caussa fecerim, quàm dignitatis, subitò ad ludos venire. tali enim tempore ludos facere illi honestum est, cui necesse est. spectare mihi vt non est necesse, sic ne honestum quidem est. equidem illos celebrari, & esse quam gratissimos mirabiliter cupio: ídque ita futurum esse confido: & tecum ago, vt iam ab ipsa commissione ad me, quemadmodum accipiantur; deinde omnino reliquorum dies

singulos persequare. sed de ludis hactenus. Reliqua pars epistolæ est illa quidem in vtramque partē: sed tamen nonnullos interdum iacit igniculos viriles: quod quale tibi videretur, vt posses interpretari, misi ad te exēplum epistolæ. quāquam mihi tabellarius noster dixerat, tibi quoque se attulisse litteras à Bruto; eásque ad te è Tusculano esse delatas. Ego itinera sic composueram, vt Nonis Quinct. Puteolis essem. valde enim festino; ita tamen, vt, quantum homo possit, quam cautissimè nauigem. M. Aelium cura liberabis: is me paucos specus in extremo fundo, & eos quidem subterraneos, seruitutis à puteali quid habituros: id me iam iam nolle, neque mihi quicquam esse tanti; sed, vt mihi dicebas, quam lenissimè; potiùs vt cura liberetur, quàm vt me suscensere aliquid suspicetur. Idem de illo Tulliano capite liberè cum Cascelio loquare. parua res est: sed tu bene attendisti: nimis callidè agebatur. ego autem, si mihi imposuisset aliquid, quod pæne fecit, nisi tua malitia affuisset, animo iniquo tulissem. itaque, vt vt erit, rem impediri malo. Octauam partem tuli luminarium in adium ἀδυτ. Ne memineris cui Carellia. Videris mācipio dare ad eam summam, quæ sub præcone fuit maxima: id opinor esse CCCLXXX. Noui si quid erit, atque etiam si quid prospicies, quod futurū putes, scribas ad me quamsæpissimè velim. Varroni, quemadmodum tibi mandaui, memineris excusare tarditatem litterarum mearum. Mundus is. Tu M. Ennius quid egerit de testamento (curiosus enim) facias me velim cer-

tiorem. Ex Arpinati, VI. NON.

CICERO ATTICO S. XXVII.

GAVDEO *id te mihi suadere, quod ego mea sponte pridie feceram: nam cùm ad te* VI. *Nonas darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sestium, scriptas πάνυ φιλοστόργως. Ille autem, quòd Puteolos prosequitur, humane; quòd queritur, iniuste. non enim ego tam illum exspectare, cùm de Cosano rediret, debui, quàm ille aut non ire ante, quàm me vidisset, aut citiùs reuerti. sciebat enim me celeriter velle proficisci, seséque ad me in Tusculanum scripserat esse venturum. Te, vt à me discesseris, lacrimasse, molestè ferebam. quod si me præsente fecisses, consilium totius itineris fortasse mutassem. sed illud preclarè, quòd te consolata est spes breui tempore congrediendi: quæ quidem exspectatio me maximè sustentat. meæ tibi litteræ non deerunt. De Bruto, scribam ad te omnia. Librum tibi celeriter mittam de gloria. excudam aliquid Ἡρακλείδειον, quod lateat in thesauris tuis. De Planco, memini. Attica iure queritur. Quòd me de Bacchi, de statuarum coronis certiorem fecisti, valdè gratum: nec quicquam post hac non modò tantum, sed ne tantulùm quidem præterieris. Et de Herode & Mettio meminero, & de omnibus, quæ te velle suspicabor modò. ô turpem sororis tuæ filium, cùm hæc scriberem, aduentabat autem βεβλύοις cenantibus nobis.*

CICERO ATTICO S. XXVIII.

Ego, vt ad te pridie ſcripſeram Nonis conſtitueram venire in Tuſculanum. ibi igitur quotidie tuas litteras exſpectabo, & maximè de ludis; de quibus etiam ad Brutum tibi ſcribendum eſt. cuius epiſtolæ, quam interpretari ipſe vix poteram, exemplum pridie tibi miſeram. Atticæ meæ velim me ita excuſes, vt omnem culpam in te transferas, & ei tamen confirmes, me minimè totum amorem eo mecum attuliſſe.

CICERO ATTICO S. XXIX.

Brvti ad te epiſtolam miſi. dij boni, quanta ἀμηχανία! cognoſces, cùm legeris. De celebratione ludorum Bruti, tibi aſſentior. Ad M. Aelium nullus tu quidem domum, ſed ſicubi inciderit. De Tulliano ſemiſſe, M. Axianum adhibebis, vt ſcribis. Quod cum Coſiano egiſti, optimè. Quod non ſolùm mea, verùm etiam tua expedis, gratum. Legationem probari meam, gaudeo. Quod promittis, dij faxint. quid enim mihi meis iucundius? ſed iſtam, quam tu excipis, metuo. Brutum cùm conuenero, peeſcribam omnia. De Planco, & Decimo, ſanè velim. Sextum ſcutum abiicere nolebam. De Mundo, ſi quid ſcies. Reſcripſi ad omnia tua. nunc noſtra accipe. Quinctus filius vſque Puteolos: mirus ciuis, vt in Fauonium, Aſinium dicas: & qui-

dem duas ob caussas, & vt mecum; & αἰτιᾶσθαι vult cum Bruto, & Cassio. Sed tu quid ais? scio enim te familiarem esse Othonum. ait hic sibi Iuliam. ferè constitutum enim esse discidium. quæsiuit ex me pater, qualis esset fama. dixi, nihil sane me audisse (nesciebam enim cur quæreret) nisi de ore, & patre: sed quorsus, inquam? at ille, filium velle. tum ego, etsi ἐβδελυττόμην, tamen negaui putare me illa esse vera: σκοπὸς (hoc est enim) huic nostro nihil præbere. illa autem οὐ περὶ τοῦτον. ego tamen suspicor hunc, vt solet allucinari. sed velim quæras (facile autem potes) & me certiorem. Obsecro te, quid est hoc? Signata iam epistola, Formiani, qui apud me cenabant, Plancum se aiebant, hunc Buthrotium, pridie, quàm hoc scribebam, id est III. Nonas vidisse demissum sine phaleris: seruulos autem dicere, eum, & agripetas eiectos à Buthrotiis. macte. sed amabo te, perscribe mihi totum negotium.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER XVI.

CICERO ATTICO S. I.

NONIS *Quinct. veni in Puteolanum. postridie iens ad Brutum in Nesidem hæc scripsi. sed eo die, quo veneram, cenanti Eros tuas litteras. Ita ne? Nonis Iuliis? Dy hercule istis. sed stomachari totum diem licet. quicquamne turpius, quam Bruto, Iuliis? redeo ad meum igitur, ἐν τόπῳ nihil vidi. Sed quid est quæso, quod agripetas Buthroti concisos audio? quid autem Plancus tam cursim (ita enim audiebam) diem, & noctem? sane cupio scire quid sit. Meam profectionem laudari gaudeo. Dymæos, agro pulsos, mare infestum habere, nil mirum. videndum est, vt mansio laudetur. ἐν ὁμοπλοίᾳ Bruti videtur aliquid præsidij esse. sed, opinor, minuta nauigia. sed iam sciam, & ad te cras. De Ventidio, πανικὸν puto. De Sexto, pro certo habebatur, haud arma. quod si verum est; sine bello ciuili video seruiendum. quid ergo?* KAL. *Ian. in Pansa spes?* λῆρος *πολὺς, in vino &, in somno istorum. De* CCX, *optimè Ciceronis rationes explicentur. Ouius enim recens: is multa, quæ vellem: in his ne hoc quidem malum, in mandatis sat abundè:* HS LXXII. *satis esse, affatim prorsus, sed Xenonem perexiguè, &* γλίσχρως

prebere, id est minutatim. quo plus permutasti, quàm ad fructum insularum, id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit. hinc ex KAL. *April. ad* HS LXXX *accommodetur. nunc enim insulae tantum. videndum enim est, quid, cùm Romae erit. non enim puto socrum illam ferendam. Pindaro Decumano negaram. Nunc, cuius rei caussa tabellarium miserim, accipe. Q. filius mihi pollicetur se Catonem. egit autem & pater, & filius, ut tibi sponderem: sed ita, ut tum crederes, cùm ipse cognosses. huic ego litteras ipsius arbitratu dabo. eae te ne mouerint. has scripsi in eam partem, ne me motum putares. dij faxint, ut faciat ea, quae promittit. commune enim gaudium. sed ego nihil dico amplius. is hinc* VII. *Idus. ait enim attributionem in Idus, se autem vrgeri acriter. tu ex meis litteris, quo modo respondeas, moderabere. Plura, cùm & Brutum videro; & Erotem remittam. Atticae meae excusationem accipio, eámque amo plurimum: cui, & Piliae salutem.*

CICERO ATTICO. S. II.

V I. *Idus duas epistolas accepi, unam à meo tabellario, alteram à Bruti. De Buthrotiis longè alia fama in his locis fuerat: sed cum aliis multis hoc ferendum. Erotem remisi citiùs, quàm constitueram, ut esses qui Hortensio: & quia Equiribus quidem ait se Idibus constituisse. Hortensius verò impudenter: nihil enim debetur ei, nisi ex tertia*

pensione, quæ est KAL. *Sext. ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diem. sed hæc Eros videbit Idibus. De Publilio autem, quod perscribi oportet; moram non puto esse faciendam. sed cùm videas, quantum de iure nostro decesserimus, qui de residuis* CCCC HS, CC *præsentia soluerimus, reliqua rescribamus; loqui cum eo, si videbitur, poteris, eum commodum nostrum exspectare debere, cùm tanta sit à nobis iactura facta iuris. Sed amabo te, mi Attice (vidésne quam blandè?) omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, vt nihil à me exspectes. quamquam enim reliqua satis apta sunt ad soluendum; tamen fit sæpe, vt ij, qui debent non respondeant ad tempus. si quid eiusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. non modò versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis. Bruto tuæ litteræ grata erant. fui enim apud illum multas horas in Neside, cùm paulo ante tuas litteras accepissem. delectari mihi Tereo videbatur, & habere maiorem Accio, quàm Antonio, gratiam. mihi autem quo lætiora sunt, eo plus stomachi & molestiæ est, populum Romanum manus suas non in defendenda Rep. sed in plaudendo consumere. mihi quidem videntur istorum animi incendi etiam ad repræsentandam improbitatẽ suam. sed tamen, dum modò doleant aliquid, doleant quidlibet. Consilium meum quòd ais quotidie magis laudari; non molestè fero; exspectabámque, si quid de eo ad me scriberes. ego enim in varios ser-*

mones incidebam. quin etiam idcirco trahebam, vt quamdiutissimè integrum esset. sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito. facilior enim, & exploratior deuitatio legionum fore videtur, quàm piratarum, qui apparere dicuntur. Sestius VI. *Idus expectabatur, sed non venerat, quod sciã. Cassius cum classicula sua venerat. ego, cùm eum vidissem* V. KAL. *in Pompeianum cogitabam, inde Herculanium. nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De Aebutio, non credo: nec tamen curo plus, quàm tu. Planco, & Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras: sed, si tibi videbitur, ne necesse habueris reddere. cùm enim tua caussa fecerint omnia; vereor, ne meas litteras litteras superuacaneas arbitrentur. Oppio quidem vtique: quem tibi amicissimum cognoui. verùm, vt voles. Tu, quoniam scribis hiematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, si ante eò veneris, quàm mihi in Italiam te auctore veniendum sit. litteras ad me quam sæpissimè, si de rebus minus necessariis aliquem nactus; sin autem erit quid maius, domo mittito.* Ἡρακλείδειον, *si Brundisium salui, adoriemur. de gloria misi tibi. custodies igitur, vt soles: (sed notentur eclogarij) quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio duntaxat legat. mihi valde placent: mallem tibi. Etiam atque etiam vale.*

CICERO ATTICO. S. III.

TV VERO *sapienter. nunc demum enim re-*

ſcribo his litteris, quas mihi miſiſti, conuento Antonio Tiburi. ſapienter igitur, quòd manus dediſti, quódque etiam vltro gratias egiſti, certè enim, vt ſcribis, deſeremur potius à Rep. quàm à re familiari. quod verò ſcribis te magis & magis delectari, O TITE SI QVID EGO: addis mihi ſcribendi alacritatem. Quod Erotem non ſine munuſculo exſpectare dicis; gaudeo non fefelliſſe eam rem opinionem tuam: ſed tamen idem σύνταγμα miſi ad te retractatiùs, & quidem ἀρχέτυπον ipſum, crebris locis inculcatum & refectum. hunc tu tralatum in macrocolum lege arcanò conuiuis tuis: ſed, ſi me amas, hilaris, & bene acceptis; ne in me ſtomachum erumpant, cùm ſint tibi irati. De Cicerone, velim ita ſit, vt audimus. De Xenone, coram cognoſcam: quamquam nihil ab eo arbitror neque indiligenter, neque illiberaliter. De Herode, faciam, vt mandas: & ea, quæ ſcribis, ex Saufeio, & è Xenone cognoſcam. De Q. filio, gaudeo tibi meas litteras prius a tabellario meo, quàm ab ipſo, redditas: quamquam te nihil fefelliſſet. veruntamen. ſed exſpecto, quid ille tecum, quid tu viciſſim: nec dubito, quin ſuo more vterque. ſed eas litteras Curium mihi ſpero redditurum: qui quidem, etſi per ſe eſt amabilis, à méque diligitur; tamen accedit magnus cumulus commendationis tuæ. Litteris tuis ſatis reſponſum eſt. nunc audi quod, etſi intelligo ſcribi neceſſe non eſſe, ſcribo tamen. Multa me mouent in diſceſſu, in primis mehercule, quòd diiungor à te. mouet etiam nauigationis labor, alienus

non

non ab ætate solùm nostra, verum etiam à dignitate; tempúsque discessus subabsurdum. relinquimus enim pacem, vt ad bellum reuertamur; quódque temporis in prædiolis nostris, & bellè ædificatis, & & satis amœnis consumi potuit, in peregrinatione consumimus. consolantur hæc. aut proderimus aliquid Ciceroni: aut, quantum profici possit, indicabimus. deinde tu iam, vt spero, & vt promittis, aderis. quod quidem si acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maximè autem me angit ratio reliquorum meorum: quæ quamquam explicata sunt; tamen, quòd & Dolabellæ nomen in iis est, & attributione mihi nomina ignota, conturbor: nec me vlla res magis angit ex omnibus. itaque non mihi videor errasse, quod ad Balbum scripsi apertiùs, vt, si quid tale accidisset, vt non cõcurrerent nomina, subueniret; méque tibi etiam mandasse, vt, si quid eiusmodi accidisset, cum eo communicares: quod facies, si tibi videbitur, eóque magis, si proficisceris in Epirum. Hæc ego conscendens è Popeiano tribus actuariolis decemscalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. Ecquid amas Deiotarum, & non amas Hieram? qui, vt Blesamius venit ad me, cùm ei præscriptum esset, ne quid sine Sexti nostri sententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquem nostrum retulit. Atticam nostram cupio absentem suauiari: ita mihi dulcis salus visa est, per te missa ab illa. referes igitur ei plurimam, itémque Piliæ dicas velim.

CICERO ATTICO S. IIII.

Ita ut heri tibi narraui, vel fortasse hodie (Quinctus enim altero die se aiebat) in Nesida VIII. Idus: ibi Brutus. quàm ille doluit de Nonis Iuliis. mirificè est conturbatus. itaque sese scripturum aiebat, vt venationem etiam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent, III. ID. QVINCT. Libo interuenit. is Philonem, Pompeij libertum, & Hilarum suum libertum venisse à Sexto cum litteris ad Consules, siue quo alio nomine sunt. earum exemplum nobis legit. dixi quid videretur: pauca περὶ λέξιν: ceteroqui & satis grauiter, & non contumaciter. tantum addi placuit, quod erat, COSS. solùm, vt esset, PRAETT. TRIBB. PLEB. SENATVI; ne illi non proferrent eas, quæ ad ipsos missæ essent. Sextum autem nuntiant cum vna solùm legione fuisse Chartagine: eíque eo ipso die, quo oppidum Boream cepisset, nuntiatum esse de Cæsare: capto oppido, miram lætitiam, commutationémque animorum, concursúmque vndique: sed illum ad sex legiones, quas in vlteriore reliquisset, reuertisse. ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. summa postulatorum, vt omnes exercitus dimittantur, qui vbique sint. Hæc fere de Sexto. De Buthrotiis vndique quærens, nihil reperiebam. alij, concisos agripetas: alij, Plancum, acceptis nummis, relictis illis, aufugisse. itaque non video sciturum me.

quid eius sit, ni statim aliquid litterarum. Iter illud Brundisium, de quo dubitabam, sublatum videtur. legiones enim aduentare dicuntur. hac autem nauigatio habet quasdam suspiciones periculi. itaque constituebam vti ὁμοιοπλοίᾳ. paratiorem offendi Brutum, quàm audiebam. nam & ipse Domitius bona plane habet dicrota: suntque nauigia praeterea luculenta Sestij, Bucilianí, ceterorum. nam Cassii classem, quae plane bella est, non numero vltra fretum. illud est mihi submolestum, quod parum Brutus properare videtur. primum confectorum ludorum nuncios exspectat: deinde, quantum intelligo, tardè est nauigaturus, consistens in locis pluribus: tamen arbitror esse commodius tardè nauigare, quàm omnino non nauigare: etsi, cum processerimus, exploratiora videbuntur; Etesiis vtemur.

CICERO ATTICO S.

T V A S *iam litteras Brutus exspectabat: cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Attij. ille Brutum putabat. sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Graecorum, frequentiam non fuisse: quod quidem me minime fefellit. scis enim, quid ego de Graecis ludis existimem. nunc audi quod pluris est, quàm omnia. Quinctus fuit mecum dies cõplures: &, si ego cuperem, ille vel pluris fuisset: sed, quantum fuit, incredibile est, quam me in omni genere delectarit: in eóque maximè, in quo*

minimè satisfaciebat. sic enim commutatus est totus & scriptis meis quibusdam, quæ in manibus habebam, & assiduitate orationis, & præceptis, vt tali animo in Remp. quali nos volumus, futurus sit. hoc cùm mihi non modò confirmasset, sed etiam persuasisset; egit mecum accurratè multis verbis, tibi vt sponderem, se dignum & te, & nobis futurum; neque se postulare, vt statim crederes: sed, cùm ipse perspexisses, tum vt se amares. quòd nisi fidem mihi fecisset, iudicassémque hoc, quod dico, firmum fore; non fecissem id, quod dicturus sum. duxi enim mecum adolescentem ad Brutum. sic ei probatum est, quod ad te scribo, vt ipse crediderit; me sponsorem accipere noluerit: eúmque laudans amicissimè mentionem tui fecerit; complexus, osculatúsque dimiserit. quamobrem etsi magis est, quod gratuler tibi, quàm quod te rogem, tamen etiam rogo, vt, si quæ minùs antea propter infirmitatem ætatis constanter ab eo fieri videbantur, ea iudices illum abiecisse; mihique credas, multùm allaturam, vel plurimùm potiùs, ad illius iudicium confirmandum, auctoritatem tuam. Bruto cùm sæpe iniecissem de ὁμονοίᾳ, non perinde, atque ego putaram, arripere visus est. existimabam μετεωρότερον esse: & hercule erat, & maximè de ludis. at mihi, cùm ad villam redissem, Cn. Lucceius, qui multùm vtitur Bruto, narrauit, illum valde morari, non tergiuersantem, sed exspectantem, si qui fortè casus. itaque dubito, an Venusiam tendam, & ibi exspectem de legionibus: si aberunt, vt quidam arbitran-

tur, Hydruntem: si neutrum erit ἀσφαλὲς, eodem reuertar. iocari me putas? moriar, si quisquam me tenet preter te: etenim circumspice: sed ante erubesco. O dies in auspiciis Lepidi lepidè descriptos, & aptè ad consilium reditus nostri. magna ῥοπὴ ad proficiscendum tuis litteris. atque vtinam te illic: sed vt conducere putabis. Nepotis epistolam exspecto. cupidus ille meorum, qui ea, quibus maximè γαυριῶ, legenda non putet? & ais μετ' ἀμύμονα. tu verò ἀμύμων: ille quidem ἄμβροτος. Mearum epistolarum nulla est συναγωγή: sed habet Tiro instar septuaginta. & quidem sunt à te quædam sumendæ. eas ego, oportet, perspiciam, corrigam. tum denique edentur.

CICERO ATTICO S. VI.

EGO adhuc (perueni enim Vibonem ad Sicam) *magis commodè, quàm strenuè nauigaui: remis enim magnam partem: prodromi nulli. illud satis oportune: duo sinus fuerunt, quos tramitti oportet, Pæstanus, & Vibonensis: vtrumque pedibus, equis, transmisimus. veni igitur ad Sicam octauo die è Pompeiano, cùm vnum diem Veliæ constitissem: vbi quidem fui sane libenter apud Talnam nostrum: nec potui accipi, illo absente præsertim, liberalius.* IX. KAL. *igitur ad Sicam. ibi tamquam domi meæ scilicet. itaque obduxi posterum diem. sed putabam, cùm Rhegium venissem, fore, vt illic, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, cogitaremus, corbitáne Patras, an*

actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum; ast inde Corcyram: & si oneraria, statimne freto, an Syracusis. hac super re scribam ad te Rhegio. Mehercule, mi Attice, sæpe mecum, ἤ δεῦρ' ὁδὸς σοι τί δυνάται; cur ego tecum non sum? cur, ocellos Italiæ, villulas meas non video? sed id satis supérque tecum me non esse? quid fugientē? periculúmne? nec id nunc quidem, nisi fallor, nullum est. ad ipsum enim reuocat me auctoritas tua. scribis enim in cœlū ferri profectionē meam, sed ita, si ante KAL. *Ian. redeā: quod quidē certè enitar. malo enim vel cum timore domi esse quā sine timore Athenis tuis. sed tamen prospice, quò ista vergant: mihíque aut scribe, aut quod multò malim, affer ipse. hæc hactenus. Illud velim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi maiori curæ sciam esse, quàm ipsi mihi. nomina mea, per deos, expedi, exsolue: bella reliqua reliqui. sed opus est diligentia, cohæredibus pro Cluuiano* KAL. *Sext. persolutum vt sit. cum Publilio quo modo agendum sit, videbis. non debet vrgere, quoniam iure non vtimur, sed tamen ei quoque satisfieri planè volo. Terentiæ vero, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. quin, si, vt spero, celeriter in Epirum; hoc, quod satisdato debeo, peto à te, vt ante prouideas, planéq; expedias, & solutum relinquas. sed de his satis; metuóque, ne tu nimium putes. nunc negligentiam meam cognosce. De gloria librum ad te misi: at in eo procemium id est, quod in Academico tertio. id euenit ob eam rem, quòd habeo volumen procemiorum. ex eo eligere soleo,*

cùm aliquod σύγγραμμα institui. itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. cùm autem in naui legerem Academicos, agnoui erratum meum. itaque statim nouum procemium exaraui; tibi misi. tu illud desecabis, hoc agglutinabis. Piliæ salutem dices, & Atticæ, deliciis atque amoribus meis.

CICERO ATTICO. S. VII.

VIII. ID. Sext. cùm à Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) stadia circiter CCC. processissem, reiectus sum austro vehementi ad eandem Leucopetram. ibi cùm ventum exspectarem (erat enim villa Valerij nostri, vt familiariter essem, & libenter) Rhegini quidam, illustres homines, eò venerunt, Roma sanè recentes: in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. hæc afferebant, edictum Bruti, & Cassij; & fore frequentem Senatum KAL. à Bruto & Cassio litteras missas ad Consulares, & Prætorios; vt adessent, rogare. summam spem nuntiabant, fore, vt Antonius cederet, res conueniret, nostri Romam redirent. addebant etiam, me desiderari, subaccusari. quæ cùm audissem, sine vlla dubitatione abieci consilium profectionis; quo mehercule ne antea quidem delectabar. lectis verò tuis litteris, admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse; sed, non sine caussa, arbitrabar. etsi, quamuis non

fueris suasor & impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti, dummodo KAL. *Ian. Romæ essem. ita fiebat; vt, dum minùs periculi videretur, abessem, in flammam ipsam venirem. sed hæc, etiam si non prudenter, tamen ἀνεμέσητα sunt; primùm, quòd de mea sententia acta sunt; deinde, etiam si te auctore, quid debet, qui consilium dat, præstare præter fidem? Illud admirari satis non potui, quod scripsisti his verbis:* VENI IGITVR TV, QVI ΕΥΘΑΝΑΣΙΑΝ; VENI; RELINQVES PATRIAM? *An ego relinquebam, aut tibi tum relinquere videbar? tu id non modò non prohibebas, verùm etiã approbabas. grauiora, quæ restant.* VELIM ΣΧΟΛΙΟΝ ALIQVOD ELIMES AD ME, OPORTVISSE TE ISTVC FACERE. *Ita ne, mi Attice, defensione eget meum factum, præsertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? ego verò istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus inuitis & dissuadentibus profectus sum: etsi quid iam opus est σχολίῳ? si perseuerassem, opus fuisset. at hoc ipsum non constanter. nemo doctus vnquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilij, inconstantiam dixit esse. deinceps igitur hæc.* NAM SI A PHAEDRO NOSTRO, EXPEDITA EXCVSATIO ESSET. NVNC QVID RESPONDEMVS? *Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitij scilicet plenum, & dedecoris. vtinam à primo ita tibi esset visum. tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. Extre-*

mum illud vel molestissimum. NAM BRVTVS NOSTER SILET: *hoc est, non audet hominem id ætatis monere. aliud nihil habeo, quod ex iis à te verbis significari putem: & hercule ita est. Nam* XVI. KAL. *Sept. cum venissem Veliam, Brutus audiuit. erat enim cum suis nauibus apud Heletem fluuium citra Veliam millia passuum* III. *pedibus ad me statim. dij immortales, quàm valde ille reditu, vel potius reuersione mea lætatus? effudit illa omnia, quæ tacuerat; vt recordarer illud tuum,* NAM BRVTVS NOSTER SILET. *maximè autem dolebat, me* KAL. *Sext. in Senatu non fuisse. Pisonem ferebat in cælum: se autem lætari, quòd effugissem duas maximas vituperationes: vnam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere, desperationis, ac relictionis Reip. (euntes mecum vulgo querebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam) alteram, de qua Brutus, & qui vna erant, (multi autem erant) lætabantur, quòd eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. hoc vero nihil turpius, quouis Reip. tempore: sed hoc, ἀναπολόγητον. ego verò austro gratias miras, qui me à tanta infamia auerterit. Reuersionis has speciosas caussas habes, iustas illas quidem, & magnas: sed nulla iustior, quàm quod tu idem aliis litteris:* PROVIDE, SI CVI QVOD DEBETVR, VT SIT VNDE PAR PARI RESPONDEATVR. MIRIFICA ENIM ΔΥΣΧΡΗΣΤΙΑ EST PROPTER METVM ARMORVM. *in freto medio hanc epistolam legi,*

ut, quid possem prouidere, in mentem mihi non ueniret, nisi ut præsens me ipse defenderem. Sed hæc hactenus. reliqua coram. Antonij edictum legi à Bruto; & horum contra, scriptum præclare. sed quid ista edicta valeant, aut quò spectent, planè non video: nec ego nunc, ut Brutus censebat, istuc ad Remp. capessendam venio. quid enim fieri potest? num quis Pisoni est assensus? num rediit ipse postridie? sed abesse hanc ætatem longe à sepulcro negant oportere. Sed obsecro te, quid est quod audiui de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει, te scripsisse aiebat. valde sum commotus: etsi idem, te scribere, sperare meliùs. ita planè velim. ei dicas plurimam salutem, & suauissimæ Atticæ. Hæc scripsi nauigans, cùm Pompeianum accederem, XIIII. KAL.

CICERO ATTICO. S. VIII.

Cum sciam, quo die venturus sim, faciam, ut scias. impedimenta exspectanda sunt, quæ Anagnia veniunt: & familia ægra est. KAL. vesperi litteræ mihi ab Octauiano. magna molitur. veteranos, quiqui Casilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiā: nec mirū: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. planè hoc spectat, ut se duce bellum geratur cum Antonio. itaque video paucis diebus nos in armis fore. quem autem sequamur? vide nomen: vide ætatem: atque à me postulat, primùm ut clam colloquatur mecum, vel Capuæ, vel

non longè à Capua. puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. docui per litteras, id nec opus esse, nec fieri posse. misit ad me Cæcinam quendam Volaterranum, familiarem suum, qui hæc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad vrbem pergere, pecunias municipiis imperare, legionem sub signis ducere. consultabat, vtrum Romam cum CIↃ CIↃ CIↃ *veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret, & Antonium venientem excluderet; an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superum faciunt, quas sperat suas esse. eæ congiarium ab Antonio accipere noluerunt, vt hic quidem narrat, & ei conuicium graue fecerunt, contionantémque reliquerunt. quid quæris? ducem se profitetur, nec nos sibi putat deesse oportere. equidem suasi, vt Romam pergeret. videtur enim mihi & plebeculam vrbanam, &, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus. ô Brute vbi es? quantam εὐκαιρίαν amittis? non equidem hoc diuinaui, sed aliquid tale putaui fore. Nunc tuum consilium exquiro, Romámne venio, an hîc maneo, an Arpinum (ἀσφάλειαν habet is locus) fugiam? Romam; ne desideremur, si quid actum videbitur. hoc igitur explica. numquam in maiore ἀπορίᾳ fui.*

CICERO ATTICO S. IX.

BINAE *vno die mihi litteræ ab Octauio: nunc quidem, vt Romã statim veniam: velle se rem agere per Senatum: cui ego, non posse Senatum ante* KAL.

Ian. quod quidem ita credo. ille autem addit, CONSILIO TVO. *quid multa? ille vrget: ego autem* σκήπτομαι. *non confido ætati. ignoro, quo animo: nil sine Pansa tuo volo. vereor, ne valeat Antonius: nec à mari discedere libet: & metuo, ne quæ ἀριστεία me absente. Varroni quidem displicet consilium pueri; mihi non. firmas copias habet: Brutum habere potest: & rem gerit palam: centuriat Capuæ, dinumerat. iam iámque video bellum. ad hæc rescribe. Tabellarium meum* KAL. *Roma profectum, sine tuis litteris, miror.*

CICERO ATTICO. S. X.

VI. KAL. *veni ad me in Sinuessanum. eodem die, vulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. itaque mutaui consilium. statueram enim rectà Appia Romam. facilè me ille esset assecutus. aiunt enim eum Cesarina vti celeritate. verti igitur me à Minturnis Arpinum versus. constitueram, vt* II. *idus aut Aquini manerem, aut in Arcano. nunc, mi Attice, tota mente incumbe in hanc curam. magna enim res est. tria sunt autem, maneámne Arpini, an propius accedam, an veniam Romam. quod censueris, faciam. sed quamprimum auidè exspecto tuas litteras.* VI. *Idus mane in Sinuessano.*

CICERO ATTICO. S. XI.

NONIS *accepi à te duas epistolas: quarum*

alteram KAL. dederas, alteram pridie: igitur prius ad superiorem. Nostrum opus tibi probari lator: ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo iudicio. cærulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sica ita est, vt scribis at st, ægre me tenui. itaque perstringam sine vlla contumelia Sicæ aut Septimiæ: tantum, vt sciant παῖδες παίδων sine ὕθλῳ Lucilliano, eum ex C. Fadij filia liberos habuisse: atque vtinam eum diem videam cùm ista oratio ita liberè vagetur, vt etiam in Sicæ domum introeat. sed illo tẽpore opus est, quòd fuit illis Triumuiris. moriar, facetè ni sit. tu verò leges Sexto, eiúsque iudicium mihi perscribes. εἷς ἐμοὶ μυρίοι. Caleni interuentum, & Caluenæ cauebis. Quod vereris, ne ἀδόλεσχος: mihi tu? quis minùs? cui, vt Aristophani Archilochi iambus, sic epistola longissima quæque optima videtur. Quod me admones; tu verò etiam si reprehenderes, non modò facilè paterer, sed etiam lætarer: quippe cùm in reprehensione est prudentia cum εὐμενείᾳ. ita libenter ea corrigam, quæ à te animaduersa sunt, EODEM IVRE, QVO RVBRIANA potius, quàm QVO SCIPIONIS: & de laudibus Dolabellæ deruam cumulum. attamen est isto loco bella, vt mihi videtur, εἰρωνεία, quòd eum ter contra ciues in acie. illud etiam malo, INDIGNISSIMVM EST HVNC VIVERE, quàm, QVID INDIGNIVS? Πεπλογραφίαν Varronis tibi probari non molestè fero: à quo adhuc Ἡρακλείδειον illud non abstuli. Quod me hortaris ad scribendum;

pensione, quæ est KAL. *Sext. ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diem. sed hæc Eros videbit Idibus. De Publilio autem, quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam. sed cùm videas, quantum de iure nostro decesserimus, qui de residuis* CCCC HS, CC *præsentia soluerimus, reliqua rescribamus; loqui cum eo, si videbitur, poteris, eum commodum nostrum exspectare debere, cùm tanta sit à nobis iactura facta iuris. Sed amabo te, mi Attice (vidésne quam blandè?) omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, vt nihil à me exspectes. quamquam enim reliqua satis apta sunt ad soluendum; tamen fit sæpe, vt ij, qui debent non respondeant ad tempus. si quid eiusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. non modò versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis. Bruto tuæ litteræ gratæ erant. fui enim apud illum multas horas in Neside, cùm paulo ante tuas litteras accepissem. delectari mihi Tereo videbatur, & habere maiorem Accio, quàm Antonio, gratiam. mihi autem quo lætiora sunt, eo plus stomachi & molestiæ est, populum Romanum manus suas non in defendenda Rep. sed in plaudendo consumere. mihi quidem videntur istorum animi incendi etiam ad repræsentandam improbitatē suam. sed tamen, dum modò doleant aliquid, doleant quidlibet. Consilium meum quòd ais quotidie magis laudari; non molestè fero; exspectabámque, si quid de eo ad me scriberes. ego enim in varios ser-*

mones incidebam. quin etiam idcirco trahebam, vt quamdiutissimè integrum esset. sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito. facilior enim, & exploratior deuitatio legionum fore videtur, quàm piratarum, qui apparere dicuntur. Sestius VI. *Idus expectabatur, sed non venerat, quod sciã. Cassius cum classicula sua venerat. ego, cùm eum vidissem* V. KAL. *in Pompeianum cogitabam, inde Herculanium. nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De Aebutio, non credo: nec tamen curo plus, quàm tu. Planco, & Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras: sed, si tibi videbitur, ne necesse habueris reddere. cùm enim tua caussa fecerint omnia; vereor, ne meas litteras litteras superuacaneas arbitrentur. Oppio quidem vtique: quem tibi amicissimum cognoui. verùm, vt voles. Tu, quoniam scribis hiematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, si ante eò veneris, quàm mihi in Italiam te auctore veniendum sit. litteras ad me quam sæpissimè, si de rebus minus necessariis aliquem nactus; sin autem erit quid maius, domo mittito.* Ἡρακλείδειον, *si Brundisium salui, adoriemur. de gloria misi tibi. custodies igitur, vt soles: (sed notentur eclogarij) quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio duntaxat legat. mihi valde placent: mallem tibi. Etiam atque etiam vale.*

CICERO ATTICO. S. III.

TV VERO *sapienter. nunc demum enim re-*

scribo his litteris, quas mihi misisti, conuento Antonio Tiburi. sapienter igitur, quòd manus dedisti, quódque etiam ultro gratias egisti. certè enim, ut scribis, deseremur potius à Rep. quàm à re familiari. quod verò scribis te magis & magis delectari, O TITE SI QVID EGO: *addis mihi scribendi alacritatem. Quod Eratem non sine munusculo exspectare dicis; gaudeo non fefellisse eam rem opinionem tuam: sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatiùs, & quidem ἀρχέτυπον ipsum, crebris locis inculcatum & refectum. hunc tu tralatum in macrocollum lege arcanò conuiuis tuis: sed, si me amas, hilaris, & bene acceptis; ne in me stomachum erumpant, cùm sint tibi irati. De Cicerone, velim ita sit, vt audimus. De Xenone, coram cognoscam: quamquam nihil ab eo arbitror neque indiligenter, neque illiberaliter. De Herode, faciam, vt mandas: & ea, quæ scribis, ex Saufeio, & è Xenone cognoscam. De Q. filio, gaudeo tibi meas litteras prius à tabellario meo, quàm ab ipso, redditas: quamquam te nihil fefellisset. veruntamen. sed exspecto, quid ille tecum, quid tu vicissim: nec dubito, quin suo more vterque. sed eas litteras Curium mihi spero redditurum: qui quidem, etsi per se est amabilis, à méque diligitur; tamen accedit magnus cumulus commendationis tuæ. Litteris tuis satis responsum est. nunc audi quod, etsi intelligo scribi necesse non esse, scribo tamen. Multa me mouent in discessu, in primis mehercule, quòd diiungor à te. mouet etiam nauigationis labor, alienus*

non

non ab ætate solùm nostra, verum etiam à dignitate; tempúsque discessus subabsurdum. relinquimus enim pacem, vt ad bellum reuertamur; quódque temporis in prædiolis nostris, & bellè ædificatis, & & satis amœnis consumi potuit, in peregrinatione consumimus. consolantur hæc. aut proderimus aliquid Ciceroni: aut, quantum profici possit, iudicabimus. deinde tu iam, vt spero, & vt promittis, aderis. quod quidem si acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maximè autem me angit ratio reliquorum meorum: quæ quamquam explicata sunt; tamen, quòd & Dolabellæ nomen in iis est, & attributione mihi nomina ignota, conturbor: nec me vlla res magis angit ex omnibus. itaque non mihi videor errasse, quod ad Balbum scripsi apertiùs, vt, si quid tale accidisset, vt non cōcurrerent nomina, subueniret; méque tibi etiam mandasse, vt, si quid eiusmodi accidisset, cum eo communicares: quod facies, si tibi videbitur, eóque magis, si proficisceris in Epirum. Hæc ego conscendens è Pōpeiano tribus actuariolis decemscalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. Ecquid amas Deiotarum, & non amas Hieram? qui, vt Blesamius venit ad me, cùm ei præscriptum esset, ne quid sine Sexti nostri sententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquem nostrum retulit. Atticam nostram cupio absentem suauiari: ita mihi dulcis salus visa est, per te missa ab illa. referes igitur ei plurimam, itémque Piliæ dicas velim.

CICERO ATTICO S. IIII.

Ita vt heri tibi narraui, vel fortasse hodie (Quinctus enim altero die se aiebat) in Nesida VIII. Idus: ibi Brutus. quàm ille doluit de Nonis Iuliis. mirificè est conturbatus. itaque sese scripturum aiebat, vt venationem etiam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent, III. ID. QVINCT. Libo interuenit. is Philonem, Pompeij libertum, & Hilarum suum libertum venisse à Sexto cum litteris ad Consules, siue quo alio nomine sunt. earum exemplum nobis legit. dixi si quid videretur: pauca παρὰ λέξιν: ceteroqui & satis grauiter, & non contumaciter. tantum addi placuit, quod erat, COSS. solùm, vt esset, PRAETT. TRIBB. PLEB. SENATVI; ne illi non proferrent eas, quæ ad ipsos missæ essent. Sextum autem nuntiant cum vna solùm legione fuisse Chartagine: eíque eo ipso die, quo oppidum Boream cepisset, nuntiatum esse de Cæsare: capto oppido, miram lætitiam, commutationémque animorum, concursúmque vndique: sed illum ad sex legiones, quas in vlteriore reliquisset, reuertisse: ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. summa postulatorum, vt omnes exercitus dimittantur, qui vbique sint. Hæc fere de Sexto. De Buthrotiis vndique quærens, nihil reperiebam. alij, concisos agripetas: alij, Plancum, acceptis nummis, relictis illis, aufugisse. itaque non video sciturum me,

quid eius sit, ni statim aliquid litterarum. Iter illud Brundisium, de quo dubitabam, sublatum videtur. legiones enim aduentare dicuntur. hæc autem nauigatio habet quasdam suspiciones periculi. itaque constituebam uti ὁμοπλοΐᾳ. paratiorem offendi Brutum, quàm audiebam. nam & ipse Domitius bona plane habet dicrota: suntque nauigia præterea luculenta Sestij, Bucilani, cæterorum. nam Cassii classem, quæ planè bella est, non numero ultra fretum. illud est mihi submolestum, quod parum Brutus properare videtur. primum confectorum ludorum nuntios exspectat: deinde, quantum intelligo; tardè est nauigaturus, consistens in locis pluribus: tamen arbitror esse commodius tardè nauigare, quam omnino non nauigare: etsi, cum processerimus, exploratiora videbuntur; Etesiis utemur.

CICERO ATTICO S. V.

TVAS iam litteras Brutus exspectabat: cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Attij. ille Brutum putabat. sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Græcorum, frequentiam non fuisse: quod quidem me minime fefellit. scis enim, quid ego de Græcis ludis existimem. nunc audi quod pluris est, quàm omnia. Quinctus fuit mecum dies cõplures: &, si ego cuperem, ille vel pluris fuisset: sed, quantum fuit, incredibile est, quam me in omni genere delectarit: in eóque maximè, in quo

minimè satisfaciebat. sic enim commutatus est totus & scriptis meis quibusdam, quæ in manibus habebam, & assiduitate orationis, & præceptis, ut tali animo in Remp. quali nos volumus, futurus sit. hoc cùm mihi non modò confirmasset, sed etiam persuasisset; egit mecum accuratè multis verbis, tibi ut sponderem, se dignum & te, & nobis futurum; neque se postulare, ut statim crederes: sed, cùm ipse perspexisses, tum ut se amares. quòd nisi fidem mihi fecisset, iudicassémque hoc, quod dico, firmum fore; non fecissem id, quod dicturus sum. duxi enim mecum adolescentem ad Brutum. sic ei probatum est, quod ad te scribo, ut ipse crediderit; me sponsorem accipere noluerit: cúmque laudans amicissimè mentionem tui fecerit: complexus, osculatúsque dimiserit. quamobrem etsi magis est, quod gratuler tibi, quàm quod te rogem; tamen etiam rogo, ut, si quæ minùs antea propter infirmitatem ætatis constanter ab eo fieri videbantur, ea iudices illum abiecisse; mihique credas, multùm allaturam, vel plurimùm potiùs, ad illius iudicium confirmandum, auctoritatem tuam. Bruto cùm sæpe iniecissem de ὁμονοίᾳ, non perinde, atque ego putaram, arripere visus est. existimabam μετεωρότερον esse: & hercule erat, & maximè de ludis. at mihi, cùm ad villam redissem, Cn. Lucceius, qui multum utitur Bruto, narrauit, illum valde morari, non tergiuersantem, sed exspectantem, si qui fortè casus. itaque dubito, an Venusiam tendam, & ibi exspectem de legionibus: si aberunt, ut quidam arbitran-

tur, Hydruntem: si neutrum erit ἀσφαλὲς, eodem reuertar. iocari me putas? moriar, si quisquam me tenet præter te: etenim circumspice: sed ante erubesco. O dies in auspiciis Lepidi lepidè descriptos, & aptè ad consilium reditus nostri. magna ῥοπὴ ad proficiscendum tuis litteris. atque vtinam te illic. sed vt conducere putabis. Nepotis epistolam exspecto. cupidus ille meorum, qui ea, quibus maximè γαυριῶ, legenda non putet? & ais μετ᾽ ἀμύμονα: tu verò ἀμύμων: ille quidem ἄμβροτος. Mearum epistolarum nulla est συναγωγὴ: sed habet Tiro instar septuaginta. & quidem sunt à te quædam sumendæ. eas ego, oportet, perspiciam, corrigam: tum denique edentur.

CICERO ATTICO S. VI.

EGO adhuc (perueni enim Vibonem ad Sicam) magis commodè, quàm strenuè nauigaui: remis enim magnam partem: prodromi nulli. illud satis opportune: duo sinus fuerunt, quos tramitti oportet, Pæstanus, & Vibonensis: vtrumque pedibus, equis, transmisimus. veni igitur ad Sicam octauo die è Pompeiano, cùm vnum diem Veliæ constitissem: vbi quidem fui sane libenter apud Talnam nostrum: nec potui accipi, illo absente præsertim, liberalius. IX. KAL. igitur ad Sicam. ibi tamquam domi meæ scilicet. itaque obduxi posterum diem. sed putabam, cùm Rhegium venissem, fore, vt illic, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, cogitaremus, corbitáne Patras, an

actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, ast inde Corcyram: & , si oneraria, statímne freto, an Syracusis. hac super re scribam ad te Rhegio. Mehercule, mi Attice, sæpe mecum, ἡ δεῦρ' ὁδός σοι τί δύναται; cur ego tecum non sum? cur, ocellos Italiæ, villulas meas non video? sed id satis supérque tecum me non esse? quid fugientẽ? periculúmne? nec id nunc quidem, nisi fallor, nullum est. ad ipsum enim reuocat me auctoritas tua. scribis enim in cœlũ ferri profectionẽ meam, sed ita, si ante KAL. *Ian. redeã: quod quidẽ certè enitar. malo enim vel cum timore domi esse quã sine timore Athenis tuis. sed tamen prospice, quò ista vergant; mihíque aut scribe, aut quod multò malim, affer ipse. hæc hactenus. Illud velim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi maiori curæ sciam esse, quàm ipsi mihi. nomina mea, per deos, expedi, exsolue: bella reliqua reliqui. sed opus est diligentia, coheredibus pro Cluuiano* KAL. *Sext. persolutum vt sit. cum Publilio quo modo agendum sit, videbis. non debet vrgere, quoniam iure non vtimur. sed tamen ei quoque satisfieri planè volo. Terentiæ vero, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. quin, si, vt spero, celeriter in Epirum; hoc, quod satisdato debeo, peto à te, vt ante prouideas, planéq; expedias, & solutum relinquas. sed de his satis; metuóque, ne tu nimium putes. nunc negligentiam meam cognosce. De gloria librum ad te misi: at in eo proœmium id est, quod in Academico tertio. id euenit ob eam rem, quòd habeo volumen proœmiorum. ex eo eligere soleo,*

cùm aliquod σύγγραμμα institui. itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto proœmio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. cùm autem in naui legerem Academicos, agnoui erratum meum. itaque statim nouum proœmium exaraui; tibi misi. tu illud desecabis, hoc agglutinabis. Piliæ salutem dices, & Atticæ, deliciis atque amoribus meis.

CICERO ATTICO. S. VII.

VIII. ID. Sext. cùm à Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) stadia circiter CCC. processissem, reiectus sum austro vehementi ad eandem Leucopetram. ibi cùm ventum exspectarem (erat enim villa Valerij nostri, vt familiariter essem, & libenter) Rhegini quidam, illustres homines, eò venerunt, Roma sanè recentes: in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. hæc afferebant, edictum Bruti, & Cassij; & fore frequentem Senatum KAL. à Bruto & Cassio litteras missas ad Consulares, & Prætorios; vt adessent, rogare. summam spem nuntiabant, fore, vt Antonius cederet, res conueniret, nostri Romam redirent. addebant etiam, me desiderari, subaccusari. quæ cùm audissem, sine vlla dubitatione abieci consilium profectionis; quo mehercule ne antea quidem delectabar. lectis verò tuis litteris, admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse; sed, non sine caussa, arbitrabar. etsi, quamuis non

fueris suasor & impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti, dummodo KAL. *Ian. Romæ essem. ita fiebat, vt, dum minus periculi videretur, abessem, in flammam ipsam venirem. sed hæc, etiam si non prudenter, tamen ἀνεμέσητα sunt; primum, quòd de mea sententia acta sunt; deinde, etiam si te auctore, quid debet, qui consilium dat, præstare præter fidem? Illud admirari satis non potui, quod scripsisti his verbis:* VENI IGITVR TV, QVI ΕΥΘΑΝΑΣΙΑΝ; VENI; RELINQVES PATRIAM? *An ego relinquebam, aut tibi tùm relinquere videbar? tu id non modò non prohibebas, verùm etiã approbabas. grauiora, quæ restant.* VELIM ΣΧΟΛΙΟΝ ALIQVOD ELIMES AD ME, OPORTVISSE TE ISTVC FACERE. *Ita ne, mi Attice, defensione eget meum factum, præsertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? ego verò istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus inuitis & dissuadentibus profectus sum: etsi quid iam opus est σχολίῳ? si perseuerassem, opus fuisset. at hoc ipsum non constanter. nemo doctus vmquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilij, inconstantiam dixit esse. deinceps igitur hæc.* NAM SI A PHAEDRO NOSTRO, EXPEDITA EXCVSATIO ESSET. NVNC QVID RESPONDEMVS? *Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitij scilicet plenum, & dedecoris. vtinam à primo ita tibi esset visum. tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. Extre-*

mum illud vel molestissimum. NAM BRVTVS NOSTER SILET: *hoc est, non audet hominem id ætatis monere. aliud nihil habeo, quod ex iis à te verbis significari putem: & hercule ita est. Nam* XVI. KAL. *Sept. cum venissem Veliam, Brutus audiuit. erat enim cum suis nauibus apud Heletem fluuium citra Veliam millia passuum* III. *pedibus ad me statim. dij immortales, quàm valde ille reditu, vel potius reuersione mea lætatus? effudit illa omnia, quæ tacuerat; vt recordarer illud tuum,* NAM BRVTVS NOSTER SILET. *maximè autem dolebat, me* KAL. *Sext. in Senatu non fuisse. Pisonem ferebat in cælum: se autem lætari, quòd effugissem duas maximas vituperationes: vnam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere, desperationis, ac relictionis Reip. (euntes mecum vulgo querebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam) alteram, de qua Brutus, & qui vna erant, (multi autem erant) lætabantur, quòd eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. hoc vero nihil turpius, quouis Reip. tempore: sed hoc, ἀναπολόγητον. ego verò austro gratias miras, qui me à tanta infamia auerterit. Reuersionis has speciosas caussas habes, iustas illas quidem, & magnas: sed nulla iustior, quàm quod tu idem aliis litteris:* PROVIDE, SI CVI QVOD DEBETVR, VT SIT VNDE PAR PARI RESPONDEATVR. MIRIFICA ENIM ΔΥΣΧΡΗΣΤΙΑ EST PROPTER METVM ARMORVM. *in freto medio hanc epistolam legi,*

vt, quid possem prouidere, in mentem mihi non veniret, nisi vt præsens me ipse defenderem. Sed hæc hactenus. reliqua coram. Antonij edictum legi à Bruto; & horum contra, scriptum præclarè. sed quid ista edicta valeant, aut quò spectent, planè non video: nec ego nunc, vt Brutus censebat, istuc ad Remp. capessendam venio. quid enim fieri potest? num quis Pisoni est assensus? num rediit ipse postridie? sed abesse hanc ætatem longe à sepulcro negant oportere. Sed obsecro te, quid est quod audiui de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει, te scripsisse aiebat. valde sum commotus: etsi idem, te scribere, sperare meliùs. ita planè velim. ei dicas plurimam salutem, & suauissimæ Atticæ. Hæc scripsi nauigans, cùm Pompeianum accederem, XIIII. KAL.

CICERO ATTICO. S. VIII.

CVM *sciam, quo die venturus sim, faciam, vt scias. impedimenta exspectanda sunt, quæ Anagnia veniunt: & familia ægra est.* KAL. *vesperi litteræ mihi ab Octauiano. magna molitur. veteranos, quiqui Casilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiã: nec mirũ: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. planè hoc spectat, vt se duce bellum geratur cum Antonio. itaque video paucis diebus nos in armis fore. quem autem sequamur? vide nomen: vide ætatem: atque à me postulat, primùm vt clam colloquatur mecum, vel Capuæ, vel*

non longè à Capua. puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. docui per litteras, id nec opus esse, nec fieri posse. misit ad me Cecinam quendam Volaterranum, familiarem suum, qui hæc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad vrbem pergere, pecunias municipiis imperare, legionem sub signis ducere. consultabat, vtrum Romam cum CIↃ CIↃ CIↃ veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret, & Antonium venientem excluderet; an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superum faciunt, quas sperat suas esse. eæ congiarium ab Antonio accipere noluerunt, vt hic quidem narrat, & ei conuicium graue fecerunt, contionantémque reliquerunt. quid quæris? ducem se profitetur, nec nos sibi putat deesse oportere. equidem suasi, vt Romam pergeret. videtur enim mihi & plebeculam vrbanam, &, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus. ô Brute vbi es? quantam εὐκαιρίαν amittis? non equidem hoc diuinaui, sed aliquid tale putaui fore. Nunc tuum consilium exquiro. Romámne venio, an hîc maneo, an Arpinum (ἀσφάλειαν habet is locus) fugiam? Romam; ne desideremur, si quid actum videbitur. hoc igitur explica. numquam in maiore ἀπορίᾳ fui.

CICERO ATTICO S. IX.

BINAE vno die mihi litteræ ab Octauio: nunc quidem, vt Romã statim veniam: velle se rem agere per Senatum: cui ego, non posse Senatum ante KAL.

Ian. quod quidem ita credo. ille autem addit, CONSILIO TVO. *quid multa? illè vrget: ego autem σκήπτομαι. non confido ætati. ignoro, quo animo: nil sine Pansa tuo volo. vereor, ne valeat Antonius: nec à mari discedere libet: & metuo, ne quæ ἀριστεία me absente. Varroni quidem displicet consilium pueri; mihi non. firmas copias habet: Brutum habere potest: & rem gerit palam: centuriat Capuæ; dinumerat. iam iámque video bellum. ad hæc rescribe. Tabellarium meum* KAL. *Roma profectum, sine tuis litteris, miror.*

CICERO ATTICO. S. X.

VI. KAL. *veni ad me in Sinuessanum. eodem die, vulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. itaque mutaui consilium. statueram enim rectà Appia Romam. facilè me ille esset assecutus. aiunt enim eum Cesarina vti celeritate. verti igitur me à Minturnis Arpinum versus. constitueram, vt* II. *idus aut Aquini manerem, aut in Arcano. nunc, mi Attice, tota mente incumbe in hanc curam. magna enim res est. tria sunt autem, maneámne Arpini, an propius accedam, an veniam Romam. quod censueris, faciam. sed quamprimum auidè exspecto tuas litteras.* VI. *Idus mane in Sinuessano.*

CICERO ATTICO. S. XI.

NONIS *accepi à te duas epistolas: quarum*

alteram KAL. *dederas, alteram pridie: igitur prius ad superiorem. Nostrum opus tibi probari lator: ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo iudicio. cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sica ita est, vt scribis at st, ægre me tenui. itaque perstringam sine vlla contumelia Sicæ aut Septimiæ: tantum, vt sciant παῖδες παίδων sine ὕθλῳ Lucilliano, eum ex C. Fadij filia liberos habuisse: atque vtinam eum diem videam cùm ista oratio ita liberè vagetur, vt etiam in Sicæ domum introeat. sed illo tẽpore opus est, quòd fuit illis Triumuiris. moriar, facetè ni sit. tu verò leges Sexto, eiúsque iudicium mihi perscribes. εἷς ἐμοὶ μυρίοι. Caleni internentum, & Caluenæ cauebis. Quod vereris, ne ἀδόλεσχος: mihi tu? quis minùs? cui, vt Aristophani Archilochi iambus, sic epistola longissima quæque optima videtur. Quod me admones; tu verò etiam si reprehenderes, non modò facilè paterer, sed etiam lætarer: quippe cùm in reprehensione est prudentia cum εὐμενείᾳ. ita libenter ea corrigam, quæ à te animaduersa sunt, EODEM IVRE, QVO RVBRIANA potius, quàm QVO SCIPIONIS: & de laudibus Dolabellæ deruam cumulum. attamen est isto loco bella, vt mihi videtur, εἰρωνεία, quòd eum ter contra ciues in acie. illud etiam malo, INDIGNISSIMVM EST HVNC VIVERE, quàm, QVID INDIGNIVS? Πεπλογραφίαν Varronis tibi probari non molestè fero: à quo adhuc Ἡρακλείδειον illud non abstuli. Quod me hortaris ad scribendum;

pensione, quæ est KAL. *Sext. ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diem. sed hæc Eros videbit Idibus. De Publilio autem, quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam. sed cùm videas, quantum de iure nostro decesserimus, qui de residuis* CCCC HS, CC *præsentia soluerimus, reliqua rescribamus; loqui cum eo, si videbitur, poteris, eum commodum nostrum exspectare debere, cùm tanta sit à nobis iactura facta iuris. Sed amabo te, mi Attice (vidésne quam blandè?) omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, vt nihil à me exspectes. quamquam enim reliqua satis apta sunt ad soluendum; tamen fit sæpe, vt ij, qui debent non respondeant ad tempus. si quid eiusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. non modò versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis. Bruto tuæ litteræ gratæ erant. fui enim apud illum multas horas in Neside, cùm paulo ante tuas litteras accepissem. delectari mihi Tereo videbatur, & habere maiorem Accio, quàm Antonio, gratiam. mihi autem quo lætiora sunt, eo plus stomachi & molestiæ est, populum Romanum manus suas non in defendenda Rep. sed in plaudendo consumere. mihi quidem videntur istorum animi incendi etiam ad repræsentandam improbitatẽ suam. sed tamen, dum modò doleant aliquid, doleant quidlibet. Consilium meum quòd ais quotidie magis laudari; non molestè fero; exspectabámque, si quid de eo ad me scriberes. ego enim in varios ser-*

mones incidebam. quinetiam idcirco trahebam, vt quamdiutissimè integrum esset. sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito. facilior enim, & exploratior deuitatio legionum fore videtur, quàm piratarum, qui apparere dicuntur. Sestius VI. *Idus expectabatur, sed non venerat, quod sciã. Cassius cum classicula sua venerat. ego, cùm eum vidissem* V. KAL. *in Pompeianum cogitabam, inde Herculanium. nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De Aebutio, non credo: nec tamen curo plus, quàm tu. Planco, & Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras: sed, si tibi videbitur, ne necesse habueris reddere. cùm enim tua caussa fecerint omnia; vereor, ne meas litteras litteras superuacaneas arbitrentur. Oppio quidem vtique: quem tibi amicissimum cognoui. verùm, vt voles. Tu, quoniam scribis hiematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, si ante eò veneris, quàm mihi in Italiam te auctore veniendum sit. litteras ad me quam sæpissimè, si de rebus minus necessariis aliquem nactus; sin autem erit quid maius, domo mittito. Ἡρακλείδιον, si Brundisium salui, adoriemur. de gloria misi tibi. custodies igitur, vt soles: (sed notentur eclogarij) quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio duntaxat legat. mihi valde placent: mallem tibi. Etiam atque etiam vale.*

CICERO ATTICO. S. III.

TV VERO *sapienter. nunc demum enim re-*

non ab ætate ſolùm noſtra, verum etiam à dignitate; tempúſque diſceſſus ſubabſurdum. relinquimus enim pacem, vt ad bellum reuertamur; quódque temporis in prædiolis noſtris, & bellè ædificatis, & & ſatis amœnis conſumi potuit, in peregrinatione conſumimus. conſolantur hæc. aut proderimus aliquid Ciceroni: aut, quantum profici poſſit, iudicabimus. deinde tu iam, vt ſpero, & vt promittis, aderis. quod quidem ſi acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maximè autem me angit ratio reliquorum meorum: quæ quamquam explicata ſunt; tamen, quòd & Dolabellæ nomen in iis eſt, & attributione mihi nomina ignota, conturbor: nec me vlla res magis angit ex omnibus. itaque non mihi videor erraſſe, quod ad Balbum ſcripſi apertiùs, vt, ſi quid tale accidiſſet, vt non cōcurrerent nomina, ſubueniret; méque tibi etiam mandaſſe, vt, ſi quid eiuſmodi accidiſſet, cum eo communicares: quod facies, ſi tibi videbitur, eóque magis, ſi proficiſceris in Epirum. Hæc ego conſcendens è Pōpeiano tribus actuariolis decemſcalmis. Brutus erat in Neſide etiam nunc, Neapoli Caſſius. Ecquid amas Deiotarum, & non amas Hieram? qui, vt Bleſamius venit ad me, cùm ei præſcriptum eſſet, ne quid ſine Sexti noſtri ſententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquem noſtrum retulit. Atticam noſtram cupio abſentem ſuauiari: ita mihi dulcis ſalus viſa eſt, per te miſſa ab illa. referes igitur ei plurimam, itémque Piliæ dicas velim.

CICERO ATTICO S. IIII.

Ita vt heri tibi narraui, vel fortasse hodie (Quinctus enim altero die se aiebat) in Nesida VIII. *Idus: ibi Brutus. quàm ille doluit de Nonis Iuliis. mirificè est conturbatus. itaque sese scripturum aiebat, vt venationem etiam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent,* III. ID. QVINCT. *Libo interuenit. is Philonem, Pompeij libertum, & Hilarum suum libertum venisse à Sexto cum litteris ad Consules, siue quo alio nomine sunt. earum exemplum nobis legit. dixi quid videretur: pauca* περὶ λέξιν: *ceteroqui & satis grauiter, & non contumaciter. tantum addi placuit, quod erat,* COSS. *solùm, vt esset,* PRAETT. TRIBB. PLEB. SENATVI; *ne illi non proferrent eas, quæ ad ipsos missæ essent. Sextum autem nuntiant cum vna solùm legione fuisse Chartagine: eique eo ipso die, quo oppidum Boream cepisset, nuntiatum esse de Cæsare: capto oppido, miram lætitiam, commutationémque animorum, concursúmque vndique: sed illum ad sex legiones, quas in vlteriore reliquisset, reuertisse: ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. summa postulatorum, vt omnes exercitus dimittantur, qui vbique sint. Hæc fere de Sexto. De Buthrotiis vndique quærens, nihil reperiebam. alij, concisos agripetas: alij, Plancum, acceptis nummis, relictis illis, aufugisse. itaque non video sciturum me.*

quid eius sit, ni statim aliquid litterarum. Iter illud Brundisium, de quo dubitabam, sublatum videtur. legiones enim aduentare dicuntur. hac autem nauigatio habet quasdam suspiciones periculi. itaque constituebam uti ὁμοπλοίᾳ. paratiorem offendi Brutum, quàm audiebam. nam & ipse Domitius bona plane habet dicrota; suntque nauigia praeterea luculenta Sestij, Buciliani, caeterorum; nam Cassii classem, quae planè bella est, non numero vltra fretum. illud est mihi submolestum, quòd parum Brutus properare videtur. primum confectorum ludorum nuntios exspectat: deinde, quantum intelligo, tardè est nauigaturus, consistens in locis pluribus: tamen arbitror esse commodius tardè nauigare, quam omninò non nauigare: etsi, cum processerimus, exploratiora videbuntur; Etesiis utemur.

CICERO ATTICO S. V.

TVAS iam litteras Brutus exspectabat: cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Attij. ille Brutum putabat. sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Graecorum, frequentiam non fuisse: quod quidem me minime fefellit. scis enim, quid ego de Graecis ludis existimem. nunc audi quod pluris est, quàm omnia. Quinctus fuit mecum dies cõplures: &, si ego cuperem, ille vel pluris fuisset: sed, quantum fuit; incredibile est, quam me in omni genere delectarit: in eóque maximè, in quo

minimè satisfaciebat. sic enim commutatus est totus & scriptis meis quibusdam, quæ in manibus habebam, & assiduitate orationis, & præceptis, vt tali animo in Remp. quali nos volumus, futurus sit. hoc cùm mihi non modò confirmasset, sed etiam persuasisset; egit mecum accurratè multis verbis, tibi vt sponderem, se dignum & te, & nobis futurum; neque se postulare, vt statim crederes: sed, cùm ipse perspexisses, tum vt se amares. quòd nisi fidem mihi fecisset, indicassémque hoc, quod dico, firmum fore; non fecissem id, quod dicturus sum. duxi enim mecum adolescentem ad Brutum. sic ei probatum est, quod ad te scribo, vt ipse crediderit; me sponsorem accipere noluerit: eúmque laudans amicissimè mentionem tui fecerit: complexus, osculatúsque dimiserit. quamobrem etsi magis est, quod gratuler tibi, quàm quod te rogem; tamen etiam rogo, vt, si quæ minùs antea propter infirmitatem ætatis constanter ab eo fieri videbantur, ea iudices illum abiecisse; mihique credas, multùm allaturam, vel plurimùm potiùs, ad illius iudicium confirmandum, auctoritatem tuam. Bruto cùm sæpe iniecissem de ὁμονοίᾳ, non perinde, atque ego putaram, arripere visus est. existimabam μετεωρότερον esse: & hercule erat, & maximè de ludis. at mihi, cùm ad villam redissem, Cn. Lucceius, qui multùm vtitur Bruto, narrauit, illum valde morari, non tergiuersantem, sed exspectantem, si qui fortè casus. itaque dubito, an Venusiam tendam, & ibi exspectem de legionibus: si aberunt, vt quidam arbitran-

tur, Hydruntem: si neutrum erit ἀσφαλὲς, eodem reuertar. iocari me putas? moriar, si quisquam me tenet præter te? etenim circumspice: sed ante erubesco. O dies in auspiciis Lepidi lepidè descriptos, & aptè ad consilium reditus nostri. magna ῥοπὴ ad proficiscendum tuis litteris. atque vtinam te illic. sed vt conducere putabis. Nepotis epistolam exspecto. cupidus ille meorum, qui ea, quibus maximè γαυριῶ, legenda non putet? & ais μετ' ἀμύμονα. tu verò ἀμύμων: ille quidem ἄμβροτος. Mearum epistolarum nulla est συναγωγή: sed habet Tiro instar septuaginta. & quidem sunt à te quædam sumendæ. eas ego, oportet, perspiciam, corrigam. tum denique edentur.

CICERO ATTICO S. VI.

EGO adhuc (perueni enim Vibon' in ad Sicam) *magis commodè, quàm strenuè nauigaui: remis enim magnam partem: prodromi nulli. illud satis opportunè: duo sinus fuerunt, quos tramitti oportet, Pæstanus, & Vibonensis: vtrumque pedibus, equis, transmisimus. veni igitur ad Sicam octauo die è Pompeiano, cùm vnum diem Veliæ constitissem: vbi quidem fui sane libenter apud Talnam nostrum: nec potui accipi, illo absente præsertim, liberalius.* IX. KAL. *igitur ad Sicam. ibi tamquam domi meæ scilicet. itaque obduxi posterum diem. sed putabam, cùm Rhegium venissem, fore, vt illic, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, cogitaremus, corbitáne Patras, an*

actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, ast inde Corcyram: &, si oneraria, statimne freto, an Syracusis. hac super re scribam ad te Rhegio. Mehercule, mi Attice, sæpe mecum, ἡ δεῦρ' ὁδὸς σοὶ τί δυνάται; cur ego tecum non sum? cur, ocellos Italiæ, villulas meas non video? sed id satis supérque tecum me non esse? quid fugientẽ? periculúmne? nec id nunc quidem, nisi fallor, nullum est. ad ipsum enim reuocat me auctoritas tua. scribis enim in cælũ ferri profectionẽ meam, sed ita, si ante KAL. Ian. redeã: quod quidẽ certè enitar. malo enim vel cum timore domi esse quã sine timore Athenis tuis. sed tamen prospice, quò ista vergant; mihique aut scribe, aut quod multò malim, affer ipse. hæc hactenus. Illud velim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi maiori cura sciam esse, quàm ipsi mihi. nomina mea, per deos, expedi, exsolue: bella reliqua reliqui. sed opus est diligentia, coheredibus pro Cluuiano KAL. Sext. persolutum vt sit. cum Publilio quo modo agendum sit, videbis. non debet vrgere, quoniam iure non vtimur, sed tamen ei quoque satisfieri planè volo. Terentiæ vero, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. quin, si, vt spero, celeriter in Epirum; hoc, quod satisdato debeo, peto à te, vt ante prouideas, planéq; expedias, & solutum relinquas. sed de his satis; metuóque, ne tu nimium putes. nunc negligentiam meam cognosce. De gloria librum ad te misi: at in eo proœmium id est, quod in Academico tertio. id euenit ob eam rem, quòd habeo volumen proœmiorum. ex eo eligere soleo,

cùm aliquod σύγγραμμα institui. itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto proœmio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. cùm autem in naui legerem Academicos, agnoui erratum meum. itaque statim nouum proœmium exaraui; tibi misi. tu illud desecabis, hoc agglutinabis. Piliæ salutem dices, & Atticæ, deliciis atque amoribus meis.

CICERO ATTICO. S. VII.

VIII. ID. *Sext. cùm à Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) stadia circiter* CCC. *processissem, reiectus sum austro vehementi ad eandem Leucopetram. ibi cùm ventum exspectarem (erat enim villa Valerij nostri, vt familiariter essem, & libenter) Rhegini quidam, illustres homines, eò venerunt, Roma sanè recentes: in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. hæc afferebant, edictum Bruti, & Cassij; & fore frequentem Senatum* KAL. *à Bruto & Cassio litteras missas ad Consulares, & Pretorios; vt adessent, rogare. summam spem nuntiabant, fore, vt Antonius cederet, res conueniret, nostri Romam redirent. addebant etiam, me desiderari, subaccusari. quæ cùm audissem, sine vlla dubitatione abieci consilium profectionis; quo mehercule ne antea quidem delectabar. lectis verò tuis litteris, admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse; sed, non sine caussa, arbitrabar. etsi, quamuis non*

fueris suasor & impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti, dummodo KAL. *Ian. Romæ essem. ita fiebat, vt, dum minùs periculi videretur, abessem, in flammam ipsam venirem. sed hæc, etiam si non prudenter, tamen ἀνεμέσητα sunt; primùm, quòd de mea sententia acta sunt; deinde, etiam si te auctore, quid debet, qui consilium dat, præstare præter fidem? Illud admirari satis non potui, quod scripsisti his verbis:* VENI IGITVR TV, QVI ΕΥΘΑΝΑΣΙΑΝ; VENI; RELINQVES PATRIAM? *An ego relinquebam, aut tibi tùm relinquere videbar? tu id non modò non prohibebas, verùm etiã approbabas. grauiora, quæ restant.* VELIM ΣΧΟΛΙΟΝ ALIQVOD ELIMES AD ME, OPORTVISSE TE ISTVC FACERE. *Ita ne, mi Attice, defensione eget meum factum, præsertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? ego verò istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus inuitis & dissuadentibus profectus sum: etsi quid iam opus est σχολίῳ? si perseuerassem, opus fuisset. at hoc ipsum non constanter. nemo doctus vmquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilij, inconstantiam dixit esse. deinceps igitur hæc.* NAM SI A PHAEDRO NOSTRO, EXPEDITA EXCVSATIO ESSET. NVNC QVID RESPONDEMVS? *Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitij scilicet plenum, & dedecoris. vtinam à primo ita tibi esset visum. tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. Extre-*

mum illud vel molestissimum. NAM BRVTVS NOSTER SILET: *hoc est, non audet hominem id ætatis monere. aliud nihil habeo, quod ex iis à te verbis significari putem: & hercule ita est. Nam* XVI. KAL. *Sept. cum venissem Veliam, Brutus audiuit. erat enim cum suis nauibus apud Heletem fluuium citra Veliam millia passuum* III. *pedibus ad me statim. dij immortales, quàm valde ille reditu, vel potius reuersione mea lætatus? effudit illa omnia, quæ tacuerat; vt recordarer illud tuum,* NAM BRVTVS NOSTER SILET. *maximè autem dolebat, me* KAL. *Sext. in Senatu non fuisse. Pisonem ferebat in cælum: se autem lætari, quòd effugissem duas maximas vituperationes: vnam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere, desperationis, ac relictionis Reip. (euntes mecum vulgo querebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam) alteram, de qua Brutus, & qui vna erant, (multi autem erant) lætabantur, quòd eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. hoc vero nihil turpius, quouis Reip. tempore: sed hoc, ἀνεπολόγητον. ego verò austro gratias miras, qui me à tanta infamia auerterit. Reuersionis has speciosas caussas habes, iustas illas quidem, & magnas: sed nulla iustior, quàm quod tu idem aliis litteris:* PROVIDE, SI CVI QVOD DEBETVR, VT SIT VNDE PAR PARI RESPONDEATVR. MIRIFICA ENIM ΔΥΣΧΡΗΣΤΙΑ EST PROPTER METVM ARMORVM. *in freto medio hanc epistolam legi,*

vt, quid possem prouidere, in mentem mihi non veniret, nisi vt præsens me ipse defenderem. Sed hæc hactenus. reliqua coram. Antonij edictum legi à Bruto; & horum contra, scriptum præclare. sed quid ista edicta valeant, aut quò spectent, planè non video: nec ego nunc, vt Brutus censebat, istuc ad Remp. capessendam venio. quid enim fieri potest? num quis Pisoni est assensus? num rediit ipse postridie? sed abesse hanc ætatem longe à sepulcro negant oportere. Sed obsecro te, quid est quod audiui de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει, te scripsisse aiebat. valde sum commotus: etsi idem, te scribere, sperare meliùs. ita planè velim. ei dicas plurimam salutem, & suauissimæ Atticæ. Hæc scripsi nauigans, cùm Pompeianum accederem, XIIII. KAL.

CICERO ATTICO. S. VIII.

CVM *sciam, quo die venturus sim, faciam, vt scias. impedimenta exspectanda sunt, quæ Anagnia veniunt: & familia ægra est.* KAL. *vesperi litteræ mihi ab Octauiano. magna molitur. veteranos, quiqui Casilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiã: nec mirũ: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. planè hoc spectat, vt se duce bellum geratur cum Antonio. itaque video paucis diebus nos in armis fore. quem autem sequamur? vide nomen: vide ætatem: atque à me postulat, primùm vt clam colloquatur mecum, vel Capuæ, vel*

non longè à Capua. puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. docui per litteras, id nec opus esse, nec fieri posse. misit ad me Cæcinam quendam Volaterranum, familiarem suum, qui hæc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad vrbem pergere, pecunias municipiis imperare, legionem sub signis ducere. consultabat, vtrum Romam cum CIↃ CIↃ CIↃ *veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret, & Antonium venientem excluderet; an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superum faciunt, quas sperat suas esse. eæ congiarium ab Antonio accipere noluerunt, vt hic quidem narrat, & ei conuicium graue fecerunt, contionantémque reliquerunt. quid quæris? ducem se profitetur, nec nos sibi putat deesse oportere. equidem suasi, vt Romam pergeret. videtur enim mihi & plebeculam vrbanam, &, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus. ô Brute vbi es? quantam εὐχρείαν amittis? non equidem hoc diuinaui, sed aliquid tale putaui fore. Nunc tuum consilium exquiro. Romámne venio, an hîc maneo, an Arpinum (ἀσφάλειαν habet is locus) fugiam? Romam; ne desideremur, si quid actum videbitur. hoc igitur explica. numquam in maiore ἀπορίᾳ fui.*

CICERO ATTICO S. IX.

BINAE *vno die mihi litteræ ab Octauio: nunc quidem, vt Romā statim veniam: velle se rem agere per Senatum: cui ego, non posse Senatum ante* KAL.

alteram KAL. dederas, alteram pridie: igitur prius ad superiorem. Nostrum opus tibi probari lętor: ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quę mihi florentiora sunt visa tuo iudicio. cęrulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sica ita est, vt scribis at st, ęgre me tenui. itaque perstringam sine vlla contumelia Sicę aut Septimię: tantum, vt sciant παῖδες παίδων sine ὕθλῳ Lucilliano, eum ex C. Fadij filia liberos habuisse: atque vtinam eum diem videam cùm ista oratio ita liberè vagetur, vt etiam in Sicę domum introeat. sed illo tēpore opus est, quòd fuit illis Triumuiris. moriar, facetè ni sit. tu verò leges Sexto, eiúsque iudicium mihi perscribes. εἷς ἐμοὶ μυρίοι. Caleni interuentum, & Caluenę cauebis. Quod vereris, ne ἀδόλεσχος: mihi tu? quis minùs? cui, vt Aristophani Archilochi iambus, sic epistola longissima quęque optima videtur. Quod me admones; tu verò etiam si reprehenderes, non modò facilè paterer, sed etiam lętarer: quippe cùm in reprehensione est prudentia cum εὐμενείᾳ. ita libenter ea corrigam, quę à te animaduersa sunt, EODEM IVRE, QVO RVBRIANA potius, quàm QVO SCIPIONIS: & de laudibus Dolabellę deruam cumulum. attamen est isto loco bella, vt mihi videtur, εἰρωνεία, quòd eum ter contra ciues in acie. illud etiam malo, INDIGNISSIMVM EST HVNC VIVERE, quàm, QVID INDIGNIVS? Πεπλογραφίαν Varronis tibi probari non molestè fero: à quo adhuc Ἡρακλείδειον illud non abstuli. Quod me hortaris ad scribendum;

amicè tu quidem, ſed me ſcito agere nihil aliud. Grauedo tua mihi moleſta eſt. quæſo adhibe, quam ſoles, diligentiam. O TITE, *tibi prodeſſe lætor. Anagnini ſunt, Muſtela* ταξιάρχης, *& Laco, qui plurimum bibit. Librum, quem rogas, perpoliam, & mittam. Hæc ad poſteriorem.* Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, *quatenus Panætius, abſolui duobus: illius tres ſunt. ſed cùm initio diuiſiſſet ita, tria genera exquirendi officij eſſe; vnum, cùm deliberemus, honeſtum, an turpe ſit; alterum, vtile, an inutile; tertium, cùm hæc inter ſe pugnare videantur, quo modo iudicandum ſit: qualis cauſſa Reguli; redire honeſtum, manere vtile: de duobus primis præclarè diſſeruit; de tertio pollicetur ſe deinceps: ſed nihil ſcripſit. eum locum Poſidonius perſecutus. ego autem & eius librum accerſiui, & ad Athenodorum Caluum ſcripſi, vt ad me* τὰ κεφάλαια *mitteret; quæ exſpecto: quem velim cohortere, & roges, vt quamprimum. in eo eſt* περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. *Quod de inſcriptione quæris; non dubito quin* καθῆκον *officium ſit, niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior,* DE OFFICIIS. προσφωνῶ *autem Ciceroni filio. viſum eſt non* ἀνοίκειον: *De Myrtilo, dilucidè. ô qualis tu ſemper iſtos! itá ne in D. Brutum? dij iſtis. Ego me, vt ſcripſeram, in Pompeianum non abdidi, primò tempeſtatibus, quibus nil tetrius: deinde ab Octauiano quotidie litteræ, vt negotium ſuſciperem, Capuam venirem, iterum Remp. ſeruarem; Romam vtique ſtatim.*

οὐδὲ δεῖσεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

is tamen egit ſanè ſtrennè, & agit. Romam veniet cum manu magna: ſed eſt plane puer. putat Senatum ſtatim. quis veniet? ſi venerit, quis, incertis rebus, offendet Antonium? KAL. Ian. erit fortaſſè præſidio: aut quidem ante depugnabitur. puero municipia mirè fauent. iter enim faciens in Samnium venit Cales, manſit Theani. mirifica ἀπάντησις, & cohortatio. hoc tu putares? ob hoc ego citiùs Romam, quàm constitueram. ſimul ac constituero, ſcribam. Etſi nondùm ſtipulationes legeram (nec enim Eros venerat) tamen rem pridie Idus velim conficias. Epiſtolas Catinam, Tauromenium, Syracuſas commodiùs mittere potero, ſi Valerius Interpres ad me nomina gratioſorum ſcripſerit: alij enim ſunt aliâs, noſtrique familiares ferè demortui. publicè tamen ſcripſi, ſi vti vellet eis Valerius: aut mihi nomina mitteret. De Lepidanis feriis Balbus ad me. Vſque ad III. KAL. exſpectabo tuas litteras: neque Torquati negotiolo ſtiturum puto. Quincti litteras ad te miſi, vt ſcires, quàm valde eum amaret, quem dolet à te minùs amari. Attica, quoniam, quod optimum in pueris eſt, hilarula eſt, meis verbis ſuauium des. Vale.

CICERO ATTICO. S. XII.

OPPII epiſtolæ, quia perhumana erat, tibi miſi exemplum. De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi quicquàm reſcribis, cepi conſilium domeſticum.

itaque me pridie Idus arbitror Romæ futurum. commodius est visum, frustra me istic esse, cùm id non necesse esset, quàm, si opus esset, non adesse: & simul, ne intercluderer, metuebam. ille enim iam aduentare potest: etsi varij rumores; multíque, quos cuperem veros. nihil tamen certi. ego verò, quidquid est, tecum potius, quàm animi pendeam, cùm à te absim, & de te, & de me. sed quid tibi dicam? πονοῦμαι enim. De Ἡρακλειδείῳ Varronis, negotia salsa. me quidem nihil vmquam sic delectauit. sed hæc, & alia maiora coram.

CICERO ATTICO S. XIII.

O CASVM *mirificum! VI. Idus cùm ante lucem de Sinuessano surrexissem, venissémque diluculo ad Pontem Tirenum, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obuiam mihi fit tabellarius, qui me offendit* δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. *ego statim, cedo, inquam, si quid ab Attico. nondum legere poteramus: nam & lumina dimiseramus; nec satis lucebat. cùm autem luceret, ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi cœpta est. illa omnium quidem elegantissima. ne sim saluus, si aliter scribo, ac sentio; nihil legi humanius. itaque veniam, quò vocas, modò adiutore te. sed nihil tam* ἀπροσδιόνυσον *mihi primò videbatur, quàm ad has litteras, quibus ego à te consilium petieram, te mihi ista rescribere. ecce tibi altera, qua hortaris* παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα, Νήσου ἐπὶ Ψυρίης, *Appiam* ἐπ'

ἀριστερ'

ἀεὶ ϛῷ ἔχοντα. itaque eo die mansi Aquini. longulum sane iter, & via ἀμάξα: inde postridie mane proficiscens, has litteras dedi: & quidem, vt à me dimitterem inuitissimus, fecerunt Erotis littera. rem tibi Tiro narrabit. tu, quid faciendum sit videbis. præterea, possímne propiùs accedere (malo enim esse in Tusculano, aut vspiam in suburbano) an etiam longiùs discedendum putas, crebro ad me velim scribas. erit autem quotidie, cui des. Quod præterea consulis, quid tibi censeam faciundum, difficile est, cùm absim. veruntamen, si pares æquè inter se, quiescendum: sin; latius manabit, & quidem ad nos, deinde communiter. auidè tuum consilium exspecto. timeo, ne absim, cùm adesse me sit honestius: venire non audeo. De Antonij itineribus nescio quid aliter audio, atque vt ad te scribebam. omnia igitur velim explices, & ad me certa mittas. De reliquo quid tibi ego dicam? ardeo studio historiæ, incredibiliter enim me commouet tua cohortatio. quæ quidem nec institui, nec effici potest sine tua ope. coram igitur hoc quidem conferemus. In præsentia mihi velim scribas, quibus CENSS. *C. Fannius M. F. Tribunus pl. fuerit. videor mihi audisse, P. Africano, L. Mummio. id igitur quæro. tu mihi de iis rebus, quæ nouantur, omnia certa, clara.* III. ID. *ex Arpinati.*

CICERO ATTICO S. XIIII.

NIHIL *erat planè, quod scriberem. nam cùm*

Puteolis essem, quotidie aliquid noui de Octauiano, multa etiam falsa de Antonio. ad ea autem, quæ scripsisti (tres enim acceperam III. *Idus à te epistolas) valde tibi assentior, si multum possit Octauianus, multo firmiùs acta tyranni comprobatum iri, quàm in Telluris: atque id contra Brutum fore: sin autem vincitur, vides intollerabilem Antonium: vt, quem velis, nescias. O Sestij tabellarium, hominem nequam! postridie Puteolis Romæ se dixit fore. Quod me mones, vt pedetentim; assentior: etsi aliter cogitabam. nec me Philippus, aut Marcellus mouet. alia enim eorum ratio: &, si non est, tamen videtur. sed in isto iuuene, quamquam animi satis, auctoritatis parum est. tamen vide, si fortè in Tusculano rectè esse possum, ne id melius sit (ero libentiùs: nihil enim ignorabo) an hoc, cùm Antonius venerit. Sed, vt aliud ex alio, mihi non est dubium, quin, quod Græci* καθῆκον, *nos officium. id autem, quid dubitas, quin etiam in Remp. præclarè caderet? nonne dicimus, Consulum officium, Senatus officium? præclarè conuenit; aut da melius. Male narras de Nepotis filio. valde mehercule moueor, & molestè fero. nescieram omnino esse istum puerum. Caninium perdidi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum, nihil est, quod hortêre. misit enim satis bellum* ὑπόμνημα. *Grauedini, quæso, omni ratione subueni. Quinctus aui tui pronepos, scribit ad patris mei nepotem, se ex Nonis iis, quibus nos magna gessimus, ædem Opis explicaturum, idque ad*

populum. videbis igitur, & scribes. Sexti iudicium exspecto.

CICERO ATTICO S. XV.

NOLI *putare, pigritia me facere, quòd non mea manu scribam: sed mehercule pigritia. nihil enim habeo aliud, quod dicam: & tamen in tuis quoque epistolis Alexim videor agnoscere. sed ad rem venio. Ego, si me non improbissimè Dolabella tractasset, dubitassem fortasse, vtrum remissior essem, an summo iure contenderem. nunc vero etiam gaudeo mihi caussam oblatam, in qua & ipse sentiat, & reliqui omnes me ab illo abalienatum: idque præ me feram, & quidem me mea facere, & Reip. caussa, vt illum oderim, quòd, cùm eam me auctore defendere cœpisset, non modò deseruerit, emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuerit, euerterit. Quod autem quæris, quomodo agi placeat, cùm dies venerit; primùm velim eiusmodi sit, vt non alienum sit, me Romæ esse; de quo vt de ceteris, faciam, vt tu censueris. de summa autem agi prorsus vehementer & seuerè volo. etsi, sponsores appellare, videtur habere quandam δυσωπίαν: tamen hoc, quale sit, consideres velim. possumus enim, vt sponsores apellentur, procuratores introducere. neque enim illi litem contestabuntur. quo facto, non sum nescius sponsores liberari. sed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores eius non dissoluere; & nostræ*

grauitatis, ius nostrum sine summa illius ignominia persequi. de hoc quid placeat, rescribas velim: nec dubito, quin hoc totum lenius administraturus sis. Redeo ad Remp. Multa mehercule à te sæpe ἐν πολιτικῷ genere prudenter: sed his litteris nihil prudentius: QVAMQVAM ENIM POST EA, IN PRESENTIA BELLE ISTE PVER RETVNDIT ANTONIVM, TAMEN EXITVM EXSPECTARE DEBEMVS. *at, quæ contio? nam est missa mihi. iurat, ita sibi parentis honores consequi liceat: & simul dextram intendit ad statuam.* μηδὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου. *sed, vt scribis, certissimum esse video discrimen, Cascæ nostri Tribunatum: de quo quidem ipso dixi Oppio, cùm me hortaretur, vt adolescentem, totámque caussam, manúmque veteranorum complecterer, me nullo modo facere posse, ni mihi exploratum esset, eum non modò non inimicum tyrannoctonis, verùm etiam amicum fore. cùm ille diceret, ita futurum: quid igitur festinamus? inquam. illi enim mea opera ante* KAL. *Ian. nihil opus est. nos autem eius voluntatem ante Idus Decemb. perspiciemus in Casca. mihi valde assensus est. Quamobrem hæc quidem hactenus. Quod reliquum est, quotidie tabellarios habebis, &, vt ego arbitror, etiam quod scribas habebis quotidie. Leptæ litterarum exemplum tibi misi: ex quo mihi videtur* στρατύλλαξ *ille deiectus de gradu. sed tu, cùm legeris, existimabis.*

OBSIGNATA *iam epistola, litteras à te, & à Sexto accepi. nihil iucundius litteris Sexti, nihil*

amabilius: nam tuæ, breues: priores erant vberrimæ. Tu quidem & prudenter, & amicè suades, vt in his locis potissimùm sim, quoad audiamus, hæc, quæ commota sunt, quorsum euadant. sed me, mi Attice, non sanè hoc quidem tempore mouet Resp. non quo aut sit mihi quicquam carius, aut esse debeat. sed desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. quare ista valeant: me res familiaris mouet: rem dico? immo verò existimatio. cùm enim tanta reliqua sint; ne Terentiæ quidem adhuc, quod soluam expeditum est. Terentiam dico? scis nos pridem iam constituisse Montani nomine HS XXV. dissoluere. pudentissimè hoc Cicero petierat, vt fide sua. liberalissimè, vt tibi quoque placuerat, promiseram; Erotique dixeram, vt sepositum haberet. non modò: sed iniquissimo fœnore versuram facere Aurelius coactus est. nam de Terentiæ nomine Tiro ad me scripsit, te dicere, nummos à Dolabella fore. malè eum credo intellexisse, si quisquam malè intelligit; potiùs, nihil intellexisse. tu enim ad me scripsisti Cocceij responsum, & iisdē pæne verbis Eros. veniendum est igitur vel in ipsam flammam. turpius est enim priuatim cadere, quàm publicè. itaque ceteris de rebus, quas ad me suauissimè scripsisti, perturbato animo, non potui, vt consueram, rescribere. consenti in hac cura, vbi sum, vt me expediam: quibus autem rebus, venit quidem mihi in mentem; sed certè constituere nihil possum, priùs quàm te videro. qui minùs autem ego istic rectè esse possim, quàm est Marcellus? sed non id agitur: ne-

que id maximè curo. quid curẽ, vides. adsum igitur.

CICERO ATTICO. S. XVI.

IVCVNDISSIMAS *tuas legi litteras. ad Plancum scripsi; habes exemplum. cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentiùs, si te occupatione ista relaxaris.*

M. CICERO L. PLANCO PRAET. DES. S.

ATTICI nostri te valde studiosum esse cognoui, mei verò ita cupidum, vt mehercule paucos æque obseruantes, atque amantes me habere existimem. ad paternas enim magnas, & veteres, & iustas necessitudines magnã attulit accessionem tua voluntas erga me, meáque erga te, par atque mutua. Buthrotia tibi caussa ignota non est: egi enim sæpe de ea re tecum, tibíque totam rem demonstraui: quæ est acta hoc modo. Vt primum Buthrotium agrum proscriptum vidimus, commotus Atticus libellum composuit. eum mihi dedit, vt darem Cæsari. eram enim cenaturus apud eum illo die. eum libellum Cæsari dedi: probauit caussam; rescripsit Attico, æqua eum postulare: admonuit tamen, vt pecuniam reliquam Buthrotij ad diem soluerent. Atticus, qui ciuitatem conseruatam cuperet, pecuniam numerauit de suo. quod cùm esset factum, adimus ad Cæsarem, verba fecimus pro Buthrotiis, liberalissimum decretum abstulimus; quod est obsignatum ab amplissimis viris. quæ cùm essent acta, mirari quidẽ solebam,

pati Cæſarem conuenire eos, qui agrum Buthrotium concupiſſent: neque ſolum pati, ſed etiam ei negotio te præficere. itaque & ego cum illo locutus ſum, & ſępius quidem; vt etiam accuſarer ab eo, quòd parum conſtantiæ ſuæ confiderē: & M. Meſſallæ, & ipſi Attico dixit, vt ſine cura eſſent: apertéque oſtendebat, ſe præſentiū animos (erat enim popularis, vt noras) offendere nolle: cùm mare tranſiſſent, curaturum ſe, vt in alium agrum deducerentur. hæc illo viuo. poſt interitum autem Cæſaris, vt primum ex S. C. cauſſas Conſules cognoſcere inſtituerunt, hæc, quæ ſupra ſcripſi, ad eos delata ſunt. probauerunt cauſſas ſine vlla dubitatione, ſéque ad te litteras daturos eſſe dixerūt. Ego autem, mi Plance, etſi non dubitabā, quin & S.C. & lex, & Conſulum decretum, ac litteræ apud te plurimū auctoritatis haberent, téque ipſius Attici cauſſa velle intellexeram: tamen hoc pro coniunctione, & beniuolentia noſtra mihi ſumpſi, vt id à te peterem, quod tua ſingularis humanitas, ſuauiſſimíq; mores à te eſſent impetraturi. id autem eſt, vt hoc, quod te tua ſpōte facturum eſſe certo ſcio, honoris noſtri cauſſa libenter, prolixè, celeriter facias. mihi nemo eſt amicior, nec iucundior, nec carior Attico: cuius antea res ſolùm familiaris agebatur, eáque magna; nunc acceſſit etiam exiſtimatio, vt, quod conſecutus eſt magna & induſtria, & gratia, & viuo Cæſare, & mortuo, id, te adiuuante, obtineat. quòd ſi à te erit impetratum, ſic velim exiſtimes, me de tua liberalitate ita

interpretaturum; vt tuo ſummo beneficio me affectum iudicem. ego, quæ te velle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, ſtudioſè, diligentérque curabo. da operam, vt valeas.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

IAM antea petiui abs te per litteras, vt, cùm cauſſa Buthrotiorum probata à Conſulibus eſſet, quibus & lege, & S. C. permiſſum erat, vt de Cæſaris actis cognoſcerent, ſtatuerent, iudicarent, eam rem tu adiuuares: Atticúmque noſtrum, cuius te ſtudioſum cognoui, & me, qui non minùs laboro, moleſtia liberares. omnibus enim rebus magna cura, multa opera, & labore confectis, in te poſitum eſt, vt noſtræ ſolicitudinis finem quam primùm facere poſſimus. quamquam intelligimus ea te eſſe prudentia, vt videas, ſi ea decreta Conſulum, quæ de Cæſaris actis interpoſita ſunt, non ſeruentur, magnam perturbationem rerum fore. equidem, cùm multa, quod neceſſe erat in tanta occupatione, non probentur, quæ Cæſar ſtatuerit; tamen otij, pacíſque cauſſa acerrimè illa ſoleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendum cenſeo: quamquam hæc epiſtola non ſuaſoris eſt, ſed rogatoris. Igitur, mi Plance, rogo te, & etiam oro, ſic me dius fidius, vt maiore ſtudio, magíſque ex animo agere non poſſim, vt totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, vt, quod ſine vlla dubitatione apud Conſules obtinuimus propter ſummam bonitatem, & æquitatem cauſſæ, id tu nos obtinuiſſe non modo facile

patiare, ſed etiam gaudeas. qua quidem voluntate eſſe erga Atticum, ſæpe preſens & illi oſtendiſti, & verò etiam mihi. quod ſi feceris, me, quem voluntate, & paterna neceſſitudine coniunctũ ſemper habuiſti, maximo beneficio deuinctũ habebis. idq; vt facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

CICERO CAPITONI SVO. S.

NVMQVAM putaui fore, vt ſupplex ad te venirem. ſed hercule facilè patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam, ſcis. amabo te, da mihi & hoc: obliuiſcere mea cauſſa, illum aliquando ſuo familiari, aduerſario tuo, voluiſſe conſultum, cùm illius exiſtimatio ageretur. hoc primùm ignoſcere, eſt humanitatis tuæ: ſuos enim quiſque debet tueri: deinde, ſi me amas (omitte Atticum) Ciceroni tuo, quem quanti facias, præ te ſoles ferre, totum hoc da, vt, quod ſemper exiſtimaui, nunc planè intelligam, me à te multùm amari. Buthrotios cùm Cæſar decreto ſuo, quod ego obſignaui cum multis ampliſſimis viris, liberauiſſet, oſtendiſſétque nobis, ſe, cùm agrarij mare tranſiſſent, litteras miſſurum, quem in agrum deducerentur; accidit, vt ſubito ille interiret. deinde, quemadmodum tu ſcis (interfuiſti enim, cùm Conſules oporteret ex S. C. de actis Cæſaris cognoſcere) res ab iis in KAL. Iun. dilata eſt. acceſſit ad S. C. lex, quæ lata eſt A. D. IIII. Nonas Iun. quæ lex earum rerum, quas Cæſar ſtatuiſſet, decreuiſſet, egiſſet, Conſulibus cognitionem dedit. cauſſa Buthrotiorum

delata est ad Consules. decretum Cæsaris recitatum est, & multi præterea libelli Cæsaris prolati. Consules de consilij sententia decreuerunt secundum Buthrotios; Plancum dederunt. Nunc, mi Capito (scio enim quantum semper apud eos, quibuscum sis posse soleas, eo plus apud hominem facillimum, atque humanissimum Plancum) enitere, elabora, vel potiùs eblandire, effice, vt Plancus, quem spero optimum esse, sit etiam melior opera tua. omnino res huiusmodi videtur esse, vt sine cuiusquam gratia Plancus ipse pro ingenio, & prudentia sua non sit dubitaturus, quin decretum Consulum, quorum & lege, & S. C. cognitio, & iudicium fuit, conseruet; præsertim cùm, hoc genere cognitionum labefactato, acta Cæsaris in dubium ventura videantur: quæ non modo ij, quorum interest, sed etiam ij, qui illa non probant, otij caussa confirmare velint. quod cùm ita sit, tamen interest nostra, Plancum hoc animo libenti prolixóque facere. quod certè faciet, si tu neruulos tuos, mihi sæpe cognitos, suauitatémque, qua nemo tibi par est, adhibueris. quod vt facias, te vehementer rogo.

CICERO C. CVPIENNIO S.

PATREM tuũ plurimi feci; méq; ille mirificè & coluit, & amauit: nec mehercule vnquam mihi dubium fuit, quin à te diligerer. ego quidem id facere non destiti. quamobrem peto à te in maiorem modum, vt ciuitatem Buthrotiam subleues, decretúmque Consulum, quod ij secundum Bu-

throtios fecerunt, cùm & lege, & S. C. statuendi potestatem haberent, des operam, vt Plancus noster quamprimum cõfirmet & comprobet. hoc te vehemẽter, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

IGNOSCE mihi, quòd cùm antea accuratissimè de Buthrotiis ad te scripserim, eadem de re sæpius scribam. non mehercule, mi Plance, facio, quo parum cõfidam aut liberalitati tuæ, aut nostræ amicitiæ; sed cùm tanta res agatur Attici nostri, nunc vero etiam existimatio, vt id, quod probauit Cæsar, nobis testibus & obsignatoribus, qui & decretis, & responsis Cæsaris interfueramus, videatur obtinere potuisse, præsertim cùm tota potestas eius rei tua sit, vt ea, quæ Consules decreuerunt secundũ Cęsaris decreta & respõsa, non dicam comprobes, sed studiosè libentérque comprobes. id mihi sic erit gratum, vt nulla res gratior esse possit. etsi iam sperabam, cùm has litteras accepisses, fore, vt ea, quæ superioribus litteris à te petiissemus, impetrata essent; tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit, te id fecisse; quod magna cum spe exspectamus. deinde enim confido fore, vt alio genere litterarum vtamur; tibique pro tuo summo beneficio gratias agamus. quod si acciderit, velim sic existimes, non tibi tam Atticum, cuius permagna res agitur, quàm me, qui non minùs laboro, quàm ille, obligatum fore.

CICERO CAPITONI S.

NON dubito, quin mirêre, atque etiam sto-

machere, quòd tecum de eadem re agam ſæpius. Hominis familiariſſimi, & mihi omnibus rebus coniunctiſſimi, permagna res igitur, Attici. cognoui ego tua ſtudia in amicos, etiam in te amicorum. multùm potes nos apud Plancum iuuare. noui humanitatem tuam. ſcio, quàm ſis amicis iucundus. nemo nos in hac cauſſa plus iuuare poteſt, quàm tu. & res ita eſt firma, vt debet eſſe; quam Conſules de conſilij ſententia decreuerunt, cùm & lege, & S. C. cognoſcerent. tamen omnia poſita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur cùm officij tui, & Reip. cauſſa decretum Conſulum comprobaturum, tum libenter noſtra cauſſa eſſe facturum. adiuuabis igitur, mi Capito: quod vt facias, vehementer etiam atque etiam rogo.

T. POMPONII ATTICI VITA AVCTORE CORNELIO NEPOTE.

POMPONIVS *Atticus, ab origine vltima, stirpis Romanæ genere natus, perpetuò à maioribus ac-acceptam Equestrem obtinuit dignitatem. patre vsus est diligente, indulgente, & , vt tum erant tempora, diti, in primísque studioso litterarum. hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudiuit. erat autem in puero, præter docilitatem ingenij, summa suauitas oris, & vocis; vt non solùm celeriter acciperet, quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret: qua ex re pueritiâ nobilis inter æquales ferebatur, clariúsque explēdescebat, quàm generosi condiscipuli animo æquè ferre possent. itaq; incitabat omnis suo studio. quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi deuinxit, vt nemo iis perpetuo fuerit carior. pater maturè decessit. ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpicij, qui Tribunus pl. interfectus est, non expers fuit illius periculi. namque Anicia, Pomponij consobrina, nupserat ~~M.~~ Seruio fratri Sulpicij. itaque, interfecto Sulpicio, postea quàm vidit Cinnano tumultu ciuitatem esse perturbatam; neque sibi dari facultatem pro dignitate viuendi, quin alterutram partem of-* +

fenderet, dissociatis animis ciuium, cùm alij Sullanis, alij Cinnanis fauerent partibus, idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit: neque eò seciùs adolescentem Marium, hostem iudicatum, iuuit opibus suis: cuius fugam pecunia subleuauit. ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. hic ita vixit, vt vniuersis Atheniensibus merito esset carissimus. nam præter gratiam, quæ iam in adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam leuauit. cum enim versuram facere publicè necesse esset, neque eius conditionem æquam haberent, semper se interposuit, atque ita vt neque vsuram vmquam ab iis acceperit, neque longiùs, quàm dictum esset, debere passus sit. quod vtrumque erat iis salutare. nam neque indulgendo inueterascere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis vsuris crescere. auxit hoc officium alia quoque liberalitate. nam vniuersos frumento donauit; ita vt singulis VI. modij tritici darentur; qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur. hic autem sic se gerebat, vt communis infimis, par principibus videretur. quo factum est, vt huic omnes honores, quos possent, publicè haberent, ciuémque facere studerent. quo beneficio ille vti noluit. quod nonnulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanã alia adscita. Quàm diu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. itaque aliquot ipsi, & Piliæ locis

ſanctiſſimis poſuerunt. hunc enim in omni procuratione Reip. actorem, auctorémque habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quòd in ea potiſſimum vrbe natus eſt, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperij, vt eãdem & patriam haberet, & domum. hoc ſpecimen prudentiæ, quòd, cum in eam ſe ciuitatem contuliſſet, quæ antiquitate, humanitate, doctrináque præſtaret omnes, ei vnus ante alios fuerit cariſſimus. Huc ex Aſia Sulla decedens cùm veniſſet; quàm diu ibi fuit, ſecum habuit Pomponium, captus adoleſcentis & humanitate & doctrina. ſic enim Græcè loquebatur, vt Athenis natus videretur. tanta autem erat ſuauitas ſermonis Latini, vt appareret in eo natiuum quendam leporem eſſe, non adſcitum. idem poëmata pronuntiabat & Græcè, & Latinè ſic, vt ſupra nihil poſſet addi. quibus rebus factum eſt, vt Sulla nunquam à ſe dimitteret, cuperétq; ſecum deducere. qui cùm perſuadere temtaret; Noli, oro te, inquit Pomponius, aduerſum eos me velle deducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. at Sulla, adoleſcentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiſcẽs iuſſit deferri. Hîc complures annos moratus cùm & rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligẽs deberet pater familias, & omnia reliqua tempora aut litteris, aut Athenienſium Reip. tribueret, nihilo minus amicis vrbana officia præſtitit. nam & ad comitia eorum ventitauit; & ſi qua res maior acta eſt, non defuit: ſicut Ciceroni

in omnibus eius periculis singularem fidem præbuit: cui ex patria fugienti HS CC & quinquaginta millia donauit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigrauit Romam, vt opinor, L. Cotta, & L. Torquato COSS. quem diem sic vniuersa ciuitas Atheniensium prosecuta est, vt lacrimis desiderij futuri dolorem indicaret. Habebat auunculum Q. Cæcilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, diuitem, difficillima natura: cuius sic asperitatem veritus est, vt, quem nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam senectutem retinuerit beniuolentiam. quo facto, tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens testamento adoptauit eum, heredémque fecit ex dodrante. ex qua hereditate accepit circiter centies HS. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni: eásque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo à condiscipulatu viuebat coniunctissimè, multo etiam familiarius, quàm cum Quincto: vt iudicari possit plus in amicitia valere similitudinem morum, quàm affinitatem. vtebatur autem intimè Q. Hortensio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, vt intelligi non posset, vter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius: & id, quod erat difficillimum, efficiebat, vt inter quos tanta laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essétque talium virorum copula. In Rep. ita est versatus, vt semper optimarum partium & esset & existimaretur; neque tamen se ciuilibus fluctibus committeret; quòd non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent.

sent, quàm qui maritimis iactarentur. honores non petiit, cùm ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem; quod neque peti more maiorum, neque capi possent, conseruatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri sine periculo, corruptis ciuitatis moribus. ad hastam publicam numquam accessit. nullius rei neque pras, neque manceps factus est. neminem suo nomine, neque subscribens accusauit. in ius de sua re numquam iit. iudicium nullum habuit. multorum Consulum, Pratorúmque prafecturas delatas sic accepit, vt neminem in prouinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum, qui ne cum Q. quidem Cicerone voluit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset. non enim decere se arbitrabatur, cùm Praturam gerere noluisset, asseclam esse Pratoris. qua in re non solum dignitati seruiebat, sed etiam tranquillitati, cùm suspiciones quoque vitaret criminum. quo fiebat, vt eius obseruantia omnibus esset carior, cùm eam officio, non timori, neque spei tribui viderent. Incidit Casarianum ciuile bellum, cum haberet annos circiter sexaginta. vsus est atatis vacatione, neque quoquam se mouit ex vrbe. qua amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. ipsum Pompeium non iunctus non offendit: nullum ab eo habebat ornamentum, vt ceteri, qui per eum aut honores, aut diuitias ceperant: quorum partim inuitissimi castra sunt secuti, partim summa cum eius offensione domi remanserunt.

Attici autem quies tantopere Cæsari fuit grata, vt victor, cùm priuatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solũ molestus non fuerit, sed etiam sororis filium Q. Ciceronem ex Pompeij castris concesserit. sic vetere instituto vitæ effugit noua pericula. Secutum est illud occiso Cæsare, cùm Respub. penes Brutos videretur esse, & Cassium, ac tota ciuitas se ad eum conuertisse videretur. sic M. Bruto vsus est, vt nullo ille adolescens æquali familiarius, quàm hoc sene: neque solùm eum principem consilij haberet, sed etiam in conuictu. Excogitatum est à quibusdam, vt priuatum ærarium Cæsaris interfectoribus ab Equitibus Romanis constitueretur. id facile effici posse arbitrati sunt, si & principes illius ordinis pecunias contulissent. itaque appellatus est à C. Flauiõ, Bruti familiari, Atticus, vt eius rei princeps esse vellet. at ille, qui officia amicis præstanda sine factione existimaret, sempérque à talibus se consiliis remouisset; respondit, si quid Brutus de suis facultatibus vti voluisset, vsurum, quantum ea paterentur; sed neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. sic ille consensionis globus huius vnius dissensione disiectus est. Neque multo post superior esse cœpit Antonius, ita, vt Brutus & Cassius prouinciarum, quæ iis dicis caussa datæ erant à Consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abiecto Bruto, Italiáque cedenti HS centum millia muneri misit: eidem in

Epiro absens CCC iussit dari: neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neq; desperatos reliquit. Secutum est bellum gestum apud Mutinam, in quo si tantum eum prudentem dicam; minus, quàm debeam, prædicem; cum ille potius diuinus fuerit; si diuinatio appellāda est perpetua naturalis bonitas, quæ nullis casibus augetur, neque minuitur. Hostis Antonius iudicatus, Italia cesserat. spes restituendi nulla erat. non solùm inimici, qui tamen erant potentissimi, & plurimi, sed etiam qui aduersariis eius se dabant, & in eo lædendo aliquam consecuturos sperabant commoditatem, familiares insequebantur, vxorem Fuluiam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam extinguere parabant. Atticus, cùm Ciceronis intima familiaritate vteretur, amicissimus esset Bruto, non modò nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed è contrario familiares eius, ex vrbe profugientes, quantum potuit, texit; quibus rebus indiguerunt, adiuuit: P. verò Volumnio ea tribuit, vt plura à parente proficisci non potuerint. ipsi autem Fuluiæ, cùm litibus distineretur, magnísque terroribus vexaretur, tāta diligentia officium suū præstitit, vt nullum illa præstiterit vadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit. quin etiam, cùm illa fundum secunda fortuna emisset in diem: neque post calamitatem versuram facere potuisset, ille se interposuit: pecuniámque sine fœnore, sinéque vlla stipulatione credidit, maximum existimans quæstum, memorem gratúmque cognosci, simúlque aperire,

se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum: quæ cùm faciebat, nemo eum temporis caussa facere poterat existimare. nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. sed sensus eius à nonnullis optimatibus reprehendebatur, quòd parum odisse malos ciues videretur. ille autem sui iudicij, potius, quid se facere par esset, intuebatur, quàm quid alij laudaturi forent. conuersa fortuna est. vt Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis & Bruti. itaque ad aduentum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem: latebátque apud P. Volumnium, cui, vt ostendimus paulo ante, opem tulerat. tanta varietas his temporibus fuit fortunæ, vt modò hi, modò illi in summo essent aut fastigio, aut periculo. habebat secum Gellium Cansum, æqualem, simillimúmque sui. hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quòd cum eo, quem puerum in ludo cognorat, adeo coniunctè vixit, vt ad extremam ætatem amicitia eorum creuerit. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, vt non solùm ei, sed etiam omnibus suis amicis esset inimicus, eósque vellet proscribere; multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officij: & ei, cùm requisisset, vbi nam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statímque ad se veniret: se eum, & Celliũ Cansum de proscriptorum numero exemisse, ac, ne quod periculum incideret, quod noctu fiebat, præsidium ei misit. sic Atticus in summo timore non solùm sibi, sed etiam ei, quem

eius

carissimum habebat, præsidio fuit. neque enim suæ solùm à quoquam auxilium petiit salutis, sed coniunctim; vt appareret nullam seiunctam sibi ab eo velle fortunam. quòd si gubernator præcipua laude fertur, qui nauem ex hieme, marique scopuloso seruat; cur non singularis eius existimetur prudentia, qui ex tot, tamque grauibus procellis ciuilibus ad incolumitatem peruenit? quibus ex malis vt se emerserat, nihil aliud egit, quàm vt plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. cùm proscriptos præmiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res vlla defuerit. nemini non ibi perpetuò manendi potestas facta est: qui etiam, post prælium Philippense, interitúmque C. Cassij, & M. Bruti, L. Iulium Mocillam Prætorium, & filium eius, Aulúmque Torquatum, ceterósque pari fortuna perculsos instituerit tueri, atque ex Epiro iis omnia Samothraciam supportari iusserit. difficile enim est omnia persequi, & non necessaria. illud vnum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neq; callidam fuisse. id ex ipsis rebus, ac temporibus iudicari potest, quòd non florentibus se venditauit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem Seruiliam Bruti matrem non minus post mortem eius, quàm florentem, coluerit. sic liberalitate vtens, nullas inimicitias gessit, quòd neque lædebat quemquam, neque, si quam iniuriam acceperat, non malebat obliuisci, quàm vlcisci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia. quæ autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad

Quin

ta

necessaria.

ille gratus erat, qui acceperat. itaque hic fecit, vt vere dictum videatur. SVI CVIQVE MORES FINGVNT FORTVNAM. *neque tamen prius ille fortunam, quam se ipse, finxit, qui cauit, ne qua in re plecteretur. His igitur rebus effecit, vt M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate coniunctus adolescenti Cæsari, cùm propter suam gratiam, & Cæsaris potentiam nullius condicionis non haberet potestatem, potissimum eius deligeret affinitatem, præoptarétque equitis R. filiam generosarum nuptiis; atque harum nuptiarum conciliator fuit (nõ enim est celandũ) M. Antonius, Triumuir Reip. C, cuius gratia cùm augere possessiones posset suas, tantum afuit à cupiditate pecuniæ, vt nulla in re vsus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis: quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. nam cum L. Saufey, equitis R. æqualis sui, qui cum eo complures annos, studio ductus philosophiæ, habitabat, habebátque in Italia pretiosas possessiones, Triumuiri bona vendidissent, consuetudine ea, qua tum res gerebantur; Attici labore, atque industria factum est, vt eodem nuntio Safeius fieret certior, se patrimonium amisisse, & recuperasse. idem L. Iulium Calidum, quem post Lucrety, Catullique mortem multo elegantissimum poetam, nostram tulisse ætatem, vere videor posse contendere, neque minùs virum bonum, optimisque artibus eruditum, post proscriptionem Equitum, propter magnas eius Africanas possessiones, in proscriptorum numerum à P.*

Volumnio, præfecto fabrûm Antonij, absentem relatum, expediuit. quod in præsenti vtrum ei laboriosius, an gloriosius fuerit difficile fuit iudicare; quod in eorum periculis non secus absentes, quàm præsentes amicos Attico esse curæ, cognitum est. Neque verò minùs ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quam ciuis. nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. neque tamen non in primis bene habitauit, omnibúsque optimis rebus vsus est. nam domum habuit in colle Quirinali Cæcilianam, ab auunculo hereditate relictam, cuius amœnitas non ædificio, sed silua constabat. ipsum enim tectum, antiquitus constitutum, plus salis, quàm sumptus, habebat: in quo nihil commutauit, nisi si quid vetustate coactus est. Vsus est familia, si vtilitate iudicandum est, optima; si forma, vix mediocri. namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarij; vt ne pedisequus quidem quisquã esset, qui nõ vtrumq; horum pulchrè facere posset. pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprimè boni. neque tamen horum quẽquam, nisi domi natum, domiq; factum, habuit: quod est signum non solùm continentiæ, sed etiam diligentiæ. nam & non intemperanter concupiscere, quod à pluribus videas, continentis debet duci; & potiùs diligentia, quàm pretio, parare, non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. supellex nõ modica, non multa; vt in neutram partem

conspici posset. Nec præteribo (quamquam non nullis leue visum iri putem) cùm in primis lautus esset eques R. & non parum liberaliter in domum suam omnium ordinum homines inuitaret; scimus, nõ amplius, quàm terna milia æris peræque in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum: atque hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. sæpe enim, propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus. nemo in conuiuio eius aliud ἀκρόαμα audiuit, quàm anagnosten: quod nos quidem iucundissimum arbitramur: neque vmquam sine aliqua lectione apud eum cenatum est; vt non minus animo, quàm ventre, conuiuæ delectarentur. namque eos vocabat, quorum mores à suis non abhorrerent. Cùm tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutauit, nihil de vitæ consuetudine: tantáque vsus est moderatione, vt neque in HS vicies, quod a patre acceperat, parum se splendidè gesserit, neque in HS centies affluentius vixerit, quàm instituerat, paríque fastigio steterit in vtraque fortuna, nullos habuerit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam; neque in Italia, præter Ardeatinum, & Nomentanum, rusticum prædium: omnísque eius pecuniæ reditus constabat in Epiroticis, & vrbanis possessionibus. ex quo cognosci potest, eum vsum pecuniæ non magnitudine, sed ratione metiri solitum. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. itaque eius comitas non sine seueritate erat, neque grauitas sine facilitate: vt difficile esset in-

tellectu, vtrum eum amici magis vererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religiosè promittebat; quod non liberalis, sed leuis arbitrabatur, polliceri quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, vt non mandatam, sed suam rem videretur agere. nusquam suscepti negotij eum pertæsum est. suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. quo fiebat, vt omnia Ciceronum, Catonis, Marij, Q. Hortensii, A. Torquati, multorum præterea Equitum Romanorum negotia procuraret: ex quo iudicari poterat, non inertia, sed iudicio fugisse Reip. procurationem. Humanitatis verò nullum afferre maius testimonium possum, quàm quòd adolescens idem seni Sullæ fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cum æqualibus autem suis Q. Hortensio, & M. Cicerone sic vixerit, vt iudicare difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus: quamquam eum præcipue dilexit Cicero, vt ne frater quidem ei Quinctus carior fuerit, aut familiarior. ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum ab Consulatu eius vsque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multùm desideret historiam contextam eorum temporum. sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, æmulationibus Reip. perscripta sunt, vt nihil in his non appareat; & facile existimari possit, prudentiam quodam modo esse diuinationem. non enim

Cicero ea solùm, quæ viuo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam, quæ nunc vsu veniunt, cecinit, vt vates. De pietate autem Attici quid plura commemorem? cùm hoc ipsum verè gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, cùm esset septem, & sexaginta, se numquam cum matre in gratiam rediisse, numquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope ætate æqualem habebat. quod est signum, aut nullam vmquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hũc ea fuisse in suos indulgentia, vt, quos amare deberet, irasci eis, nefas duceret. neque id fecit natura solùm (quamquam omnes ei paremus) sed etiam doctrina. nam & principum philosophorum ita percepta habuerat præcepta, vt his ad vitam agendam, non ad ostentationem, vteretur. Moris etiam maiorum summus imitator fuit, antiquitatísque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, vt eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornauit. nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populo R. quæ non in eo suo tempore sit notata: &, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, vt ex eo clarorum virorum propagines possimus cognòscere. fecit hoc idem separatim in aliis libris, vt, M. Bruti rogatu, Iuniam familiam à stirpe ad hanc ætatem ordine enumerauerit, notans, qui à quoque ortus, quos honores, quibúsque temporibus cepisset. pari modo, Marcelli Claudij, de Marcellorum; Scipionis Cornelij, & Fabij Maximi, de Fabiorum, & Ae-

miliorum: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoque poëticen, credimus, ne eius expers esset suauitatis. namque versibus, qui honore, rerum gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt, exposuit, ita, vt sub singulorum imaginibus facta, magistratúsque eorum non amplius quaternis, quinisue versibus descripserit: quod vix credendum sit, tantas res tam breuiter potuisse declarari. Est etiam vnus liber Græcè confectus de consulatu Ciceronis. Hactenus, Attico viuo, edita à nobis sunt. nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur: & quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significauimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam. namque hic contentus ordine Equestri, quo erat ortus, in affinitatem peruenit imperatoris, diui Iulij filij, cùm iam ante familiaritatem eius esset consecutus, nulla alia re, quàm elegantia vitæ, qua ceteros ceperat principes ciuitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. tanta enim prosperitas Cæsarem est consecuta, vt nihil ei non tribueret fortuna, quod cuiquam ante detulerit, & conciliarit, quod ciuis Romanus quiuit consequi. Nata autem est Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocauit. hanc Cæsar vix anniculã Ti. Claudio Neroni, Drusilla nato, priuigno suo, despondit. quæ coniunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. quamuis ante hæc sponsalia

non solùm cum ab vrbe abesset, numquam ad suorum quemquam litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret: in primis, quid legeret, quibúsque in locis, & quàm diu esset moraturus: sed &, cùm esset in vrbe, & propter suas infinitas occupationes minùs sæpe, quàm vellet, Attico frueretur, nullus dies temere intercessit, quo non ad eum scriberet, quo aliquid de antiquitate ab eo requireret; modo aliquam quæstionem poëticam ei proponeret; interdum iocans eius verbosiores eliceret epistolas: ex quo accidit, cùm ædes Iouis Feretrij in Capitolio, ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur, vt Attici admonitu Cæsar eam reficiendam curaret. Neque verò à M. Antonio minus absens litteris colebatur, adeo vt accuratè ille ex vltimis terris, quid ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere vsum, beniuolentiámque, inter quos maximarum rerum non solùm æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit intercedere necesse inter Cæsarem, atque Antonium; cum sit vterque principem non solùm vrbis Romæ, sed orbis terrarum esse cuperet. Tali modo cùm septem, & septuaginta annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quàm gratia, fortunáque, creuisset (multas enim hereditates nulla alia re, quàm bonitate, consecutus) tantáque prosperitate vsus esset valetudinis, vt annis

XXX *medicina non indiguisset; nactus est morbum, quem initio & ipse, & medici contempserunt: nam putarunt esse τεινασμὸν: cui remedia celeria, faciliáque proponebantur. in hoc cùm tres menses sine vllis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subitò tanta vis morbi in vnum intestinum prorupit, vt extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. atque antea quidem morbi diuturnitatem molestè ferebat, priùs quàm hoc ei accideret: postquam verò in dies dolores accrescere, febrésque accessisse sensit; Agrippam generum ad se accersiri iussit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextúmque Peduceum. hos vt venisse vidit, in cubitum nixus, Quantam, inquit, curam diligentiámque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cùm vos testes habeam, nihil opus est pluribus verbis commemorare: quibus quoniam, vt spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret: reliquum est, vt egomet mihi consulam. id vos ignorare nolui. nam mihi stat, alere morbum desinere. namque his diebus quidquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, vt auxerim dolores sine spe salutis. quare à vobis peto, primùm vt consilium probetis meum; deinde ne frustra dehortando conemini. Hac oratione habita, tanta constantia vocis atque vultus, vt non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare; cùm quidem Agrippa eum flens, atque osculans oraret atque obsecraret, ne ad id, quod natura cogeret,*

ipse quoque sibi acceleraret; &, quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi, suísque reseruaret; preces eius taciturna sua obstinatione depressit. sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leuiórque morbus esse cœpit: tamen propositum nihilo secius peregit. itaque die quincto postquam id consilium inierat, pridie KAL. *April. Cn. Domitio, C. Sosio* COSS. *decessit. elatus est in lecticula, ut ipse praescripserat, sine ulla pompa funeris; comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. sepultus est iuxta viam Appiam, ad quinctum lapidem, in monumento Q. Cecilij, auunculi sui.*

GRAECORVM VERBORVM INTERPRETATIO, VTI SIMEO BOSIVS RECENSVIT.

2 ἀδύνατον : *impossibile.*

θέρμον : *lupinum.*

3 ἐπεὶ οὐχ ἱερήιον οὐδὲ βοείην : *quia non victimam, neque tergus bubulum*, supple, *capto.* nam ex Homeri XXII. Iliadis assumi debet ἄρνυμαι.

ἡλίου ἀνάθημα : *solis donum.*

8 χρηστομαθῆ : *quæ sunt ex usu discentem.*

10 γυμνασιώδη : *apta gymnasio.*

11 εὐμολπιδῶν πάτρια : *Eumolpidarum ritus patrios.*

οἰκεῖον : *suum ac proprium.*

14 σκήψεις *atque* ἀναβολαὶ : *excusationes, & dilationes.*

ταὐτόματον ἡμῶν : versus integer est, ταὐτόματον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται : *casus melius quàm nos consulit.*

17 ἐν τοῖς πολιτικοῖς : *in rebus quæ Reipublicæ sunt.*

τοποθεσίαν : *loci descriptionem.*

Ἀττικώτερα : *magis Attica.*

φιλορήτορα : *studiosum artis dicendi.*

18 πανηγύρεις : *conuentus.*

μάλ᾽ ἀριστοκρατικῶς : *valde ut optimatem decet.*

19 γενικῶς : *generaliter.*

ληκύθους : *ampullas , pigmenta quibus ornatior , & grandior fit oratio.*

ἐνεπορπησάμην : *venditaui me.*

περίοδοι ἢ καμπαὶ ; *&c. ambitus verborum , aut flexus clausularum, aut argumenta rhetorum , aut confirmationes.*

ὑπόθεσις : *materia , argumentum.*

20 Ἄρειος πάγος : *Areopagus.*

21 ἀπρακτότατος : *rebus agendis ineptissimus.*

κακέκτης : *habitu vitiorum deprauatus , malivolus.*

22 φιλέλληνες : *Græcorum amatores.*

παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο : *omnis virtutis reminiscere.*

ὕστερον πρότερον , Ὁμηρικῶς : *ordine præpostero, cùm primo loco quod posterius est, secundo quod prius effertur ; Homericè.*

23 πρὸς τὸ πρότερον : *ad prius.*

25 ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι : *præite nunc mihi Musæ, quo modo ignis primùm illapsus est.*

26 παῤῥησίαν : *loquendi libertatem.*

27 ἀγῶνα : *certamen.*

28 ἐπισημασίας : *signa & indicia quibus animus, & voluntas populi declaratur : plausus.*

29 ἀποθέωσιν : *consecrationem.*

φιλοσοφητέον : *philosophandum.*

ἐατέον : *relinquere oportet.*

30 Ἀμαλθεῖον : *Amaltheum.*

Ἀμαλθεία : *Amalthea.*

τοποθεσία : *loci descriptione.*

35 ἀφε-

35 ἀφελέστατος : *simplicissimus.*

37 πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ' ὄναρ : *Reipublicæ deditus vir ne in somnio quidem.*

39 τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον : *in lente unguentum, prouerbium.*

ἐπιφωνήματα : *acclamationes.*

41 νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν : *vigilans sis, & memineris nō facile credere; hi sunt nerui sapientiæ.*

42 σόλοικα : *olentia solœcismum.*

τίς πατέρ' αἰνήσει : integer versus sic habet, τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί? *quis patrem laudabit nisi infœlices filij?*

ἐγκωμιαστικὰ : *ad res laudandas comparata.*

ἱστορικὰ : *rebus verè narrandis accommodata, historica.*

44 οἱ μὲν, παρ' οὐδὲν εἰσὶν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει : *hi quidem propè nihil sunt, illis verò nihil curæ est.*

45 ὑπώπιον : *sugillatum, macula.*

μυροθήκιον : *unguenti, & pigmentorū arculam.*

46 ὑπόμνημα : *commentarium.*

47 σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος : *grauior auctoritatéque pollentior, & rebus ciuilibus tractandis accommodatior.*

ἀποσπασμάτια : *fragmenta.*

σῶμα : *corpus.*

φιλόπατρις : *studiosus patriæ.*

50 πολιτεία : *Republica.*

ἅλις σπουδῆς : *satis studij est & operæ.*

51 θεῖοι : patrui.
Πελληναίων : Pellenæorum.
52 Κορινθίων, Ἀθηναίων : Corinthiorum & Atheniensium.
Ἡρώδης : Herodes.
εὐαγγέλια : boni nuntij.
Κύρου παιδείαν : Cyri institutionem.
διαφάσεις : transpectus.
ἔστω ὄψις μὲν ἡ α, τὸ δὲ ὁρώμενον, β, γ, ἀκτῖνες δὲ δ καὶ ε : sit aspectus α : quod autem videtur, β, γ : radij vero, δ, & ε.
κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις : per simulacrorum illapsus, & incursiones.
53 εἴδωλα : simulacra, spectra.
ἔκχυσις : effusio.
ὑπόστασιν : fundamentum & inceptionem.
πολιτείαν : Remp.
σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον : more Socraticorum in vtramque partem.
τὴν ἀρέσκουσαν : sententiam quæ placeat.
κατάτασις : contentio.
Ἀριστοκρατικῶς : accommodatè ad statum optimatum.
εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης : vnum augurium optimum pugnare pro patria.
54 Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας : Theophrasti de honorum studio.
55 αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους : vereor Troianos, & Troianas peplos trahentes.

πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει: Polydamas mihi primus probrum obiiciet.

56 Θεοφάνης: Theophanes.

φιλοσοφεῖν: philosophari.

ἐπὶ σχολῆς: in otio.

57 γεωγραφικὰ: de terræ descriptione commentarios.

ὁμοειδεῖς: eiusdem generis & formæ.

ἀνθηρογραφεῖσθαι floridè scribi, ornari.

πολιτευτέον: danda opera Reip.

ἀνέκδοτα: non edenda.

πολιτεύομαι: publicè curo, & agito.

59 κατὰ τὸ πρακτικὸν: vt agendi ratio constet.

κἂν ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος εὐδούσῃ φρενί: & vtique sub tecto confertim labentem audire pluuiam sopito, & quieto animo.

61 βοῶπις: Iuno bubulis oculis prædita.

παλινῳδίαν cantum contrarium.

62 δίβαφα: bis madefacta purpura.

ἄντα: suppl. στῆναι aut ἐλθεῖν: contra stare, contra progredi.

σοφιστεύειν: rei oratoriæ operam dare, caussas actitare.

ἐπαγγέλλομαι ἄνδρ' ἀπαμύνεσθαι ὅς τις πρότερος χαλεπήνῃ: denuncio me eum virum vlturum, quicunque prior molestus mihi fuerit.

63 Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον: Cicero paruulus salutat Titum Atheniensem.

ὑποσόλοικον: subabsurdum.

ἀναφαίνεσθαι : *apparere, in publicum prodire.*

64 τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος, &c. *Aspera, sed bona puerorum nutrix: nequaquam ego hac terra possum dulcius quicquam aspicere.*

εὐαγγέλια : *bonorum nunciorum præmia.*

συγκύρημα : *casum.*

65 ζώσης φωνῆς : integer locus ita concipiendus: ζώσης φωνῆς μείζων ἐνέργεια ἐστιν ἢ ἀφώνων διδασκάλων : *viuæ vocis maior est vis & efficacitas, quam mutorum doctorum.*

βοώπιδος : *bubulis oculis prædita, Iunonis.*

ἀσελγοῦς : *lasciui, delicati.*

ὀξύπεινος : *famelicus, auidus cibi.*

συμπόσιον : *conuiuium.*

κατ' ὀπώρην τρὺξ : *per Autumnum fax.*

ἀδικαίαρχοι : *iniusti magistratus.*

καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται : *& Cicero philosophus Titum salutat Reip. deditum.*

αὐθωρεὶ : *ipsa illa hora.*

66 Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην : *magnam vrbem Læstrygoniam.*

φιλοσοφῶμεν : *philosophemur.*

εὐανατρέπτους : *quæ facilè possunt euerti.*

67 ἐπιτυραννεῖσθαι : *sub tyrranno esse.*

68 Κικέρων ἀριστοκρατικώτατος παῖς : *Cicero status optimatum studiosissimus puer.*

69 φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ : *spirat enim non iam exilibus tibiolis, sed immanibus follibus*

ſine ligula.

ἐσοφίζετο : *cauillabatur, malitioſe cogitabat.*

70 τὸν πρακτικὸν βίον : *vitam quæ in rebus agendis verſatur.*

τὸν θεωρητικὸν : *quæ in rerum contemplatione occupatur.*

πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ : Homericus verſus integer ſic habet, πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα : *ante leo, à tergóque draco media ipſa capella.*

71 εἰ δὲ μὴ : *ſin; ſi non.*

ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται : *ſine dubio tyrannidem affectat.*

72 εὐελπιστία : *bona ſpes.*

ἀδιαφορεία : *in neutram partem inclinatio.*

ἀφιλόδοξον : *ambitione vacans.*

πταῖσις : *prolapſio, caſus.*

κατὰ τὸ κηδεμονικὸν : *cum accuratione & ſedulitate.*

ὑποθήκας : *documenta, præcepta.*

περὶ τῶν ὅλων : *de ſumma rerum.*

σκοπὸς : *ſcopus, vltimum, finis.*

73 κατὰ λεπτὸν : *minutatim.*

74 ἅλις : *ſatis eſt.*

δρυὸς : *quercus, glandium.*

τυφλώττω : *cæcutio.*

τῷ καλῷ προσπέπονθα : *erga honeſtum ſum affectus.*

76 ἀσφάλειαν : *ſecuritatem, tutum præſidium aduerſus vitæ pericula.*

ἀκκιζόμεθα : *dissimulamus.*

ἐν αἰνιγμοῖς : *obscure dictis.*

77 ἀλληγορίαις : *verbis alium sensum quam quem vulgo præ se ferunt indicantibus.*

82 βοῶπιν : *bubulis oculis præditam, Iunonem.*

87 ἑλικτὰ, καὶ οὐδὲν : locus integer extat apud Euripidem in Andromacha in hunc modum. ἑλικτὰ, κ' οὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλὰ πάντα πέριξ φρονοῦντες : *quorum mens est inuolucris circumtecta, quique minime sincero & candido estis animo, sed versute omnia cogitatis.*

τὰς τῶν κρατούντων : integer Euripidis versus sic habet τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών : *dominantium stultitias ferre oportet.*

124 μυστικώτερα : *secretiora.*

128 συλλάβους : *indices.*

λόχον : *globum sedecim gladiatorum.*

παλινῳδία : *contrarius cantus.*

129 ὑποθέσει : *argumento.*

130 πολιτικὸς : *Reip. deditus.*

ὀπαδοὶ : *assectatores aliorum in militia.*

ταγοὶ : *duces.*

σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει : *Spartam sortitus es, hanc orna.*

βαθύτης : *taciturnitas.*

εὐκαιρότερον : *oportunius.*

131 οὐχ' ὁσίη φθιμένοισι : versus integer sic habet οὐχ' ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι : *fas non est in viros mortuos insolescere.*

ὁ δὲ οὐκ ἐμπάζετο μύθων : *hic vero non curabat*

quæ dicebantur.

132 μήπω μέγαν εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς: neminem magnum dixeris prius, quàm mortuum videris.

ἤν μισητὸς φίλος οἴκοις: odio fuerit familiaris domus.

σύκῳ, μὰ τὴν Δήμητρα, &c. fico per Cererem, ficus nulla umquam tam similis fuit.

περίστασις: status & conditio.

133 πολιτικῶς: ut virum Reip. deditum decet.

τὴν ἔσω γραμμὴν: interiorem lineam.

134 καὶ τὸ δὲ Φωκυλίδου: & hoc Phocylidis.

136 οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντ' εἰδέναι: nihil dulcius, quàm omnia nosse.

137 σκυλμὸν: vexationẽ, perturbationẽ, molestiam.

ὀξύπεινος: auidissimus, ut fame percitus.

τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς: præsentem statum Reip. subiecta rudi eius forma.

138 συμπάθειαν: animi commotionem ex commiseratione.

ἡμερολεγδὸν: ut quæque singulis diebus acciderunt.

139 τρισαρειοπαγίτας: eximios Areopagitas.

τέμπη: loca amœna.

140 σῆμα δέ τοι ἐρέω: signum autem tibi dicam.

ἐξοχὴ: excellentia.

142 ἐξωτερικοὺς: populares.

πολιτείᾳ: in libris de Republica.

τεχνολογίαν: tractationem artis, disputationem de præceptis artis.

144 γοργεῖα γυμνὰ : *laruæ nudæ.*

145 ἐμφιλοσοφῆσαι : *philoſophari.*

146 οὐ σ' οἶδ' ἄρης ἅμα παφίῃ? *Nónne ſcio te ô Mars eſſe conſueſſe cum Paphia?*

148 ἀττικισμὸς : *orationis lepos.*

συμπάθεια : *par ex commiſeratione affectio, commiſeratio.*

150 ἀκηδεία : *quòd curæ & ſtudio nemini eſſet.*

154 σπουδαιότερον : *grauius, & magis ſerium.*

155 δυσδιάγνωστον : *difficile diiudicatu.*

156 πρόσνευσιν : *aſſenſionem.*

157 διαλόγους : *ſermones vltro citróque habitos.*

160 φιλοπροσηνέστατα : *ſtudio benigniſſimo & ſuauiſſimo.*

161 ἔρδοι τίς : ſenarius integer ſic apud Ariſtophanem extat : ἔρδοι τὶς ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην; *quam quiſq; norit artem in hac ſe exerceat.*

δυσεξίμητα : *quæ vix è profundo educi poſſunt.*

βαθύτητα : *taciturnitatem.*

162 μελέτη : *meditatio.*

ἄνω κάτω : *ſurſum deorſum : prouerbium.*

163 ἄφρακτα : *naues non tectæ, ſed apertæ.*

ἐπεῖχον ἀεὶ : *retinebam identidem.*

οἷα γ' ἡ δέσποινα : Hoc prouerbium ſic ex Platone integrè poteſt concipi, οἵα γε ἡ δέσποινα, τοῖα δὲ καὶ ἡ κύων : *qualis hera, talis & canis.*

ἀνεξίαν : *tolerantiam.*

μετέωρος : *incerti & dubij animi.*

164 ὑπομνηματισμὸν : *decretum, monumentum.*

συμπαθῶς: *cum animi commoti significatione.*
νομαναυδείαν: *ignauiam & inertiam in praefecturis: vacationes.*
165 ἄφρακτα: *nauigia non tecta.*
ἀκρωτηρίων ὄρεια: *verticũ & cacuminũ secunda.*
συνηγωνίων: *cum illo merebam.*
πολιτικώτερον: *accommodatius ad rationem Reip. administrandae.*
167 παράγγελμα ἐνιαύσιον: *mandatum annuum.*
168 ἐνδόμυχον: *arcanum de re familiari & domestica.*
169 ἐπικεφάλια: *tributa per capita, capitationes.*
ὠνάς: *venditiones.*
171 συμφιλοδοξοῦσιν: *simul gloriae meae seruiunt.*
172 κεφάλαιον: *caput.*
173 συμπάθειαν: *parem affectionem & doloris consensum.*
174 τὸ νεμεσᾶν: *indignatio.*
τοῦ φθονεῖν: *ab inuidendo, ab inuidia.*
175 ἐν ἐπιτομῇ: *summatim.*
176 πανικά: *Panicos terrores.*
κενὰ τοῦ πολέμου: *inanes terrores belli.*
177 μώμῳ: *reprehensori.*
πεφυσίωμαι: *superbia elatus sum.*
λαμπρά: *splendida.*
ἐν παρόδῳ: *in transcursu, obiter.*
ἀπρόσιτον: *non facilem accessu, minimè affabilem.*
ἀδωροδόκητον: *integrum, & incorruptum largitione.*

178 κέρας : cornu.
179 εὐημερήμασι : prospero successu.
180 ἀκροτελεύτιον : clausulam.
γλυκύπικρον : dulce & amarum.
181 ὑπερβολικῶς : supra veritatem.
182 τέθριππα : quadrigas.
κέρας : cornu.
185 ὁδοῦ πάρεργον : obiter.
ἐνδομύχῳ : domestica rei arcano.
186 οἰκονομίαν : dispensationem, ordinem.
οἴχεται : euanescit.
βαθύτητα : taciturnitatem.
ὑπομεμψιμοίρους : subquerulas.
ἐξ ἀφαιρέσεως : per extractionem.
187 προσανατρεφομένην : recreatam.
190 ἀκοινωνήτως : ridigè & minimè familiariter.
ἐγκελεύσματα : hortationes.
191 τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ : quod enim rectum est à me stat.
ἱστορικὸν : historicum.
οὐκ ἔλαθε σὲ : non te latuit.
ἀφελῶς : simpliciter.
192 οἰκονομία : dispositio, ordo.
σχεδιάζοντα : quod subito in mentem venit scribentem.
πολίτευμα : factum in Republica.
κέρας, cornu.
193 ἰσοδυναμοῦσαν : quæ idem valeat, eiusdem vis.
διαίρεσιν : diuisionem.
194 ἄγραφον : non scriptum.

αὐτονομίαν : *facultatem suis utendi legibus.*
τὸ παραδοξότατον : *inopinatissimum.*
μηδὲν αὐτοῖς : supp. μέλει : *nihil ipsis cura est.*
ὦ πραγμάτων ἀσυγκλώστων : *o res quæ contexi non possunt.*
195 Πολυδεύκους : *Pollucis ædem.*
ἀνιστορησίαν : *inscitiam historiarum.*
ἠπόρησας : *dubitasti.*
εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας : *Eupolim illum veteris . s. comœdiæ poetam.*
τί λοιπόν ? *quid reliquum?*
196 πολλοῦ γε καὶ δεῖ : *multum quidem abest.*
χρύσεα χαλκείων : *aurea pro aheneis.*
ἀναντιφώνητον : *sine responsione.*
197 αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι : *veriti sunt quidem recusare, timuerunt autem accipere.*
198 παρειστορῆσαι : *obiter scire.*
προπύλαιον : *vestibulum.*
199 ἱστορικώτατος : *historiarum peritissimus.*
200 νεόκτιστα : *nuper condita.*
τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ : *nauium enumeratione.*
ἀναλογία : *proportio, analogia.*
φλιοῦς, ὀποῦς, σιποῦς : *Phlius, Opus, Sipus.*
ὀπουντιοι, σιπουντιοι : *Opuntij, Sipuntij.*
αὐτονομίαν : *facultatem suis legibus utendi.*
ὑπερβολικῶς : *supra modum.*
203 εὐήθειαν : *fatuam simplicitatem.*
204 πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείης ἁλὸς : *multos autem in intermedio*

Auster voluit fluctus lati maris.

207 ἀκοινώνητον: *alienum à familiari consuetudine.*

209 μυστικώτερον: *secretius.*

τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος, &c. *uxoris meæ libertus (nosti quem dico) visus est mihi dudum è verbis, quæ inconsideratè effutiebat, turbasse calculos, ex coemptione bonorum Crotoniatæ tyrannicidæ. timeo, ne id adhuc non intellexeris. unus nimirũ hoc vbi consideraueris, reliqua in tuto pone.*

τῆς ξυνάορου τῆς ἐμῆς οὐξελεύθερος, &c. *uxoris meæ libertus visus est mihi sæpe gariens, & hæsitans in conciliabulis & circulis quodammodo conturbasse rationes in bonis Crotoniatæ.*

210 ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου τειχῶν παρέδωκεν, &c. *ex vrbis septicollis moenibus (libertus uxoris meæ) edidit Camillo rationes vicenarũ quaternarum, & quadragenarum octonarum minarum æris alieni; séq; debere vicenas & quaternas minas ex bonis Crotoniaticis, & quadragenas octonas ex iis quæ sunt in Cher sonesō: & quamuis ex hæreditatibus, quas adiuit, redegerit minas sexies centenas & quadragenas, & sexies centenas & quadragenas, se tamen æris illius alieni ne obolum quidem dissoluisse, cum omnia hæc debeantur iam inde à Kalendis secundi mensis. 1. Februarij: libertum autem ipsius, cum qui*

Cononis patri cognominis est, nihil planè curasse. primùm igitur hoc; omnia vt seruentur; deinde vt ne vsuras quidem negligas eas quæ debentur ex die supra apposita. Per eos dies quibus illum pertuli valde magno in timore fui venerat. enim ad nos exploraturus, & aliquid pene sperarat; sed spe frustratus temere recessit, sic fatus; concedo: turpe quidem manere diu.

τὰ μὲν διδόμενα: prouerbiũ hoc ita explica ex Platone: τὰ μὲν διδόμενα ἀνάγκη δέχεσθαι, *quæ dantur necesse est accipere.*

211 λεληθότως: *latenter, clam.*

ἄλλο πρόβλημα: *alia quæstio.*

ἐξακανθίζειν: *perscrutari, subtiliter indagare.*

πυροὺς εἰς δῆμον: *frumenta in populum.*

προπύλῳ: *vestibulo.*

212 ἐπέχειν: *hæsitare, dubitare.*

ἐποχῆς: *dubitationis.*

213 παλιγγενεσίαν: *status nostri instaurationem.*

ἐν αἰνιγμοῖς: *ænigmatice, obscure.*

ἀφελῶς: *simpliciter.*

214 αἰσχρὸν σιωπᾷν: integer Senarius sic habet: αἰσχρὸν σιωπᾷν Ἰσοκράτην τ' ἐᾶν λέγειν: *turpe est tacere & sinere vt Isocrates loquatur.*

215 σύγχυσιν: *confusionem.*

παραφύλαξον: *obserua.*

τὴν τοῦ φυρατοῦ φιλοτιμίαν αὐτότατα: *conturbatoris Philotimi actionem quam maximè.*

κενὸν: *inanem.*

ἄτυφον : *ſine ambitione, ſine faſtu.*

216 ἐπέχειν : *dubitare, hæſitare.*

ἀθέτησις : *improbatio.*

ἐποχὴ : *cunctatio, hæſitatio.*

τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί : integrum prouerbium eſt, τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοὶ λέγεις : *meum ſomnium mihi narras.*

ἐπιχρονία ἐποχὴ : *diuturna dubitatio.*

217 φιλοτιμία : *Philotimi negotiatio & actio.*

218 πρόβλημα : *quæſtionem.*

ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμόν : ſic hos Homeri verſus legit Cicero, ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες πατρίδος ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς : *ſed mihi numquam perſuaſiſti patria quicquam vlli ſua dulcius eſſe.* Ex ſecundo verſu primam tantum vocem retulit.

219 αἰδέομαι : *vereor.*

Τρῶας, καὶ Τρῳάδας : *Troianos & Troianas.*

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην καταθήσει : *Polydamas mihi primus probrum inferet.*

ὁδοῦ πάρεργον : *præter propoſitum, vt egrediar à propoſito, obiter.*

ἐπίτηκτα : *fluxa, non diuturna, quæ facile extinguantur.*

220 ἐκβολὴ λόγου : *egreſſio orationis.*

εὐπόριστον : *parabilem.*

ταραχὴς : *conturbator.*

ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ : *ſed hæc quidem facta eſſe ſinemus, licet cum mœrore.*

221 ἄμεμπτα: non accusanda.
σπονδειάζοντα: quinta sede spondæũ habentem.
τῶν νεωτέρων: iuniorum.
222 αὐτόχθων: natiua, & indigena.
φυσικὴν: naturalem.
τὴν πρὸς τὰ τέκνα: amorem in filios.
225 ἀμεταμέλητος: non pœnitenda.
226 ποῦ σκάφος τὸ τῶν ἀτρειδῶν: vbi nauigium Atridarum.
σύντομα: compendiosè, paucis.
228 δήμοις: vicos.
229 ζήτημα: quæstionem.
230 τεκμηριῶδες: indicium coniecturale.
231 τοῖς ἀπαντῶσιν: obuiam prodeuntibus.
δύσχερστα: incommoda.
232 ἀπότειψαι: abstergito, conterito.
οὐ γὰρ ἂν τόδε μεῖζον ἔπει κακὸν: neque enim hoc maius est malum.
233 παλινῳδία: contrarius cantus.
λῆψις: quartanæ impetus, & correptio.
ἀβδηριτικὸν: Abderiticum, stultum.
235 ἐμπολιτεύομαί σοι: tecum ago de Republica.
236 πολιτικὸν σκέμμα: consideratio ad statũ Reipublicæ pertinens.
φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν: magis philosophicè examinabimus & discutiemus.
σύγχυσιν τῆς πολιτείας: cõfusionem Reipublicæ.
ξυνὸς ἐνυάλιος: communis Mars.
πολιτικῶς: ex vsu Reipublicæ.
237 ἴυγξ: illecebra, desiderium.

ἄμορφον ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην: *deforme & turpe est eius qui contrariæ sit in Republica factionis debitorem esse.*

διευκρινήσεις πρόβλημα πολιτικόν: *explicabis quæstionem ad Reip. statum pertinentem.*

240 τοῦ καλοῦ: *honesti.*

χρεῶν ἀποκοπὰς, φυγάδων καθόδους: *tabulas nouas, exsulum reditus.*

τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ᾽ ἔχειν τυραννίδα: *vt tyrannide potiatur, quæ inter Deos Dea est maxima.*

ἐνσχολάζω σοι: *otium consumo in opera tibi nauanda.*

ἀπορῶ: *dubito.*

241 οὕτω γε τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν: *sic sanè eorum, qui ante nos vixerunt, audiebamus laudes virorum.*

ἐπίσκοπον: *speculatorem, custodem.*

ὁρμή: *impetus.*

242 φαλαρισμόν: *Phalaridis imitationem, sæuitiam.*

αἰδέομαι Τρῶας: *vereor Troianos.*

243 ἀπορίαν: *dubitationem.*

ἥρωα: *heroem.*

244 πολιτικῶς *conuenienter statui Reipublicæ.*

ἀστρατήγητος: *ignarus artis imperatoriæ.*

πρὸς τὸ ἀσφαλές: *ad id quod tutum sit.*

245 μάντις δ᾽ ἄριστος: Senarius integer in hunc modū habet, μάντις δ᾽ ἄριστος ὅστις εἰκάζοι καλῶς: *vates is optimus fuerit qui bene coniecerit.*

250 στ-

250 στησιωδέστερον: *magis Seſtianè.*

251 ὑπεκθέμενος: *cùm clam ſubduxero & exportaro.*

253 ψευδησιόδειον: *quod falſo Heſiodo adſcribitur.* μηδὲ δίκην, verius integer ſic legitur, μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς: *neque cauſam iudicaris, priùs, quàm quid vterque dicat audieris.*

254 καὶ συναποθανεῖν: *& ſimul mori.*

φαινοπροσωπεῖν: *vultum oſtendere, faciem aperire.*

255 σκέμμα: *conſideratio.*

ἀπορία: *dubitatio.*

263 διπλῆ: *dipla, nota in margine adpoſita.*

269 ῥίψαι πολλὰ μάτην, &c. *cùm fureret multa cornibus fruſtra in aërem proruiſſe.*

272 ἀπροσφωνήτους: *inſalutatos.*

τὸ καλὸν: *honeſtum.*

πρὸς τοῦθ᾽ ὅ, τι χρὴ, &c. *aduerſus hoc quod opus eſt facto, & machinentur & fabricent quiduis in me.*

τὸ γὰρ εὖ, μετ᾽ ἐμοῦ: *quod enim rectum eſt à me ſtat.*

πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ: *multam ſalutem honeſto.*

274 εὐγενῆ: *generoſa, nobilia.*

συνδιημερεύομεν: *ſimul diem conterimus.*

275 τέρας: *monſtrum, prodigium.*

276 σκοπὸς: *ſcopus.*

προθεσπίζω: *præſagio.*

277 ἰλιὰς : ilias.

278 περὶ ὁμονοίας : de concordia.

279 ἀπολιτικώτατον : maximè ciuilis gubernationis expertem.

ἀστρατηγικώτατον : maxime imperatoriæ artis ignarum.

ἀπαντήσεις : obuiam itiones.

αἰδέομαι Τρῶας : timeo Troianos.

288 κενόσπουδα : inanis studij plena.

ἀναπάντητον : remotum ab omni occursu.

299 ὑπὸ τὴν διάληψιν : sub ipsam accessionem febris.

301 ἀπαῤῥησίαστον : minime liberam.

τίς δ᾽ ἐστὶ δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν? quisnam est seruus, de morte securus qui sit?

ἀσμένιστον : gratissimum, libentissimum.

303 θέσεις : proposita, quæstiones vniuersales, consultationes.

Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ, &c. an manendum in patria tyrannide oppressa : ea vero tyrannide oppressa, an quouis modo tyrannidis euersio moliẽda est, etiam si ciuitas propter id de summa rerum periculum subitura sit. Vtrum cauendum sit, ne qui tyrannidem euertit ipse euehatur. An tentandum sit opem ferre patriæ tyrannide oppressæ verbis & rei opportunitate potiùs quàm bello. An viri Reipublicæ dediti sit, secedentem aliquo, quiescere, oppressa à tyranno patria, an quodcunque subeundum discrimen pro libertate. an bellum inferendum regioni, eáq;

ſit obſidenda, ſi à tyranno opprimatur. an etiam is, qui non probet, vt bello tyrannis euertatur, tamen nomen ſuum profiteri cum fortiſſimis viris debeat. An cum bene meritis & amicis vna ſubeunda ſint pericula in rebus quæ pertinent ad Rempub. etiam ſi illi minùs rectè de ſumma rerum conſuluiſſe videatur. Vtrum de patria bene meritus, ob eámque cauſſam grauiſſima quæque paſſus, & inuidia oppreſſus vltro pro patria diſcrimen ſubire debeat, an permittendum ei, vt ſui ipſius interdum, & cariſſimarum perſonarum rationem habeat, dimiſſis aduerſus potentes concertationibus pro Rep.

304 τῶν προὔργου τι: *eorum quæ ſunt ex re aliquid.*

ἔκαιρος: *intempeſtiuus.*

εὐστομάχως: *bono ſtomacho, fortiter.*

305 αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος: *ſtatim enim tibi deinde poſt Hectorem mors parata.*

αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι: *vtinam ſtatim moriar, poſtea quàm nõ eram ſocio, cùm interficeretur, opem laturus.*

ἑταίρῳ: *ſodali.*

εὐεργέτῃ: *bene merito.*

307 οὐδέ μοι ἦτορ ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι: *neque mihi pectus firmum, ſed conſternato ſum animo.*

αἰσχροῦ φαντασία: *turpitudinis imago.*

308 *ἐν δυνάμει: cum vi, & efficacia.*

σύν τε δύ' ἐρχομένω: primis his verbis locum Homeri, qui legitur Iliad. x. indicauit, σύν τε δύ' ἐρχομένω καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν ὅππως κέρδος ἔῃ: *duobúsque simul euntibus alter alterum præuertisset cogitando quod è re foret.*

309 τὸ συνεχὲς: *proximum, quod coniunctum est.*

310 ἀπάντησις: *occursus.*

πολίτευμα: *actionem publicam.*

μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου: *ne mihi gorgoneum caput horrendi & grauis monstri.*

εἰδώς σοι λέγω: *sciens tibi dico.*

ἀχαριστίας: *ingrati animi.*

311 ὁ πλοῦς ὡραῖος: *nauigatio tempestiua.*

312 Μέντορ πῶς τ' ἄρ ἴω, πῶς τ' ἄρ προσπτύξομαι αὐτόν: *Mentor, quonam modo adeam, &, quonam modo amplexabor ipsum?*

316 σοφιστεύω: *declamo, fictas caussas ago.*

θέσεις: *proposita, consultationes.*

Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ: *Dionysius Corinthi est.*

319 τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών: *tunc mihi dehiscat lata tellus.*

320 ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς: *in rebus amatoriis.*

322 ἀλογίστως: *inconsiderate, stulte.*

ὑποκορίζῃ: *leni vocabulo appellas.*

χρησμὸς: *oraculum.*

323 ἄσπονδον: *implacabile.*

φιλόπατριν, ac πολιτικὸν: *studiosum patriæ, ac Reipublicæ deditum.*

324 γενικώτερον: *generalius.*
νεκύαν: *turbam mortuorum.*
ἀπορῶ: *dubito.*
στερκτέον: *probandum, æqui boniqꝫ consulendum.*
325 τὸ μέλλον καραδοκήσεις: *quod futurum est exspectabis.*
ὑπὸ τὴν λῆψιν: *sub accessionem febris.*
ἀσμένιστον: *gratissimum.*
νεκύαν: *turbam mortuorum.*
326 πολιτικὸν: *quod sit ex vsu Reipublicæ.*
μακροψυχίαν: *affectionem animi longinqua spectantis.*
εὐδαίμονα: *felicem.*
μεσοποταμίαν: *Mesopotamiam.*
330 οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος: *non est verus sermo.*
331 εὐημερίαν: *prosperitatem, felicem successum.*
συναγωγή: *collectio.*
332 ἐλάπιζεν: *falso ostentabat, insolentiùs iactabat.*
λάπισμα: *falsa quædam ostentatio.*
γοητείαν: *præstigias.*
πειθανάγκην: *suasionem violentam.*
αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, &c. *tyrannorum preces, inquit Plato, permistæ sunt, vt scis necessitatibus.*
ἀλίμενα: *loca portu carentia.*
333 ὑπηρεσίαν: *ministeriū, officiorum præstationem.*
ἀδημονῶν: *mærens, solicitudinis plenus.*
διατριβὴν: *infamiam.*

335 αὐθεντικῶς: *cum auctoritate.*

337 τέτλα, κυύτερον: ſupplendum ex Homero, ἔτλης: *perfer, grauius tuliſti.*

ἄλλα μὲν αὐτὸς: *alia quidem ipſe.*

ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται: *alia autem vel Deus ſuggeret, ſubiiciet.*

340 κινδυνωδῶς: *periculosè.*

νεκυία: *turba mortuorum.*

341 κατακλεὶς: *clauſula.*

λαλαγεῦσαν, ſuppl. χελιδόνα: *garriētē hirūdinē.*

πολιτικὴν: *de ciuium officio in Rempub.*

ἀναθεώρησις: *ſpeculatio, conſideratio.*

344 μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην: *ne ignauiter & inglorie peream.*

ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι: *ſed magno aliquo facinore edito, quod audiatur à poſteris.*

345 ἐκμαγεῖον: *ſignum, expreſſum ſimulacrum.*

τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων: *cōſiderationum maximè ad Remp. pertinentium.*

ἐκφώνησις, ὑπέρευ: *exclamatio, ſupra quam dici poſſit rectè, egregie.*

346 ἄλη: *anxietas animi nuſquam conquieſcentis.*

πολιτευτέον: *verſandum in Republica.*

λαλαγεῦσα: *obſtrepens, & garriens hirundo.*

353 ἀρκαδίαν: integer verſus ſic habet, ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς, μέγα μ' αἰτεῖς, οὔτοι δώσω: *Arcadiam me poſcis, rē magnā poſcis, ne quicquā dabo.*

358 τῶν τε παρόντων δι' ἐλαχίστης βουλῆς, &c. *rerum praeſentium inito breui, & extemporali conſilio optimus iudex, & futurarū, magna*

ex parte eius quod euenturum erat, certissimus coniector.

359 τό τε ἄμεινον, καὶ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα: quid melius, & deterius, in obscuro adhuc prouidebat maximè.

πλουδοκῶν: nauigationẽ cõmodam exspectans.

στοργὴ: amor.

συντήξις: arcta animorum coniunctio, & conglutinatio.

συμπάθειαν: animi consensum, & cõmotionem.

360 ζηλοτυπίᾳ: obtrectatione, dolore ex alterius in amore consortio.

362 αὐθεντικῶς: certo auctore.

365 παροινικῶς: insolenter, contumeliosè.

σκυτάλην λακωνικὴν: Scytalen Laconicam.

366 σὺν θεῷ τοι λέγω: diis iuuantibus dico.

δυσουρία: vrinæ difficultas.

ἀρχὴ: principium.

ἀνηθοποίητον: alienũ à recta morũ cõformatione, in quo mores conformari & effingi nequeant.

ἤθους ἐπιμελητέον: moribus adhibẽda diligẽtia.

367 ὕπουλον: subdolum.

δεῖ τιθήνης ἔτι: opus est nutrice adhuc.

368 ἀφράκτῳ: aperto nauigio.

ἀποτόμως: rigidè, asperè.

θυμικώτερον: stomachosius, iracundius.

369 πάσφορα ὀτλητέον: intempestates ferre oportet.

ὑγιὲς: sincerum.

370 ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι, ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ: sed hæc quidẽ quæ ante acta sunt, omittemus, quamuis tristes.

σφάλμα: error, lapsio.

δειλοὶ: ignaui.

371 ἦθος διδαχῇ ἁλωτὸν: ingenium quod disciplina subigi & domari possit.

ἀρετὴ: virtus.

διδακτὸν: res disciplinabilis.

πρᾶξιν πολιτικὴ: factum viri Reipub. dediti.

περὶ κοιλιολυσίαν γίγνεσθαι: in ventre exonerando occupatum esse.

372 κέλητα ἄοκνον: veredum impigrum.

374 ὢ πολλῆς ἀγεννείας: ô multam animi ignauiam.

377 ἐκτένειαν: prolixam & largam study & operæ pollicitationem.

ἀκεραιὲς: non perturbatum, liquidum.

378 ἑπταμηνιαῖον ἠυτόκησεν: septimestrem salua peperit.

Κωρυκαῖοι: Corycei populi.

τὰ ὄνεια: quæ sunt ex vsu.

μίας: piaculum.

385 δρομόθεν: è cursu.

403 πρᾳότατα: lenissimè.

411 εὔπιστον: fidum, eum cui tutò fides haberi possit.

413 γεροντικώτερον: senilius.

λέσχη: confabulatio.

414 τί γὰρ αὐτῷ μέλει? quid enim illi curæ est? sua nihil interesse putat.

βεβίωται: vita feliciter acta est.

πρόβλημα: quæstio.

ἀγοητεύτως: sincere, sine præstigiis, & fuco.

μακάρων νῆσοι: beatorum insula.

415 πάθει: affectione.

σκέψαι : considera.
κλύπω : plausui.
ἀλογηθῇ : negligatur.
μελήσει : curæ erit.
ἐνερευθέστερον : rubicundiorem.
πρόβλημα ἀρχιμήδειον : quæstio Archimedea.
ψιλῶς : nude, tenuiter.
ἄκουσμα : auditio.
416 ἔρανον : stipem, munus.
διψῶσαν κρήνην : siticulosum fontem.
πειρήνην : Pirenen.
ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ : respirationem venerandam Alphei.
κρήνην : fontem.
ποῖ ταῦτ' ἂρ ἀποσκήψῃ : quonam hæc utique erumpent?
417 γεωμετρικῶς : rationibus geometricis.
ἀρχέτυπα : exemplaria primigenia, veteres tabulæ.
418 πάντα φιλόδημον : omnem popularem.
θεωρίαν : speculationem.
τέλος : finem.
εὐπινὲς : venustè redolens squalorem, & situm vetustatis.
420 ὢ ἀπεραντολογίας ἀνδρὸς : ô loquacitatem insuavem.
421 ἐπιδήμιον : contagiosum, pestilens.
συμπάσχω : una afficior.
ἀποθέωσιν : consecrationem.
τιμὴν : honorem.

ἐκτρόπιμος: remota à via.
μεθαρμόζομαι: in alias personas transfero, commuto.
422 ἀνεμέσητον γὰρ: nam caret inuidia.
433 πολιτικοὶ: Reip. moderatores.
433 τετυφῶσθαι: tumefactum esse, inflatum.
439 ἐγγήρημα: senectutis occupatio.
ἐντάφιον: sepulchrum.
443 ἀλόγως: sine ratione.
445 εἰς ἀποθέωσιν: in consecrationem.
447 Κῦρος δ. ε. Cyrus quarti, & quincti tomi Antisthenis.
448 συμβουλευτικὸν: orationem ad dandum consilium aptam.
Ἀριστοτέλους καὶ Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον: Aristotelis & Theopompi ad Alexandrum.
450 φιλαίτιον συμφορὰ: querula res calamitas.
προπλασμα: periculum elaborati operis, rudis informatio exacti operis.
452 συμπαθῶς: cum significatione animi commoti.
ἐγγήρημα: senilis ætatis occupatio.
οἰκοδεσποτικὰ: patrisfamilias officio conuenientia.
453 συντάγματα: opera.
ἀκηδία: torpedo cum mœstitia.
ἀνεκτότερα: tolerabiliora.
454 συνέφηβον: contubernalem.
ὑπόθεσις: argumentum.
ξεστῷ: polito.

457 τοῦτο δὲ μυῖα ὅσον? *hoc vero quantula musca?*
458 ἀπόγραφα: *descripta.*
459 καταβίωσιν: *vitæ ad exitum perductionem.*
463 εὐλογώτατον: *maxime consentaneum.*
464 εὔλογον: *consentaneum.*
Παναιτίου περὶ προνοίας: *Panætij de prouidentia.*
465 ἐκτενέστερον: *prolixius, & largius in officiis pollicendis.*
φιλοστοργότερον: *amantius.*
ἄφατα. *non dicenda.*
ἀδιήγητα: *non narranda.*
εὐκαίρως: *opportune.*
παρὰ τὴν ἱστορίαν: *præter historiam.*
466 κοινότερα: *communiora.*
πολιτικώτερα: *ad Reipublicæ administrationem magis pertinentia.*
οὐ ταὐτὸν εἶδος: assumendum ex Euripide, φαίνεται τῶν πραγμάτων πρόσωθεν ὄντων, ἐγγύθεν θ' ὁρωμένων: *non eadem facies apparet, cum res procul sunt, & cùm prope cernũtur.*
467 φιλολογώτερα: *eruditiora.*
προσφώνησιν: *nuncupationem.*
468 Καλλιππίδης: *Callippides.*
αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λῷον: *eadem mensura, & melius.*
αἴκε δύναι: *si possis.*
περὶ τελῶν σύνταξιν: *de finibus opus.*
ἀκαδημικὴν: *Academicam.*
Ἀντιόχεια: *Antiochia.*

469 ζηλοτυπεῖσθαι: *inuideri quòd in meis libris loquens inducatur.*
φιλαυτία: *amor sui ipsius.*
ἀπορῶ: *dubito.*
αἰδέομαι Τρῶας: *vereor Troas.*
μέμψιν: *accusationem.*
470 σύνταξιν: *opus.*
παρὰ τὸ πρέπον: *præter decorum.*
ἀπαιδευσία: *ignorantia.*
ἀτριψία: *ruditas.*
Ἀντιόχεια: *Antiochia.*
471 πολυγραφώτατος: *qui multa scripsit.*
ζηλοτυπεῖν: *inuidè ferre à me loquentem induci.*
ζηλοτυπεῖ: *inuidè fert à me loquentem induci.*
472 ἀκίνδυνα: *periculo carentia.*
φιλένδοξος: *ambitiosus.*
ἀκαταληψίαν: *opinionem eorum, qui nihil comprehendi posse dicunt.*
κωφὸν πρόσωπον: *muta persona.*
473 Ἀριστοτέλειον: *Aristotelicum.*
περὶ τελῶν: *de finibus.*
περιπατητικά: *peripatetica.*
ἀζηλοτύπητον, *sine inuidia.*
λογικώτερα: *eruditiora.*
ἕρμαιον: *lucrum insperatum.*
πιθανά: *apta ad persuadendum, probabilia.*
φιλαίτιος: *pronus ad quemuis culpandum.*
474 φιλοσόφως: *philosophice.*
δεδῆχθαι: *morsum esse.*

μὴ γὰρ αὐτοῖς : *num enim ipsis, supp. credo?*

475 ἐποχῇ : *retentione.*

προβολῇ : *statum iam iam dimicaturi.*

ἐποχῇ : *retentioni.*

λόγοισιν Ἑρμόδωρος: integer Senarius sic habet, λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται : *libris Hermodorus mercaturam facit.*

προσφωνῶ : *nuncupo, dico.*

ἀδιόρθωτα: *inchoata, incorrecta.*

ἕωλα : *obsoleta.*

περὶ μικρὰ σπουδάζειν : *in paruis rebus plurimum studij ponere.*

εὐκόλως : *facile.*

477 εὐγενέστερος : *generosior.*

ἀσμενέστατα : *libentissime.*

τὰ κατὰ μέρος : *particularia, singula quaque particulatim.*

478 εὐλογίαν : *probabilem conuenientiam.*

συμβίωσις : *conuictus.*

479 εὐαγώγως : *vt, quo velis, facilè perducas.*

διφθερίαι : *pelliti.*

αἰδέομαι Τρῶας : *vereor Troianos.*

480 ἀσαφέστερος : *obscurior.*

δεινὸς ἀνὴρ, τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο : *acer vir, & qui forte vel insontem accuset.*

581 ἔργον : *opus.*

περιογὰς : *verborum complexiones, periodos.*

482 κολακεία : *assentatio.*

ἐπίτευγμα : *expetita rei adeptio, prosper successus.*

ἀπότευγμα: spei frustratio, infelix successus.
παρακινδυνεύειν: se temerè periculo obiicere.
483 *μείλιγμα: lenimentum.*
σπουδὴ: studium.
484 *πρόβλημα Ἀρχιμήδειον: quaestio Archimedea.*
485 *ἀφίδρυμα: fanum.*
τὸν τῦφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον: insolenti & vanae ambitioni meae, per deos, indulge.
486 *κολακείαι: assentationes.*
ὑμνῶ: celebro.
πολιτικὸν σύλλογον: conuentum virorum Reipub. deditorum.
καταβάσεως: de descensu in antrum Trophonium.
κεκύβικα: in cubitũ me cõformaui, firmissimè sto.
487 *περὶ ψυχῆς: de animo.*
τριπολιτικὸν: librum inscriptum Tripoliticus.
διὰ σημείων: per notas.
488 *σύλλογον: conuentum.*
πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις; triũphare etiam personis.
δυσωπία: verecundia.
489 *καταβάσεως: de descensu.*
εὔλογον: consentaneum.
491 *ἀξιοπίστως: fide dignum.*
φοβερὸν ἦν: formidabile erat.
492 *ἀνεμοφόρητα: leuia, ac ventis dissipata.*
οὐκ ἐπίστησεν: non aduertit.
493 *ὁπότερον δίκας τείχους ὕψιον*: suplendum ex Platone, qui hæc itidem refert, *ἀναβὰς: vtrum*

exscenso alto muro Iusticiæ.
ἢ σκολιᾶς ἀπάταις: *an obliquæ & versutæ fraudis* suppl. *exscenso muro.*
δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν: *ambigit animus ad verum dicendum.*
σκόλια: *obliqua, tortuosa.*
494 φαίδρου πείρων & ἑλλάδος: *De iis quæ redundant in Phædro Platonis, & de Græciæ vita.*
εὐαγγέλια: *bonos nuntios.*
φιλοτέχνημα: *opus studiosè elaboratum.*
τὰ ὅλα: *tota.*
495 σκολιᾶς ἀπάταις: *versutæ fraudis*, suppl. *murum ascensurum.*
καὶ μάλα κατηφής: *admodum tristis.*
σὺ δὲ, τί συννοεῖς? *tu vero, quid cogitabundus?*
496 μίας κέρδου: *piaculum Cordi Scæuolæ.*
μνημονικὸν ἁμάρτημα: *memoriæ error.*
500 ἀλόγως: *temere, sine causa.*
501 μέμψιν ἀναφέρει: *accusationem intendit.*
503 πρὸς ἴσον ὁμοιοτ.: *ad æqualem, similémque.*
ἀκολακεύτως: *sine assentatione.*
ἀμεταμέλητον; *non pœnitet me.*
504 ἐμετικὴν: *curationem per vomitum.*
ἀδεῶς: *fidenter, sine vllo periculi metu, aut suspicione.*
οἱ περὶ αὐτὸν: *familiares ipsius.*
σπουδαῖον οὐδὲν: *serium nihil.*
φιλόλογα: *erudita.*
ἐπισταθμίαν: *hospitij procurationem.*

506 φαλάκρωμα: tranquillitatem.
πανικὸν: : inanis terror.
507 διάθεσιν: sensum, cogitationem.
ἐπισημασίαν: animi significationem è gestu.
508 ἥρωες: heroes.
ἠσίτησας: cibo abstinuisti.
μνημονικὸν ἁμάρτημα: memoriæ lapsus.
φυρμὸς πολὺς: conturbatio multa, tumultus ingens.
εὐρίπιστα: eiusmodi vt facilè excitari possint, ac si flabris agitarentur.
509 νεωτερισμοῦ: rerum nouarum.
πολιτεύεσθαι: versari in Rep.
σόλοικον: absurdum.
τυραννοκτόνους: tyrannicidas.
πεπολιτεύμεθα: publicè nos gessimus;
510 πολιτικώτερα: quæ magis pertineant ad statum Reipublicæ.
πεπινωμέναι: situ veteris eloquentiæ venustè obsitæ.
πίνος: squallor veteris sermonis.
ἀγὼν: certamen, bellum.
513 γλῶ περὶ γῆς: longè longéque terrarum.
ὑπηνέμιος: inanis, & futilis.
ῥοιζόθεμιν: litem & causam tumultuosam.
514 ἀκολασίαν: intemperantiam.
515 ὦ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δὲ: ô factum pulchrum quidem, sed imperfectum.
516 ἀλιτενεῖ: humili.
ἀλλ' οὐ δ' αὐτὸς ἐπὶ ἑτέρου ἔργα μέμηλεν, &c. sed nobis

nobis curæ non est conuiuio & compotationi operam dare, verùm magnam cladem à Ioue immissam intuentes extimescimus, incertúmque est saluine futuri, an interituri simus.

517 Τέκνον ἐμὸν οὔτοι δέδοται, &c.

Non tibi, nata mea, data sunt opera bellica: verùm tu placida persequere munera eloquentiæ.

522 πολιτικώτερα: *quæ magis spectant ad statum Reip.*

524 ἀναθεώρησιν: *animaduersionem.*

525 ἀριστείαν: *præclarum facinus.*

ἀναθεώρησις: *animaduersio.*

κατὰ μίτον: *singula quæque tamquam telæ licia percurrendo.*

527 μελήσει: *curæ erit.*

ἀνέκδοτον: *non editum.*

532 ἀπορίᾳ: *solutionis defectu.*

533 πρᾶξιν: *factum.*

534 καθολικὸν θεώρημα: *perceptum artis, quod in omnes conueniat, regulam generalem.*

535 μὴ πολιτεύεσθαι: *accedendũ nõ esse ad Remp.*

536 ὑποσόλοικα: *subabsurda.*

βεβίωται: *fœliciter vita acta est.*

πεντέλοιπον: *qui quinis superest, id est, Sextum.*

λῆρος πολὺς: *multa nugæ.*

537 ὑπόθεσιν: *argumentum.*

εὔλογον: *probabile.*

γυμνοπροσωπέον: *retecto vultu & aperta fa-*

cie procedendum.

ἰτέον : *eundum*

538 ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸν δ' ἀπωθοῦνται ψόγον : *aliis in bonis dedecus hoc detrudunt à se.*

539 οὐδὲν ὑγιές: *nihil sincerum.*

540 οὐ ταυτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ : *non idem ex eodem.*

541 ὑποθέσεις: *positiones, argumenta.*

ὑπεραττικὸς : *plus quàm Atticus.*

Δημοσθένους : *Demosthenis.*

ἀττικώτατα: *maximè Atticè.*

542 καύσῳ : *æstuante febri.*

πεντέλοιπον :

544 ἄνω ποταμῶν : versus integer Euripidis in hũc modum habet, ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαὶ : *sursum versus sacrorum fluminum feruntur fontes.*

ἀπορεία : *dubitatio.*

545 μελήσει : *curæ erit.*

παρεγχείρησις : *molitio in alieno opere.*

ἡρακλείδιον : *iis simile quæ Heraclides ponticus scripsit.*

546 ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς : *fullo est carbonarius.*

550 λαχεῖν : *nancisci, sorte adipisci.*

κοχώνην: *corporis partem cui adsita sunt pudenda.*

553 ἣ δεῦρ' ὁδὸς: *iter huc susceptum cui tibi vsui nunc est, age dic tu qui oraculum consulis.*

βλάσφημα : *quæ mali sunt ominis.*

554 καὶ μάλα σεμνὸς: *& valde grauis.*

τῶν δ' αἰτίαν : *horum culpam quis Brutorum*

ſuſtinet? quis Brutorũ harũ rerũ auctor fuit.
κατηχήσει : inſtitutioni.
ἐὰν διαμένῃ : ſi permanſerit.
ἀναντιφωνησία : taciturnitas in reſpondendo.
διάλογον : dialogum.
ἡρακλείδιον : ſcriptum iis ſimile quæ Heraclides Ponticus ſcripſit.
556 φιλοσοφούμεθα : philoſophamur.
τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος : quæ de officio ſunt.
προσφωνοῦμεν : nuncupamus, dicamus.
558 συντάξεις : compoſitiones librorum.
μετέωρος : animi pendens, ſuſpenſus.
φιλόλογα : erudita.
φιλοφρόνως : humaniter, amanter.
559 πεπινωμένως : expreſſo veteris ſermonis ſqualore.
προκοπὴν : progreſſum in litteris.
560 οἶκος φίλος : domus cara eſt optima.
ῥωπογραφία : deſcriptio, pictura cùm virgultorum & plantarum ibi virentium repræſentatione.
ῥητορεύουσιν : rethoriſſant, clamitant, vociferantur.
φιλοστόργως : peramanter.
τὰ μὲν διδόμενα : ſupplendum ἀνάγκη δέχεσθαι : quæ dantur neceſſe eſt accipere.
561 φιλοστόργως : peramanter.
ἀττικῶς : ſtudioſè expreſſa veterum loquendi forma.
562 ἐργῶδες : laborioſum.

ἀνυστὸν: *quod perfici possit.*
σχεδίασμα: *subitum consilium, & tumultuarium.*
ἄφατα: *non dicenda.*
563 ἐν κενῷ: *frustra.*
πάσχω τι: *patior aliquid, angor.*
565 ἐποχὴν: *retentionem, hæsitationem.*
ἀκεραίως: *sincere.*
πλοῦς: *nauigatio.*
566 ὑπόμνημα: *commentarium.*
567 ψευδεπιγράφῳ: *falsè perscripto.*
ἀτοπώτατον: *absurdissimum.*
569 πάνυ φιλοστόργως: *valde amanter.*
βουλύσει: *vespera, solutione boum ab aratro.*
570 ἀμηχανία: *inopia consilij.*
571 σπείσασθαι: *inducias facere, pacisci.*
ἐβδελυττόμην: *abominabar.*
σκοπὸς: *scopus, finis.*
οὐ πειρᾷ τοῦτον: *non solicitat eum, non interpellat eum.*
572 ἔτι ἐῶμεν? *adhúcne sinimus?*
ὁμοπλοίᾳ: *societate nauigandi.*
πανικὸν: *inanem terrorem.*
λῆρος πολὺς: *nugæ multæ.*
γλίσχρως: *parce, tenuiter.*
575 σύνταγμα: *opus.*
ἀρχέτυπον: *archetypum, exemplar.*
678 παρὰ λέξιν: *contra propriè loquēdi rationem.*
579 ὁμοπλοίᾳ: *nauigandi societate.*
580 μετεωρότερον: *suspensiore animo.*

581 ἀσφαλὲς: *tutum.*
ῥοπὴ: *momentum, inclinatio.*
γαυριῶ: *glorior.*
μετ᾽ ἀμύμονα: *post expertem culpæ.*
ἀμύμων: *reprehensionis expers.*
ἄμβροτος: *immortalis.*
συναγωγὴ: *collectio, volumen.*
δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες: *longam nauigationem ingressi.*
582 ἡ δεῦρ᾽ ὁδὸς σοι δύναται: *iter huc susceptum quid tibi prodest.*
σύγγραμμα: *conscriptio, opus quod scripto constet.*
ἀνεμέσητα: *nulli reprehensioni obnoxia, nemini stomachum mouentia.*
εὐθανασίαν: *facilem mortem.*
σχόλιον: *explicationem tui consilij.*
ἀπολογισμὸν συντάξομαι: *defensionẽ cõponam.*
685 ἀναπολόγητον: *quod defensione caret.*
δυσχρηστία: *difficultas mutuandæ pecuniæ.*
586 πειράζεσθαι παραλύσει: *tentari & infestari resolutione neruorum, sideratione.*
587 εὐκαιρίαν: *occasionem.*
ἀσφάλειαν: *securitatem, tutum præsidium.*
ἀπορίᾳ: *dubitatione.*
588 σκήπτομαι: *causas necto; tergiuersor.*
ἀριστεία: *actio præclara, factum optimatum.*
589 ἄνθη: *flores.*
παῖδες παίδων: *nati natorum.*
ὕθλῳ: *nugis, garrulitate.*

εἷς ἐμοὶ μυρίοι : *vnus mihi decem millia.*
ἀδόλεσχος : *loquax.*
εὐμενεία : *beneuolentia.*
εἰρωνεία : *dissimulatio.*
πεπλογραφίαν : *pepli descriptionem.*
590 ταξιάρχης : *ordinis ductor, centurio.*
τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος : *quæ de officio scripsi.*
τὰ κεφάλαια : *capita.*
περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος : *de officio cui quædam adiecta est circunstantia.*
προσφωνῶ : *dedico, nuncupo.*
ἀνοικεῖον : *alienum.*
591 αἰδεσθὲν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι : *pudebat quidē abnuere, veriti sunt autē suscipere.*
ἀπάντησις : *occursus.*
592 πονοῦμαι : *labore & molestia conficior.*
δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα : *longam nauigationē molientem.*
ἀπροσδιόνυσον : *absurdum, ineptum.*
παρ' ἠνεμόεντα μίμαντα, νήσου ἐπὶ ψυρίης : *ad ventosum Mimantem insulą in Psyria.*
593 ἐπ' ἀριστερὰ ἔχοντα : *sinistra habentem.*
ἀμάρα : *alueus aquæ, canalis.*
594 ὑπόμνημα : *commentarium.*
595 δυσωπίαν : *verecundiam.*
596 ἐν πολιτικῷ : *in eo genere quod ad Reip. moderationem spectat.*
μὴ δὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου : *ne saluus quidem fiam ab hoc.*
στρατύλλαξ : *imperatorculus.*

Errata operarum ita corrigito.

P. 2. Versu cuius initium, *à iudiciis*, Legendũ, *refrixerit*] *P. 51. V. hercule, L. ante pedes extruxeram*] *P. 53. V. laborent, L. laborarent*, & ibidẽ *V. quosque ideo, L. quosque adeo*] *P. 56. V. multo, L. hominũ*] *P. 58 V. De Geographià, L. etiam atque etiam*] *P. 118. V. Centurialis, L. Centuriatis.*] *P. 192. V. ter, L. calcaribus*] *P. 195. V.* COSS. *L.* COS.] *P. 197. V. nũmos, L. Nemorẽsi*] *P. 200. V. bus ipsorum, L. magistratus*] *P. 212. V. dyboni, L. posui*] *P. 213. V. sui sorori, L. eum valde etiam tuæ litteræ*] *P. 234. V. tam perdita, L. iuuentus*] *P. 237. V. triumphi, L. ἀντιπολιτευομένε*] *P. 241. V. ἔτω, L. ἀνδρῶν*] *P. 248. V. Senatus, L. Fuffanóque*, ibidem. *V. æstimat, L. peruenit*] *P. 259. V. respuntur, L. respuuntur*] *P. 265. V. contra, L. auctoritatem*] *P. 270. V. Litteræ, L.* A. D. XIII. KAL.] *P. 287. V. & ita, L. ac ita*] *P. 308. V. vt quidẽ, L. quos sequamur*] *P. 340. V. κυρδυνωδῶς, L. κινδυνωδῶς*] *P. 368. V. rum ἀφερέκτω, L. fuerim solicitus*] *P. 371. V. tuit. exulibus, L. reditum*] *P. 277. V. gity, L. qui mihi id*] *P. 381. V. quid vellem, L. & tam graui*] *P. 385. V. tebit, L. mallem*] *P. 388. V. mei, L. vtrũque*] *P. 396. V. ne intermittas, L. quoad eius*] *P. 399. V. ti autem, L. modo ad illos*] *P. 408. V. tentari, L. quidam Rhodo*] *P. 409. V. ad Tulliã, L. bis ad Tulliam*] *P. 412. V. aliquid, L. cupio à*

te] *P. 413. V. buccam, L. quidam*] *P. 416. V. ſcripſi, L. demonſtrarim*] *P. 418. V. detrimenti, L. ſed quid loquor?*] *P. 428. V. quid perſpexeris, L. ſi quid perſpexeris*] *P. 432. V.* CICERO ATTICO. erratum eſt in referendo numero epiſtolarum iam inde ab hac vſque ad vltimam huius libri. nam quæ hic habetur XXII. debet inſcribi XXIII. ſicque deinceps augendus eſt numerus reliquarum.] *P. 459. V. magis, L. quemadmodũ ego*] *P. 490. V. niſio cognoſco, L. myſio ignoſco*] *P. 522. V. probrum, L. explanabis*] *P. 582. V. me non eſſe, L. periculúmne? id nunc quidem.*]

SIMEONIS BOSII PRAETORIS LEMOVICENSIS ANIMADVERSIONES IN Epiſtolas M. T. Ciceronis ad T. Pomponium Atticum,

Ad ampliſſimum virum

PHILIPPVM HVRALTVM CHIVERNIVM

Galliæ Procancellarium.

RATIASTI LEMOVICVM,

APVD HVGONEM BARBOVM.

1580.

EX PRIVILEGIO REGIS.

Ἀττικὸς ἀκταίας ἀπὸ Παλλάδος ἄστεος εὗρεν
   Παλλαδίου κλειτὴν ἀνδρὸς ἐπωνυμίην.
Ῥωμαίων ὃν ἄριστος ἄριστον ἀφ' ἑλλάδος αἴης
   Φίλατο, καὶ φιλίης τέκμαρ ἐπιστόλια,
Ῥωμαΐδι γλώσσῃ μὲν ἐκεῖνα χυδήν τε χαρέντα,
   Αὐτὰρ ἔχοντα ὅσον γ' ἀττικόν ἐστι μέλι.
Τὸν κάματον δὲ σφῆκες ἐλυμήναντο μελίσσης,
   Γραμματικοὶ σφῆκες βιβλοπαλαιόλεθροι.
Νῦν δ' ἀπὸ τούς δὲ σοβῶν ὁ Βόσιος, ἐξεκάθηρε
   Στάζον ὑμεττείῳ νέκταρι συμβλάριον.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΑΥΡΑΤΟΥ.

Atticus Actæa nomen de Palladis vrbe
   Eſt hominis nactus nobile Palladij,
Quem flos Romulidûm florem regionis amauit
   Graiæ, & amicitiæ pignus epiſtolia;
Illa quidem Latia lingua conſcripta ſolutè,
   Toto melle tamen perlita Cecropio.
Hunc ſed apum veſpæ malè corrupére laborem,
   Grammatici, priſcis veſpa inimica libris.
Nunc illis Boſius pulſis purgauit Hymetti
   Nectareo fluidum rore liquente fauum.

Rollandus Betolaus I. C. vertebat.

Sciſſa olim à Marco Marci toga, lingua, manuſq;,
   Integra nunc eadem ſunt toga, lingua, manus:
Vt verò gladiis armati ſciſſa, togati
   Sic Boſij calamis integra facta manent.

Io. Belbrulij.

ATTICVS vt quondam Cicerona colebat amicũ
Eiúſque tam memorem æmulum,
Gratus vt ambobus ſummis coleretur adæquè
Inter ſe amantibus viris:
Sic neutro offenſo Boſius Ciceronis alumnus
Ciceronem & Atticum colit,
Attica reſtituens Marci bellaria Tullı
Pomponio nunc Attico:
Quæ vel tempus edax conſumpſit plurima, creber
Vel aduena expulit Atticus,
Atticus hoc vno, ſed ceterà putidus, excors,
Et litterator inſciens;
Eſt cuius detecta fides hoc Punica libro,
Hac Attica Boſij fide.
Aticus eſt etenim teſtis Ciceronis & acer
Nunc redditi Attico ſuo;
Splendoríque ſuo veteri fœliciter omni
Simeo Boſius ὑπερατ]ικός.

Rollandi Betolai I. C.

SIMEONIS BOSII PRAETORIS LEMOVICENSIS ANIMADVERSIONES, IN EPISTOLAS M. TVLLII CICERONIS, AD T. POMPONIVM ATTICVM.

IN LIBRVM PRIMVM.

Vsus sum in his epistolis emendandis tribus exemplaribus manuscriptis; quorum duo antiquissima erant & optima, Tornæsianum, ex cuius fide pleraque integritati suæ restituit Lambinus, quæ erant antea valde deprauata, & Decurtatũ, quod ipse ante annos quindecim à gregario quodam milite cum aliis aliquot libris calamo exaratis comparaui, ex bibliothecæ cuiusdam sacræ direptione, tanquam è periculosissimo naufragio, seruatum. id autem plurimis in locis emendatiùs scriptum reperi quàm Tornæsianum. quamquam erant in eo multa lacera, deerántque alicubi integræ paginæ, totíque vltimi duo libri. qua de causa codicem eum Scidas, aut Decurtatum appellare soleo. tertium mihi præbuit ornatissimus, doctissimúsque vir Erricus

Memmius, secretioris consilij Regij consiliarius, qui eum à clarissimo viro I. Huralto Bœtalerio vtendum acceperat, vt eius mihi copiam faceret: quo libro vsum etiam Lambinum video. sed is, vt non tam vetus erat quàm superiores illi duo, ita scripturæ integritate multùm illis cedebat. Adiutus sum præterea codice quodam excuso Lugduni, qui olim fuerat Petri Crusellij, medici apud nostrates celeberrimi; ad cuius libri oras doctus ille vir varias lectiones appinxerat, à se, vt ipse dicebat, diligentissimè, & summa fide è vetustissimo, & castigatissimo libro Nouioduni descriptas. Horum igitur librorum fretus auxilio, infinitas propemodum maculas ex his epistolis abstersi, &, quantum in me fuit, lumen obscuris multis locis attuli. Sed de toto hoc studio, opera, industriáque nostra iudicium penes lectorem esto.

IN EPISTOLAM I.

DE *ordine epistolarum, quæ his libris continentur hoc semel dictum volo; quicumque eas primus digessit, vt hodie leguntur, eum non seruasse temporum rationem, quo scriptæ fuerunt. Verum quia non alio ordine extant in libris antiquis, quàm in vulgatis, hunc errorem potiùs ferendum duxi, quàm ex opinione quicquam mutandum.*

SINE fuco] *ita interpunximus hæc verba, vt monuit Malaspina: vt,* sine fuco & fallaciis, *referatur ad denegationem suffragatorum, non ad pren-*

sationem Galbæ.

ITA quiddam] *creber ille rumor de multorum erga nos propensa voluntate nobis nonnihil, vt spero, proderit ad obtinenda populi suffragia.*

IN campo] *Hunc quoque locum rectè mihi videtur distinxisse Malaspina. significat enim Cicero se initium prensandi facturum, quo primùm tempore, & quo loco animaduerteret populum vnà conuenisse: quòd commodissimè tunc posset singulos quosque prensare. id autem fore sperabat ante diem decimum sextum Kalend. Sext. in campo Martio; quo loco tunc cogi populus debebat, ad creandos Tribunos plebis.*

A. D. XVI.] *Notis scripsimus* A. D. *non, vt erat in vulgatis,* AD. *quæ præpositio huic loco conuenire non potest. nam ad decimum sextum Kalendas esset circiter decimum sextum Kalend. (id enim* AD *declarat in huiusmodi loquutione) quo dicto certus dies non præstitueretur: quem tamen hîc præfinisse Ciceronem liquidò ostendunt hæc verba* comitiis Tribuniciis. *nam in incertum diem indici comitia non solebant. hinc statuo hîc scribendum esse, vt dixi;* A. D. XVI. *Concisè autem dicebant* ante diem, *pro, ante diem finitum, proindéque ipso die. Inde Paullus Iurisconsultus lib. iij. ad legem Papiam, & Iuliam, cùm docere vellet his verbis* ante diem decimum Kalendas, *&*, post diem decimum Kalendas, *diem ipsum decimum Kalendas significari, sic scripsit,* ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum: neque

vtro enim sermone vndecim dies significantur. *In eandem quoque sententiam Vlpianus libro* XIX. *ad edictum*, qui, *inquit*, ante Kalendas proximas stipulatur, similis est ei, qui Kalendis stipulatur. *Hæc enim verba*, ante Kalendas, *sic accipienda putat Vlpianus, quasi dictum esset* ante diem Kalendas.

QVI denegat] *in Tornæsiano, & Crusellino est*, qui & negauit. *sed vulgata lectio*, qui denegat, *Scidarum auctoritate confirmatur: idcirco eam retinui.*

MERIDIE non lucere] *Victorius legit* liquere, *& hæc verba refert ad veterum iudiciorum formulam, qua iudices pronunciabant sibi liquido non constare damnandúsne reus esset. quæ scriptura hîc ferri non potest, vbi agitur de absoluendo, non de condemnando Catilina, vt pluribus ex Cicerone, & Asconio demonstratum est à Manutio. Sed vt clariùs pateat legendum esse*, lucere, *vti nos ex fide Decurtati excudi iussimus, paucis explicandum est cur irrita fuerit ea Consulatus petitio, quam Catilina instituerat biennio ante, quàm Cicero peteret, quæq; sit caussa cur Cicero dicat se competitorem certum eum habiturum. Ac primùm illud constat Catilinam ex Prætura prouinciam Africam obtinuisse, eíque præfuisse vsque in id tempus, quo designatos* COSS. *P. Cornelium Sullam, & P. Autronium Pætum L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus ambitus damnarunt, & in eorum locum suffecti sunt. tunc enim primùm ex Africa Ro-*

mam rediit, & quidem tardiùs quàm par fuit petitorem Consulatus. quo factum est vt intra legitimos dies profiteri nequiuerit, vt est apud Sallustium. legitimos dies hîc cum Gruchio accipio, trinundinum illud, quo petitores Consulatus ante comitia ordinaria nomen profitebantur, & populo, in toga cãdida, supplicabãt. ordinaria verò comitia ea voco, quæ ad creandos Consules vt plurimum sub finem mensis Quinctilis, aut initio Sextilis habebantur. Itaque quo tempore Catilina decessit ex prouincia, cùm iam designati essent Consules comitiis ordinariis Sulla, & Autronius, fieri non potuit, vt is profiteretur intra trinundinum illud comitiorum ordinariorum; quippe qui adhuc abesset. postea verò indictis sub anni finem secundis comitiis, ad sufficiendos alios Consules primis ambitus damnatis, eósque potissimum, vti mos erat, qui illos reos peregerant, cùm ille Romam reuertisset, professus est se petere Consulatum. cui petitioni vt obuiam iret Consul Tyllius, qui iam intellexerat illum pecuniarum repetundarum postulari, consilium, inquit Asconius, publicum habuit, illiúsne habenda esset ratio, si Consulatum peteret: factúmque est S. C. in sententiam Tulli, quo ille petere prohibitus est. cuius prohibitionis præcipua quidem causa fuit repetundarum accusatio: alia tamen speciosior quæsita est; quòd ille intra legitimos dies, qui antecesserant comitia ordinaria, professus non esset. ac quod prohibitus fuerit petere secundis comitiis, non verò primis illis ordinariis, declarat his

verbis Sallustius. L. Tullo M. Lepido COSS, P. Autronius, & P. Sulla designati Consules legibus ambitus interrogati pœnas dederant. paullo post Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat petere Consulatum, quòd intra legitimos dies petere nequiuerit. *Hunc ergo Sallustij locum si cum Pediani verbis conferas, intelliges professionem illam, cuius Pedianus meminit, irritam fuisse, quod legitimo tempore confecta non esset. His igitur de caussis Consulibus Tullo & Lepido à petitione destitit Catilina. Sequutus est annus, quo inierunt Cotta, & Torquatus, in locum Sullæ & Autronij subrogati: quibus Consulibus caussam quidem repetundarum dixit, sed maiore parte eius anni iam exacta, atque adeo designatis in sequentem annum Consulibus L. Iulio Cæsare & C. Marcio Figulo; vt intelligitur ex epistola secunda huius libri, cuius initium, in hac editione nostra,* L. Iulio Cæsare, C. Marcio figulo. *qua de caussa toto eo anno à petitione abstinuit, quod nondum iudicium de ipso latum esset, cùm habita sunt comitia Consulibus illis designandis. nam aduersus quos constitutum erat publicum iudicium, eorum ratio in petendis honoribus haberi non solebat. idcirco Romam priuatus ad petendum Consulatum venire Cesar noluit, quòd identidem M. Cato non sine iure iurando, ut ait Suetonius, denunciaret se nomen eius delaturum. Cùm ergo cerneret Cicero reatu tantummodo Catilinam à petitione Consulatus arceri, eúmque facilè tum absolutum, aut damnatum*

iri, cùm ipse petitionem suam institueret, scripsit Attico, cum de competitoribus suis ageret, se illum certò competitorem habiturum, si iudicatum esset meridie non lucere: hoc est, si de manifestissimis criminibus, quorum ille reus agebatur, iudices pronunciarent sibi nihil constare, ideóque illum absoluerent.

CVRIVM obducere] *discrepat hoc loco codex Tornæsianus ab aliis libris manuscriptis, quos habui. Nam pro* Curium, *qua in lectione ceteri omnes consentiunt, edit* Torium. *nos* Curium *probauimus. notat enim Cicero Q. Curium, virum flagitiis, atque facinoribus coopertum; quem Censores, probri caussa, Senatu mouerant, vt refert Sallustius. Itaque cùm vellet ostendere Thermum, & Silanum gratia & existimatione, quo tempore hæc scribebat, parum valere, eos cum despicatissimo illo viro comparauit, aítque ἀδύνατον non esse illum aduersus eos ducere ad petendum Consulatum. est ergo obducere, aliquem contra ducere, qui alteri aduersetur. sic obducere exercitum dixit Plautus Pseudolo:* post ad oppidum hoc vetus continuò meum exercitum protinus obducam. *De hoc Curio intelligendus est locus hic libri secundi :* iacet enim ille sic, vt φῶσις Curiana stare videatur.

Obducere Turneb. lib. 24. c. 34.

QVAE tum erit absoluta] *Tam in Tornæsiano, quàm in Decurtato, & Crusellino exaratũ est,* tum erit; *quomodo proculdubio legendum est. Ait Cicero fore anno proximè sequenti, quo ipse petiturus erat Consulatum, vt Thermus, qui, cùm hæc scri-*

bebantur, inops erat ab amicis, plurimùm gratia valeret apud populum; quòd tum facilè absoluta foret via Flaminia, quam ille reficiendam curabat. ea enim curatione sibi nullo negocio studia acquisiturus erat vulgi. ergo post vocem, facilè, *statuenda est ea distinctionis nota, qua ambitus orationis terminari solent, hoc est,* τελεία στιγμή.

EVM libens Θέρμον] *Neminem putabat Cicero suo anno Thermo prælatum iri, in Consulatus petitione; verebatúrque ne is sibi Consulatum præriperet. qua de causa cùm pro certo crederet eum Consulem factum iri, optabat illum sibi socium adiungi, vt vterque Consul fieret eodem anno. Thermum inquit, si Consul factus ero, libens mihi collegam adiungam: hoc est, non iniquè tulero, immo gaudebo Thermum Consulem mecum fieri. Hæc est enim horum verborum sententia, quam ex germana huius loci scriptura, hoc tempore, primus elicui, deletis maculis, quæ librariorum oscitantia hîc insederant. ac, vt ratio emendationis nostræ constet, subiiciam veterum librorum scripturam, ex qua concinnata est hæc nostra. Scida, & Crusellinus habent,* eum libenter mun ciceri Consul acciderint: *Tornæsianus*, eum libenter mun citeri Consili acciderunt. *Nos pro* libenter mun *scripsimus*, libens Θέρμον: *pro* acciderint, *siue* acciderunt, accuderim. *nam vox* ciceri *integra extat in Decurtato, & Crusellino, & in aliis leuiter deprauata est, vnius tantùm litteræ mutatione.* Consul *verò in omnibus legitur, præter quam in Tornæsiano, vbi postremæ duæ lit-*

quasi optabil- sic firmu' com- petitorem habere

-*tera eius vocis vitiosè dissilierunt in tria veluti spicula. totum igitur hunc locum ita legimus*, eum libens θέρμον ciceri Consul accuderim. *hîc lepidissima est allusio ad notationes nominum Ciceronis, & Thermi. nam vt Cicero à cicere, ita Thermus ἀπὸ τ͂ θέρμου, id est, à lupino videtur appellatus. itaque festiuè scribit Cicero se Consulem factum libenter cusurum* θέρμον, *hoc est, lupinum cum cicere, indicans, se non inuito animo sibi adiuncturum collegam in Consulatu Thermum. nam verbum* accuderim *quàm aptè conueniat ciceri, & lupino, aliisque leguminibus, satis intelligi potest ex hoc prouerbio Terentiano*, hæc cudetur in me faba.

DOLO malo] *P. Varius cùm æris alieni plurimum contraxisset, vt creditores fraudaret, bona sua mancipio tradiderat Caninio fratri. id cùm animaduertissent creditores, agere cœperunt aduersus Caninium, quòd is dolo malo, ad se fraudandos, Varij bona mancipio accepisset. quæ actio à Iurisconsultus nostris appellatur Paulliana. sed nondum proprio nomine prodita fuerat tempore Ciceronis. idcirco eius loco agebatur de dolo; quod iudicium dare solebat Prætor, vbi propria actio deficiebat iis de rebus, quæ dolo malo facta esse dicebantur, vt ait Vlpianus.*

IN EPISTOLAM II.

L. IVLIO Cæsare] *Ab his verbis initium epistolæ secundæ huius libri ducendum putaui, se-*

Sinceros Cicero-
nem ...
fuisse ... Con-
Longissime ab-
erat a sententia

quutus sententiam Malaspinæ: cui si non suffragantur, certè non refragantur veteres nostri codices. nam in iis hæc epistola agglutinata est superiori, nullo principij discrimine. sæpissimè autem librarios peccasse in epistolarum sectione multis locis alias docebimus. Cæterùm voluit Cicero primis his verbis Atticum rerum duarum facere certiorem, designationis Consulum Cæsaris & Figuli, & diei natalis filij, qui sub tempus comitiorum, quibus illi Consules renunciati sunt, in lucem editus est. cùm ergo ait, L. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo Consulibus, *non tempus notat, quo illi inierunt, sed quo designati sunt; idque apertiùs ostendit ex iis, quæ mox subiicit de instituta defensione Catilinæ. nam causam dixit Catilina Cotta & Torquato Consulibus, designatis tamen in annum sequentem Cæsare & Figulo, vt iam monuimus.*

IN EPISTOLAM III.

AVIAM tuam] *Hæc abscidi è superioribus, vt hinc epistolam inchoarem; quod factum oportuisse, iam alij monuerunt. Primis his verbis indicat Cicero auiam Attici ad supremum vsque vitæ diem in amore erga nepotem, & pietate erga deos perseuerasse, mortuam autem esse sub tempus Latinarum.*

EIVS REI consolationem] *Epicurus affirmabat nihil mali ex morte cuiquam accidere, cùm nullus post mortem, neque voluptatis, neque doloris*

ſenſus remaneret, extincto cum corpore animo: ideo fruſtra lugeri mortuorum conditionem, tanquam miſeram, quum ij contrà ſummo bono fruerentur, hoc eſt, ἀναλγησίᾳ. nam qui nuſquam eſſent, eos dolorem non ſentire. itaque anile eſſe putabat quemquam de morte alterius conſolari, cùm mors nihil eſſet, nihílque ad nos pertineret. ex ea Epicuri ſententia, cuius ſectatores erant Atticus, & Saufeius, πιεπρεπῶς hic Cicero mortem rem appellat, & Saufeium ſcribit miſſurum conſolationem Attico de morte auiæ. In hanc Epicuri ſententiam extat apud Sextum Empiricum iambicus Epicharmi, quem Cicero ita expreſſit, alio tamen verſus genere, libro primo Tuſculanarum,

Emori nolo; ſed me eſſe mortuum nil æſtimo.

Epicharmi ſenarius ita vulgo legitur,

ἀποθανεῖν ἢ τεθνᾶναι οὔ μοὶ διαφέρει.

immerito Ciceronem quidam reprehenderunt, quòd primam huius verſus partem malè verterit, cùm ipſi non animaduerterent fœdis mendis eum locum obſeſſum eſſe. nam pro ἀποθανεῖν ἢ, *ſcribendum eſt,* ἀπὸ θανὲν ἦ. *dictum eſt enim* ἀπὸ ἦ, κατὰ τμῆσιν, *pro* ἀπῆ, *id eſt,* ἀπέσω, *& Dorice* θανὲν, *pro* θανεῖν. *Hæc ego quondam Lambino; qui ea ſuo more edidit, hoc eſt, longè aliter quàm dicta fuerant, ſuppreſſo auctoris nomine.*

AT IN SE expertus] *Ante vocem* expertus *reſtitui ex Decurtato particulam* at *negligentia librariorum omiſſam.*

Lambinus in iis quae ab aliis acceperat.

IN EPISTOLAM IIII.

ACVTILIANAM] *Delegatum fuerat Acutilio nomen aliquod Attici; quod Atticus præstituta die dissoluere non recusabat, modò Acutilius satis daret amplius ab ipso non peti: interim fideiussorem dare volebat Ciceronem. id scilicet Atticus agebat, vt sibi ab eo caueretur, qui nomen Acutilio delegarat. Hanc puto fuisse Acutilianam controuersiam.*

SINGVLARE est insigne] *Quia vocem* insigne *legimus in Scidis, Tornæsiano, & Crusellino, idcirco in nostra editione eam passi non sumus desiderari. Paullo post etiam, ex fide Decurtati, scripsimus,* eos me meos facere posse.

IN EPISTOLAM V.

NON MIHI graue duxissem] *Apertè* duxissem *scriptum est in Decurtato, quo modo legendum censet Malaspina.*

DE TADIANA re mecum] *Hereditatem quandam, quæ puellæ obuenerat, cùm esset in agnatorum tutela, Tadius biennium, aut diutius possederat, quoad satis esset ad inducendam eius hereditatis vsucapionem. eam hereditatem cùm à Tadio puellæ agnati, qui tutelam eius gerebant, repeterēt, Atticus eam vsucaptam putabat. Cicero verò mirabatur ignorasse Atticum in huiusmodi re vsuca-*

pionem procedere nequiuisse, cùm de tutela, id est, de re pupilli pupillæ'ue, nihil vsucapi posset. nam cum res pupillorum nequeant sine decreto alienari, fatendum est non posse quoque vsucapi. alienationis enim verbum, vt ait Paullus Iurisconsultus, vsucapionem etiam continet. vix enim est vt non videatur alienare, qui patitur vsucapi. ideo scribit idem Paullus etiam maiores viginti quinque annis non vtendo seruitutes non amittere, quas communes habeant cum pupillis: si, inquit, communem fundum ego & pupillus haberemus, licet vterque non vteretur, tamen propter pupillum & ego viam retineo. *sed & idem alio loco inter eas res, quæ longo tempore capi non possunt, enumerat res pupillorum.*

IN EPISTOLAM VI.

M. Fontinus] *Victorius legit, vt est in quibusdam nostris,* M. Fonteius*: sed vetustiores, quos vidi, in his Decurtatus, & Tornæsianus,* M. Fontinus*: quod sequuti sumus. non displicet tamen lectio Victoriana; vt hic sit M. Fonteius, pro quo Cicero habuit rationem.*

IN EPISTOLAM VII.

APVD matrem] *His verbis, quæ hactenus vitiosè adtexta fuerunt superioribus, quasi eiusdem essent epistolæ, hanc epistolam inchoaui. nam in Scidis apposita his fuerat ea nota, qua discerni*

& distingui solent, in eo libro epistolæ. sed & quæ Cicero mandat de signis emendis, argumento sunt hanc epistolam diuersam esse ab ea, quæ proxima antecedit. nam illic Cicero signa petit vt iam empta, hîc ea sibi curari vult. hæc igitur prior, illa posterior. Sed receptum ordinem, quamquam perturbatum, noluimus inuertere, ne à veteribus libris recederemus.

IN EPISTOLAM IX.

ARCAE nostræ] *Ex qua præsentem pecuniam numerare possum. nam ex arca soluere dicebantur, qui pecuniam domo depromebant, vt ait Donatus, ad discrimen eius solutionis, quæ fiebat ex mensa argentariorum. inde serui arcarij apud Iurisconsultos, qui dominorum arcæ præerant.*

IN EPISTOLAM X.

ITVRVM eum] *Victorianam lectionem non damno, quæ ita habet,* missuram eum. *sed quia* iturum eum *scriptum inueni in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino, eam scripturam potiorem duxi.*

INCLVDERE] *eadem significatione hoc verbum vsurpat Vlpianus noster cùm agit de tigno iuncto:* nec enim, *inquit,* parci oportet ei, qui sæpius alienam rem ædificio inclusit, iunxit ve. *Sed quia incidimus in mentionem verbi, quod ad tigni iunctionem pertinet, non alienum, opinor, fuerit*

hîc legem XII. *Tabularum de tigno iuncto apponere, vt nos eam olim ex vestigiis veteris scripturæ restituimus:* TIGNVM IVNCTVM AEDIBVS VINEAEVE E COMPAGE NE SOLVITO. *nam quod est apud Festum* & concape *deprauatum est ex illo* è compage, *siue, vt veteres scribebant*, è conpace,

ACCERCI à me] *in editione Victoriana est* accersam, sed prohibebo, *minus commodè quàm quo modo legitur in Scidis*, accersi à me sed prohiberi; *quam scripturam sequutus sum.*

PARTA erunt] parata, *non*, parta, *vtrobique hîc scriptum est in meis veteribus. ego tamen nihil mutaui.*

SPONSOREM appellat] *Victorius in postrema sua editione harum epistolarum addidit hîc negationem ante verbum*, appellat, *fretus nécne auctoritate veterum librorum, non satis scio. ab omnibus quidem, quos vidi, abest particula* non, *quam ille adiecit, ac profectò rectè abest. significat enim Cicero Tulliam ex eo quod sponsorem appellaret, diem quoque dare debitori. nam cùm sponsores appellabantur, dies quodammodo dabatur reis debendi, si præsentes erant ipsi, aut eorum procuratores. non enim sponsores litem contestabantur, cùm aderant debitores, aut eorum procuratores. idem Cicero libro* XVI. *harum epistolarum*, possumus enim, *inquit*, vt sponsores appellentur procuratorem introducere. neque enim illi litem contestabuntur: quo facto non sum nescius sponsores libe-

rari. *et quamuis Ciceronis tempore sponsores quandoque, non excussis reis debendi, appellarētur, id tamen quia videbatur, vt idem Cicero scribit, habere quandam δυσωπίαν, à plerisque non fiebat. nam cùm locupletes erant debitores, non solebant sponsores cogi: Idem Cicero libro* XII. *harum epistolarum*, quod scribis à Iunio te appellatum, omnino Cornificius locuples est. sed tamen scire velim quando dicar spopondisse: *& alio loco eodem libro*, quod pro Cornificio abhinc amplius annis XXV. me spopondisse dicit Flauius, & si reus locuples est, & Apuleius prædiator liberalis; tamen, velim, des operam, vt inuestiges ex consponsorem tabulis, sítne ita. mihi enim ante Aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio: *sed & de sponsoribus non appellandis ante reos debendi cautum fuerat antiqua quadam lege, cuius meminit Iustinianus initio Nouellæ cōstitutionis quartæ*, νόμον παλαιὸν τεθειμένον μὲν ἤδη, τῇ χρήσει δὲ οὐκ ἴσμεν ὅπως οὐκ ἐνευδοκιμήσαντα, διὰ δὲ τῶν ἀεὶ ζητουμένων πραγμάτων ἀναγκαῖον αὐτῇ φαινόμενον, αὖθις ἀνακαλέσασθαί τε καὶ εἰς πολιτείαν καταγαγεῖν καλῶς ἔχειν ἐνομίσαμεν, οὐχ ἁπλῶς αὐτὸν οὕτως ὡς ἔκειτο θέντες (ἦν γάρ τις αὐτῷ μοῖρα παντελῶς ἀδιάκριτος) ἀλλὰ μετὰ τῆς προσηκούσης τε καὶ θεοφιλοῦς διελόντες προσθήκης. εἴ τις τοίνυν δανείσειεν, καὶ ἐγγυητὴν, ἢ μανδάτορα, ἢ ἀντιφωνητὴν προσλάβοι, οὗτος μὴ τὴν πρώτην εὐθὺς κατὰ τοῦ μανδάτορος, ἢ τοῦ ἐγγυησαμένου, ἢ ἀντιφωνήσαντος χωρείτω; μηδὲ ἀμελήσας τοῦ δανεισαμένου τὰς παρενθήκας διενοχλείτω, ἀλλὰ χωρείτω πρότερον ἐπὶ τὸν τὸ χρυσίον εἰληφότα, καὶ

τὸ ψάντισμα πεϊξαντα.

IN EPISTOLAM XI.

NOSTRA legatio] *Rectè sentiunt qui hîc legandum censent*, nostra allegatio: *quamquam est in veteribus libris*, legatio. *paullo post* offirmatior *emendaui, pro* affirmatior, *auctoribus Scidis*.

IN EPISTOLAM XII.

TEVCRIS illa] *constat hoc nomine significari C. Antonium collegam Ciceronis in consulatu. sed cur ita dicatur aperuit, quod sciam, adhuc nemo*. C. Antonius, *inquit Iulius Obsequens*, cùm in agro Piceno Catilinam deuicisset, laureatos fasces in prouinciam tulit. ibi à Dardanis oppressus, amisso exercitu, profugit. *Florus epitoma libri* CIII *Liuianæ Historiæ*, C. Antonius Procõsul in Thracia parum prosperè rem gessit. *ad eam cladem, quæ recens tunc erat, respexisse Ciceronem in hoc nomine contumeliosè fingendo facile adducor vt credam: quasi C. Antonio à re male gesta inditum fuerit id cognomen, cõtraria ratione atq; illis, qui à subactis prouinciis, aut deuictis hostibus cognomina reportabant. muliebri verò nomine Teucrin eum appellauit, vt eius ignauiam & fractum ac effœminatum animum perstringeret, qui fœdissima fuga sibi salutem quæsisset. lusit autem in ambiguo Dardanorum nomine. nam Dardani partim vocantur po-*

puli Mœsiæ Macedonibus, vt refert Plinius libro quarto, infestissimi (Macedoniam autem prouinciam pro consule regebat Antonius, cùm a Dardanis eam cladem accepit) partim etiam Troiani, à Dardano eorum rege, iidémque Teucri à Teucro nominantur: quasi verò eadem gens esset Dardanorum Mœsorum, & Dardanorum Troianorum, alterum Troianorum nomen, nempe Teucrorum Dardanis Mœsis attribuit. vnde & ἀντιστρατηγῶς per contumeliam. C. Antonium Teucridem, quasi Dardanidem, vocauit.

ANABOΛAI] *Lego ex veteribus nostris ἀναβολαὶ recto casu; non, vt Victorius edidit, ἀναβολάς. quæ loquitur, quæq; agit C. Antonius de re mea, nihil aliud sunt, inquit, quàm σκήψεις atque ἀναβολαί.*

Sic in scriptis ... codicibus.

CVM pro populo] *In Tornæsiano est*, pro populi, *quasi supplendum sit*, salute: *in aliis*, pro populo, *rectius & vsitatius.*

SEP. Rullæ] *Mihi relligio fuit fidem spernere trium vetustissimorum codicum, in quibus scriptum erat*, Seprullæ: *quam scripturam eo mendosam tantùm existimo, quòd duabus vocibus conflata est importunè in vnam coactis. illud enim*, Sep. *compendij nota est, qua Septima, ni fallor, significatur. quod prænomen fuit mulierum Romanarum ductum ab ordine nascendi, vt, Prima, Secunda, Tertia, Tertulla, Quartilla, Septimilla, & alia eius generis. Rulla verò cognomen fuit plebeiæ Seruiliorum familiæ. quidam hîc legunt* Seruulæ, *suæq; lectionis auctorem laudant cùm ipsum Ciceronem alio loco*

tum Plutarchum. ſed neuter ait Clodium ab ancilla ſeruatum; deprenſum quidem vterque, & poſtea à matronis eiectum, atque ita ſeruatum. verum, vt vt ſit, veri ſimile non eſt tot veterum codicum ſcriptores in ſcribendo ſeruulæ *nomine omnes pariter erraſſe, eiúſque locò* ſeprullæ *ſcripſiſſe.*

IN EPISTOLAM XIII.

PELLECTIONE releuarit] *Planè exaratum erat in Scidis,* pellectione, *vt legendum coniecit Malaſpina.*

LYCVRGEI] *Non à Lycurgo rege Lacedæmoniorum ducto nomine ſe Lycurgeum fuiſſe ſcribit; ſed à Lycurgo oratore Athenienſi, quem ferunt in dicendo valde ſeuerum & acerbum extitiſſe. Dionyſius Halicarnaſſenſis,* ὁ δὲ λυκοῦργος ἐστι διὰ παντὸς αὐξητικὸς, καὶ διηρμένος, καὶ σεμνὸς, καὶ ὅλος κατηγορικὸς. *Inde refert Plutarchus dixiſſe quoſdam Sophiſtas, illum ita aduerſus improbos, & ſceleratos homines ſcripſiſſe, vt non attramento, ſed lethali veneno calamum imbueret.* εἶχε δὲ καὶ τῆς ἄστεος τὴν φυλακὴν, καὶ τῶν κακούργων τὴν σύλληψιν, οὓς ἐξήλασεν ἅπαντας, ὡς καὶ τῶν σοφιστῶν ἐνίους λέγειν λυκοῦργον οὐ μέλανι, ἀλλὰ θανάτῳ χρίοντα τὸν κάλαμον κατὰ τῶν πονηρῶν οὕτω συγγράφειν.

NIHIL ἐν τοῖς] *Turneſianus codex ſic edit hæc verba,* nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς illuſtre, nihil honeſtum, nihil forte, nihil liberum. *ego receptam lectionem, quæ etiam in Decurtato extat, non mutaui.*

IN EPISTOLAM XIIII.

PRODVXIT Pompeium] *Vulgatam lectionem, quæ Scidarum auctoritate confirmatur, retinui, spreta hac scriptura Tornesiani*, producit.

DE ISTIVS rebus] *Scripsimus* istius, *ex Decurtato.* istius *autem* δεικτικῶς *dixit, cùm se ipse demonstraret, vt Pompeius fecerat, cùm de eo loqueretur.*

PROXIME Pompeium] *Scidæ, Tornesianus, & Crusellinus* proximè Pompeium, *vt edidi. Diomedes tamen libro primo ait Ciceronem scripsisse* proximè Pompeio. *vtro modo legas parum refert.*

Η ΚΑΜΠΑΙ] *In codicibus impressis, & nonnullis manuscriptis legitur,* si περίοδοι, si καρποὶ. *sed in Decurtato, Crusellino, & Tornesiano est,* si περίοδοι, ἢ καρποὶ, *&c. Sed quid commune habent* καρποὶ *cum periodis, & enthymematibus? hanc sanè vocem semper habui de mendo suspectam. itaque cùm diu super ea re cogitassem, tandem mihi venit in mentem, Ciceronem scripsisse,* καμπαὶ. *quod vocabulum hîc bellissimè quadrat. est enim* καμπὴ *flexus ille orationis, quo verborum complexio in orbem quendam circumacta, ad clausulam perducitur. Demetrius Phalereus,* αὕτη γὰρ ἡ περίοδος ἐκ τειῶν κώλων οὖσα καμπήν τε τινα καὶ συστροφὴν ἔχει κατὰ τὸ τέλος.

TRIB. tum concessit] *Tres nostri Tornesianus, Huraltinus, & Crusellinus non discrepant ab*

excusis. habent enim, tertium concessit. *Decurtatus retinuit sinceram, nisi fallor, lectionem, nisi quod librarius, qui eum descripsit, vitiosè duas voces in vnam coegit. scripsit enim,* Tritum. *Ego* Tri, *notam esse putaui, qua Tribunus plebis significabatur. idcirco eam seiunxi à particula* tum, *qua importunè ei adhaserat. sanè Tribunus plebis erat Q. Fufius Calenus, Pompeiúmque in concionem produxerat, vt Cicero refert initio huius epistola.*

VIDEO hominem] *Rectè Turnebus ex veteri scriptura emendauit,* video hominem valde petiturire, *vt edendum curaui. video, inquit, Lucceium cupidè velle abs te petere, vt secum in gratiam redeas; non audere tamen, metu repulsa. verùm nauabo operam, vt, posito metu, id abs te petat, & impetret.*

ISTAE res sint] *istas res vocat, res qua istic fiebant, id est, eo loco vbi erat Atticus.*

IN EPISTOLAM XVI.

ΕΣΠΕΤΕ νῦν] *Grammatici vulgò interpretantur* ἕπεσθε *sequimini, id est* [illegible]. *sed ex Liuij Andronici, poëta antiquissimi, verbis, quibus primum Odyssea versum latinè expressit, didici alio significatu veteres id verbum accepisse. nam vt Graci* ἕπω *&* ἕπομαι, ἐννέπω *&* ἐννέπομαι, *sic Latini sequo & sequor, insequo & insequor dicebant; aut, quod perinde est, inseco & insecor. vtebantur enim* τῷ C. *vice* τοῦ Q. *Liuij Andronici verba ex Home-*

ro in Latinum sermonem versa ita refert Gellius libro decimo octauo,

Virum mihi Casmena insece versutum.

scripserat Homerus ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. *Gellius interpretatur, insece, dic, rectè id quidem, sed non satis apertè ad natiuam & genuinam vim eius verbi declarãdam. insequo enim, &* ἐννέπω *notionem hic habent* ἐπαγγελτικὴν*, significántque insequi facio, hoc est, sequentem duco, vt faciunt qui verba praeeunt, quae alij postea sequantur. Ennius apud eundem Gellium,*

Inseque Musa, manu Romanorum induperator
Quod quisq; in bello gessit cum rege Philippo.

Cùm ergo Homerus Musas rogat ἵνα ἔσποιτι*, id est, vt sequant; (nam* ἕσπετε *dictum est pro* ἕπετε*) petit vt sibi praeeant verba, quae ipse postea relaturus sit in suos versus.*

Quicquid sit boni est, a Manutio est

EX Nanneianis] *Crassum designat, qui caluus erat, id est, glabro capite, & caluus etiam, quòd ne pilum quidem haberet ex bonis Nanneiorum, quae valde concupierat. Nannei proscripti fuerant à Sylla, vt refert Q. Cicero in libro de petitione consulatus. eorum bona Crassus appetierat, vt & aliorum multorum, quorum facultates sibi nummo addici curauerat: vnde immensas illas opes, quibus affluebat, congesserat, quemadmodum refert Plutarchus in eius vita. verumtamen ex bonis Nanneianis, vt hinc conijcitur, ne pilum quidem habebat. aut si habuerat, ea vt pilos, qui è capite effluxerant, amiserat. quocirca iocans Cicero in eius*

caluitiem, & illorum bonorum amissionem, eum vocat caluum ex Nanneianis. Vidi qui caluum hic frustratorem interpretarentur, quod caluor sit frustror, auctore Nonnio. sed ea explicatio huic loco conuenire nequit. Fuit etiam Caluus cognomen gentis Liciniæ, cuius erant & Crassi. sed diuersæ fuerunt Crassorum & Caluorum familiæ.

PRAESIDIVM à nobis] *In scidis & Tornæsiano est, vt edidimus,* præsidium à nobis. *non tamen reiicio scripturam receptam,* præsidium vobis.

SED tamen quid hoc?] *Libri formis impressi,* quid huic: *at veteres manuscripti, quibus fidei plus habendum est, quam excusis,* quid hoc? *cum interrogatione. falsum est, inquit, quod mihi probri loco obiicis, ad Baias me fuisse; quo frequentes conuenire solent molliculi & delicatuli homines. sed demus ita esse. quid hoc tandem flagitij est? simile est scilicet, quasi tu dicas me in operto Bonæ Deæ fuisse, vbi tu deprehensus es.*

MARINAS] *Iocus est in voce* Marinas, *quæ partim de salsis aquis maris potest intelligi, partim de Arpinatibus, quæ fuerant C. Marij. Cicero vt mollitiem sibi à Clodio probro datam in eundem retorqueret, arrepta iocandi ex aquis caldis occasione, illi primùm sororis libidinē, tum stuprū quod ille in mari passus fuerat salse obiicit. Narra, inquit, patrono tuo, hoc est, sorori tuæ, quid Arpinati homini sit cum aquis caldis. illa enim tibi scite respōdebit quis sit ea de re sensus Arpinatiū. nā illa Arpinates aquas concupiuit, vt scilicet postquā rem habuisset*

cum homine Arpinati, cuius nuptias petebat, eis aquis, non quidem, vt sunt, frigidis, sed caldis lauaret, quemadmodum solent mulieres libidinosæ. sed Arpinas ille obsequi noluit eius libidini. itaque frustra illa concupiuit aquas Arpinates, illas, inquam, quæ fuerant C. Marij; hoc est, Marinas, quas tu probè nosti. nam illato tibi à Piratis stupro, tu, cùm nō posses aqua dulci lauare, instar prostibuli, marina corpus abluisti. proindè marinas optimè nosse debes. Patronum Clodij vocat eius sororē Clodiam, cuius opera is absolutus fuerat, vt refert Cicero in cœliana. illa porrò concupiuerat aquas Arpinates, quòd hominis Arpinatis, id est Ciceronis, quemadmodum refert Plutarchus, nuptias petiisset, vt scilicet re habita cum Cicerone, eius aqua, hoc est, Arpinati, sed ea calda lauaret; qui mos erat mulierum libidinosarum. Ouidius de amica sua indicare volente illum secum caput limasse, quam tamen non attigerat,

Dedecus hoc sumpta dissimulauit aqua.

Scribit præterea Clodium nosse aquas marinas, quod non modo nosset aquas illas C. Marij à sorore expetitas, sed etiam maris fluenta, quibus aliquando se perfuderat, cùm stuprum passus esset à Piratis, quòd aliis aquis, quibus sese ablueret, tunc careret. inde dicebatur Priapus iter ad fontem monstrare, quod, qui, quæ'ue viros experirentur, lotione opus haberent. Auctor obscœni carminis,

Falce minax, & parte tui maiore Priape,
Ad fontem, quæso, dic mihi qua sit iter.

Vade per has vites, quarum si carpseris vuas,
Quas aliter sumas, hospes, habebis aquas.

XXV. iudices] *Alij libri habent* XX. *nos ex Decurtato edidimus* XXV. *& sanè numerus hic optimè cum eo conuenit, quem antea hac ipsa epistola retulit, cùm eadem de re ageret.*

DOTERIONIS histrionis] *Sriptum erat in Scidis* Deterionis: *vnde conieci legendum* Doterionis, *quod nomen à donis fictum videtur, quasi dicas donatorculum. Eleganter autem hic Doterio, si vim nominis attendas, cum Pisone Consule comparatur, qui domi diuisores habebat.*

BONO auspicio] εἰρωνικῶς. *non enim bonum poterat esse eius auspicium, cuius in corpore, aut etiam nomine vitium esset. innuit autem Clodios siue Claudios à claudis pedibus nomen habuisse, eáque de caussa nescio quid mali ominis extitisse in in eorum nomine. vitabant enim Romani summa relligione inauspicata nomina, &, vt loquitur Horatius, malè nominata verba, id est, ὀνόματα δυσώνυμα. hinc legimus apud Liuium libro* XXVIII. *legionem quandam noluisse sequi Atrium Vmbrum, nominis abominandi ducem, quod in eius nomine significatio esset atrarum vmbrarum. sed potissimùm in re diuina facienda abstinere solebant nominibus & verbis malè nominatis. ideo vetat Cato rusticum, qui Suouitaurilia immolaturus sit, nominare Martem, agnum, & vitulum. Ceterùm ideo claudus homo, id est, Clodius dicitur legem de ambitu, quã ferebat Lurco, promulgasse, quòd eam suaserit.*

FABAM imûm] *Huic loco tenebras offudit vnius litteræ aut importuna repetitio, aut peruersa collocatio. nam in veteribus libris partim legitur* fabam mimum, *partim, vt est in Decurtato,* faba mimum. *in priore lectione redundat M, littera; quæ à principio vocis* mimum, *est abscanda. in altera, retrahenda est eadem littera à capite secundi vocabuli ad finem primi, eique adglutinanda, vt scribatur,* fabam imûm. *sunt enim ἀντίθετα ἀποθέωσις, & imûm faba. nam primo immortalitatem significare voluit, altero mortalitatem, & interitum. Dicebat Curio Ciceronis nomen, ob res ab eo præclarè & fortiter in Consulatu gestas fore immortale; eáque de causa eius Consulatum vocare solebat ἀποθέωσιν. contra verebatur Cicero, ne, si Afranius Consul fieret, prorsus extingueretur sui Consulatus memoria: quod is turpitudine suorum factorum, tanquam tenebris quibusdam densissimis, antecessorum Consulum præclara facinora obscuraturus esse videretur. est ergo imûm faba, imorum, hoc est, inferorum faba. nam fabis veteres parentare mortuis solebant, vt tradunt Festus in voce,* faba, *Ouidius libro secundo Fastorum, & Plinius libro decimo octauo, eique legumini mortuorum animas inesse credebant. Imûm porrò pro imorum gignendi casu dictum est, vt inferûm pro inferorum, oppidûm pro oppidorum, Duumuirûm pro Duumuirorum, & alia huius modi sexcenta. Videtur autem Cicero potiùs imûm quàm infe-*

rorum scripsisse, vt rem, quam vni Attico notam esse volebat, occultiùs tegeret. Itaque cùm αἰνιγματωδῶς hæc scriberet, vsus est vocabulo in ea re minùs trito.

NON FLOCCI ἰαλέον] *Scidarum scriptura proximè ad eam lectionem accedit, quam acutè & ingeniosè excogitauit eruditissimus vir, præceptor quondam meus, Adrianus Turnebus. habet enim optimus ille codex,* non flocci fateon. *quis non videat inscitia, aut certè oscitantia librarij τὸ E, in F, mutatum esse, legendúmque pro* fateon, *ἐαπέον? Consulatus porrò non flocci Cicero hîc vocat Consulatus nulla prorsus æstimatione dignos, qualis futurus erat Consulatus Afranij.*

NE Lucullis] *Lego* Lucullis, *vt est in Decurtato. Archias Mithridaticum bellum in gratiam Lucullorum, & potissimùm L. Luculli scripserat. Cicero autem verebatur ne idem vellet etiam aliquid scribere in laudem Q. Cæcilij Metelli Numidici, & eius filij. nam Archias non modò fuerat familiaris Lucullis, sed etiam Metellis. idem Cicero in oratione quam habuit pro ipso Archia,* statim, *inquit,* Luculli, cum prætextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt. sed enim hoc non solùm ingenij ac litterarum, verumetiam naturæ atque virtutis fuit, vt domus, quæ eius adolescentiæ prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti. erat

temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico, & eius Pio filio. *De poemate autem illo, quod scripserat in laudem Lucullorum in eadem oratione sic idem Cicero scribit:* Mithridaticum bellum magnum atque difficile, & in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est. qui libri non modò L. Lucullum fortissimum & clarissimum virum, verumetiam populi Romani nomen illustrant.

FABVLAM Cæcilianam] *Ad poëma scribendum in honorem Q. Cæcilij Metelli Numidici & Pij eius filij, quorum Archias fuerat perquamfamiliaris. Lepidè autem vocat* fabulam Cæcilianam, *poëma quod Archias conditurus erat de Cæciliis, quia vt plurimum fabulas tractant poëtæ. interim alludit ad fabulas, quas Cæcilius comicus poëta scripserat.*

VILE te venditari] *Hæc verba in omnibus libris nostris deprauatè legebantur: in aliis quidem magis, in aliis minùs. Tornæsianus, & Huraltinus habebant,* vale te venditaui: *Decurtatus,* vile te venditaui: *Crusellinus,* vale te venditari. *scripsimus,* vile te venditari. *ait enim Cicero idcircò se rarius scribere, quòd nihil habeat quod scribat, & vile existimet laudationem pro epistola mittere. nam cùm frequentissimè suo tempore litterarum argumenta sumi videret à laudibus eorum, ad quos scribebantur, & eius generis multa ab aliis ad Atticum mitterentur, genus id scribendi pro vili habebat. quæ enim vulgaria, ea vilia. proinde ait se*

nolle Atticum venditare, quòd id vile existimet.

IN EPISTOLAM XVII.

IN publicáne re] *leue est quod dicam. quia tamen nihil prætermittendum duxi, in quo discrepantes viderim veteres libros à vulgatis, hoc ipsum, qualecumque est, non reticebo. Decurtatus, & Tornæsianus habent* in publicáne re, *quam lectionem sequutus sum.*

QVIN erat dicturus] *Castigaui* quin, *pro,* qui, *auctore Decurtato, & Crusellino. nemini ignotum puto,* quin, *significare quinetiam.*

IN EPISTOLAM XVIII.

METELLVS non homo] *Metellus, inquit, licet adsit, ab omni tamen humanitatis consortio refugere videtur. neque enim magis se in hominum familiaritatem applicat, quàm aut littus, aut aër, aut solitudo mera: quæ loca hominum cœtu frequentari non solent. itaque illo familiariter non vtor. littorum solitudinem indicant epitheta, quæ eis à poëtis tribuuntur. nam à Virgilio deserta dicuntur, & ab Ouidio inhospita. aëris autem, Pindaricum illud ex Olympiis,* μηκέθ' ἁλίου σκόπει ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἁμέρᾳ φαεννὸν ἄστρον ἐρήμας δι' αἰθέρος. *ibi enim interpres* αἰθέρα *explicat* ἀέρα, ὅς, *inquit,* εἰ καὶ πέτονται ἐν αὐτῷ ζῷα, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ οἰκεῖν ἐνταῦθα, ἔρημος ἐστι.

IPSA medicinam] *Veterum librorum lectio diuersa est à recepta. sic enim habent Tornæsianus, Crusellinus, & Decurtatus,* ipsa medicinam efficit: *vnde conieci scribendum,* ipsa medicinam effugit. *tralatio est ducta ab ægrotantibus, qui quamuis bono & forti sint animo ad vim morbi subigendam, tamen nolunt adhibere medicinam, quod obducere pharmaca nequeant.*

SED spe Reip.] *Decurtatus,* spe recorrigendæ: *vulgati,* animo corrigendæ: *quam scripturam in nullo meorum reperi. Itaque suspicatus sum illud* recorrigendę *compendiosè scriptum fuisse pro* Reipub. corrigendæ. *sed & in Tornæsiano exaratum erat* spere corrigendæ, *non, vt falsò tradit Lambinus,* spero corrigendæ.

Lambini mendacium.

SINE supiratu] *Planè,* suspiratu, *legitur in Decurtato: in Tornæsiano,* suspiritu. *rectum est,* suspiratu: *qua voce vtitur Ouidius libro* XIIII. *Metamorphoseωn,*

in meo, suspirio.

Respicit hunc vates, & suspiratibus altis
Nec dea sum dixit.

VT vniuersus populus] *Hinc patet Herennium tentasse Clodium ad plebem traducere, non recepto more, comitiis scilicet Curiatis, quibus adoptiones fiebant in alienam familiam, sed Tributis, quæ ipse vocare posset. nam ad comitia Curiata non vniuersus populus conueniebat, vt ad Centuriata & Tributa, sed vrbanus duntaxat. Centuriata autem habere Tribuni non poterant. inde fiebat vt Herennius Tribunus plebis non aliis quàm Tribu-*

tis de Clodio referre cogitaret. ea autem sæpenumero in campo Martio habebantur, cùm intra pomœrium Curiata fierent.

IMMINVIT auctoritatem] *Quia cùm Metellus patricium magistratum gereret, hoc est, Consul esset, plebeium magistratum pati non debebat id sibi iuris arrogare, vt de adoptione Tributis comitiis ferre auderet, quod erat patriciorum duntaxat magistratuum, comitiisq́; Curiatis, vt diximus, tantũmodo fiebat, quæ à Tribunis plebis cogi nõ poterãt.*

QVOD habet dicis caussa] *Ex codice Tornæsiano iamdudum viri docti sic hunc locũ restituerunt,* quod habet dicis caussa promulgatum illud idem de Clodio: *quo modo etiam in Scidis exaratum est. Cùm autem de arrogando quopiam agebatur, rogationẽ ferri oportebat comitiis Curiatis, vt scisceret populus in curias tributus iúsne esset ei, qui se arrogandum dabat, in alterius ius & sacra transire. nam in huiusmodi adoptionibus potissimum sacrorum ratio habebatur. idcirco comitiorum Curiatorum arbitri erant Pontifices, vt refert Gellius; quem miror de sacris hereditariis nullum verbũ fecisse, cùm de arrogationibus ageret, quæ comitiis Curiatis fiebant. intererat vero cuiusque curiæ, ne sua sacra interirent, néue quis veteribus sacris solueretur. verumtamen, quia, quod ab vniuerso populo Romano iubebatur, id non minoris erat auctoritatis, immo etiam maioris, quàm quod ab vrbano tantum, in Curias tributo; ideo scitum illud de arrogando Clodio Metellus dicis caussa promulgatum habebat,*

cùm nihil referre putaret Tributis comitiis an Curiatis, ea arrogatio fieret; modò dici posset populum ad legem de adoptione ferendam conuenisse : nam dicis caussa tantùm, & ad vsurpationem antiquitatis comitia Curiata habebantur, cùm necesse non videretur vt de arrogatione populus sententiam ferret, nisi quatenus id fuerat à veteribus vsurpatum. quapropter Metellus comitiis Tributis populum dicis caussa rectè rogari posse existimabat. non diu tamen in ea sententia permansit. nam simulac postea intellexit Clodium Tribunatum plebis petere, ei acerrimè restitit: atque vt eum ab ea petitione submoueret, palam dicebat, eum more maiorum comitiis Curiatis arrogatum non fuisse, vt refert Dio.

PERFRVI velis] *scripsimus,* perfrui velis, *auctoribus libris antiquis.*

IN EPISTOLAM XIX.

PERMALE pugnarunt] *Liber Tornæsianus* puermale: *Scidæ* permale, *rectè.*

τὸ ὄζει τῇ φακῇ] *Græco prouerbio alludit ad cognomen Lentulorum, quos à lentibus constat appellatos fuisse. acriter autem hunc Lentulum, vt ineptum, notat.*

CLODIANI filius] *Perspicuè scriptum erat in Scidis,* Clodiani filius, *nisi quod* filius *hac nota F, exaratum erat. ita verò legendum esse alij ante nos docuerunt.*

ATQVE

ATQVE ita amem] *Codex Tornæsianus, & Crusellinus*, atque ita tamen: *Decurtatus*, atque ita amem, *planè rectè. si forte, inquit, accidat vt implicatus sim iis nouis amicitiis libidinosæ & delicatæ iuuentutis, & necesse habeam aliquos eo de grege amore complecti, ita amem, vt diligenter animo excubem, prouideámque quid futurum sit, neque temere cuiquam credam, quemadmodum iubet Epicharmus.*

νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν] *Ad hunc versum respexit* Cicero *epistola* XX. *libri proximè sequentis, vbi ita scribit*, sed quia, vt video, pragmatici homines omnibus historicis præceptis, versibus denique cauere iubent, & vetant credere. *quo loco aduertendum est νήφειν verti*, cauere: *cui interpretationi conuenit illa Suidæ hunc versum explicantis*, νᾶφε, γρηγόρει: *id est, vigila & attende.*

ISSE ad scribendum] *Lego*, isse, *non*, esse. *nam iuerat quidem* Cicero *ad Senatusconsultum illud scribendum: verùm sententiam non dixerat ea de re, qua Atticus iniuriam sibi factum querebatur: puta, quòd aliquot populi, in iisque Sicyonij, iussi essent liberi esse, qui antea tributum, aut vectigal populo Romano penderent: sed ea tantum de re, quæ primùm relata fuerat. illa autem diuersa erat ab illo capite de populis liberis, quod propositum fuerat à P. Seruilio, & postea comprobatum summa pedariorum voluntate.*

A SICYONIIS] *Numquam quidem Atticus aut manceps, aut præs fuit, vt refert Cornelius*

Nepos in eius vita. vectigal tamen exercebat, coita, vt opinor, societate cum Publicanis. idcirco Cicero *Publicanum eum vocat epistola* XV. *libri sequentis:* sed tamen, *inquit*, tu aliquid publicanus pendis. *in ea ergo societate illi obtigerant ea vectigalia, quæ Sicyonij pendere solebant. ea autem exigere non poterat, quia illi Senatusconsulto facti fuerant liberi. nam populi liberi immunes erant à tributorum & vectigalium pensitatione. qua de caussa eos Græci ἀτελεῖς appellant.*

IN EPISTOLAM XIX.

PRAESIDIA] *Tornæsianus*, Præsidium: *ceteri omnes*, præsidia, *vt edidi. Paullo post iisdem libris auctoribus scripsi*, meos bonos illos viros. *cùm ait*, meos, *significat homines sui amantissimos, suique ordinis.*

IN LIBRVM II.

IN EPISTOLAM I.

INVOLGARVNT] *Vulgati libri*, inuocarunt, *mendosè: Decurtatus*, inuolgarunt; *rectè. notum est Allobroges coniurationem Catilinæ detexisse. est ergo inuolgarunt, in vulgus ediderunt.*

QVOD TE arcessam] *Scida, & Crusellinus, vt codices Malæspinæ*, quod, *non, vt est in vulgatis*, quo.

HERAE Aedilitatem] *Dulcidè est in Decurtato,* Heræ Aedilitatem se petere dictitasset: *à qua lectione non valde discrepat deprauata hæc Tornæsiani,* heredilitatem sæpe hereditasset. *Hera vrbs est Siciliæ, quæ alio nomine Hybla dicebatur. Stephanus,* ὕβλαι, τρεῖς πόλεις σικελίας: ἡ μείζων, ἧς οἱ πολῖται ὑβλαῖοι: ἡ μικρὰ, ἧς οἱ πολῖται ὑβλαῖοι γαλεῶται, μεγαρεῖς: ἡ δὲ ἐλάσσων ἥρα καλεῖται.

DEDVCEREMVS] *Manifestè legitur in Crusellino* DEDVCEREMVS, *vt in quibusdam Malaspinæ; quod nos sequuti sumus.*

NOVVS patronus] *Sunt veteres quidam libri, in quibus legas,* nouos patronos, *antiquè pro, nouus patronus: ac fortasse de industria sic scripsit* Cicero, *cùm indicare vellet Clodium etiam in Latino sermone pronunciando sicilissitasse: Siculi enim, qui Doricè loquebantur, ore diducto litteram* o *proferebant. qua de caussa eos Theocritus scribit* πλατειάσδειν.

QVOD eos in hoc esse] *Quod eos in me esse, & mecum sentire molestè fert.* hoc, *enim* δεικτικῶς *dixit, cùm se ipse demonstraret.*

NVM tantum] *Quasi floccum ostenderet,* δεικτικῶς, tantum, *scripsit.*

ALIA autem negligant] *Optimus coniector hîc fuit Malaspina, vt ex Scidis perspexi: in quibus manifestò scriptum est,* alia; *non,* alij. Ita iam ex Lambinus.

EQVITES Curiæ] *Victorius legit,* Equiti Curiæ, *an ex veteribus libris, nescio. in Decurtato exaratum est compendio,* Equit, *quod vt,* Equites, ita meus.

potiùs explicem, quàm, Equiti *, adducor non modò ipſa auctoris ſententia, quæ , vt ita legatur, poſtulat , ſed etiam quia vix* Equitem ἑνικῶς *apud Ciceronem reperias pro Equeſtri ordine.*

MODESTE tamen dicit] *Hæc verba,* modeſtè tamen dicit, *includi debent* παρενθέσει *: &,* dicit, *vt eſt in veteribus , non,* dixit, *legendum . quamuis inquit , inhoneſta ac indecora videretur illa Fauonij accuſatio , ipſe tamen Fauonius aiebat ſe modeſtè accuſaſſe Naſicam.*

CATONI] *Qui valde infenſus erat Publicanis : epiſtola* XVII. *libri ſuperioris ,* vnus eſt, *inquit ,* qui curet conſtantia magis & integritate, quàm, vt mihi videtur, conſilio, aut ingenio Cato; qui miſeros Publicanos, quos habuit amantiſſimos ſui, tertium iam menſem vexat.

AD multos bonos viros] *Qui vectigalia conduxerunt. Publicanos intelligit, de quibus ferè ſemper honorificè loquitur , quia erant ſui ordinis , id eſt, Equeſtris.*

DEINDE in diſceſſionibus] *Lego cum Manutio,* in diſceſſionibus , *ſed in voce ,* deinde , *nihil muto . ſtomachosè enim hæc ſcripſit , cùm ſignificaret parendum eſſe Senatuſconſulto iam perſcripto, in quo ipſe quidem aliorum ſententiam ſequutus fuerat, ſed imprudens . itaque falsò ſibi ait obiici ſolere, ſe in diſceſſionibus ſolum relinqui . nam in eo Senatuſconſulto non ſolus remanſerat , quaſi alia omnia ſentiret, ſed diſceſſerat in aliorum ſentẽtiam, cùm non animaduerteret ad quos ea res , quæ tunc*

agebatur, pertineret.

QVAS ad me de cessu tuo] *Edidi scripturam Decurtati*, de cessu tuo; *ad quam proximè accedit illa Tornæsiani*, de censu tuo. *cessus ergo hîc est discessus, vt cedere Italia est discedere ex Italia. Sed, vt verum fatear, Ciceronem scripsisse puto*, de decessu tuo. *nam librarij facilè alterum*, de, *omiserunt.*

PROVINCIALIA] *Non putabam cum prouincialibus tibi rei quicquam esse, cuius cognitio ad prouinciales magistratus pertineret. cum liberis solum popülis, puta, cum Sicyoniis tibi negotium esse credebam; quibus ius non dicebant prouinciales magistratus, vt apparet ex oratione in Pisonem.*

TOCVLLIONIBVS] *Edi iussimus*, tocullionibus, *per duplex L, quo nomine iamdudum Turnebus docuit significari fœneratores, quasi dicas fœneratorculos: cuiusmodi erant negociatores, & argentarij, qui fœnus in prouinciis exercebant.*

IN EPISTOLAM II.

MIHI credes, leges] *Didici ex Decurtato legendum esse, vt edidi*, mihi credes, leges: *quo modo absque particula*, si, *veteres loquebantur. Vetus auctor apud hunc nostrum libro secundo de Oratore*; est focus, est familia; sapies, si algebis, friges. *Horatius*, sapias, vina liques. *Iam illud*, hæc doceo, *ea forma dictum est, qua alterum hoc pene simile, frequens in his epistolis*, narro tibi.

EPISTOLA petiuit] *Herodes missa ad me epistola, tanquam telo eminus iacto, me lacessiuit, & prouocauit ad certamen. ait enim se velle sua scripta de meo Consulatu cum meis committere: quasi parum eleganter, aut etiam diligenter ipse scripserim, necesséque fuerit id argumentum ab illo tractari.*

COMMINVS accessit] *Eadem tralatione dictum est, qua superiora. qui enim Ciceronem eminus petierat, comminus Atticum aggressus est. nam & Atticus commentarium scripserat* Ciceronis *Consulatus, quo cũ Herodes sua scripta eadem de re componere studebat. Atticum antẽ Herodes conuenerat aut Athenis, aut alio quodam loco in Græcia, cum eóque egerat de suo libro. ea de caussa scribit* Cicero *illum comminus ad Atticum accessisse.*

CONIVRASSE mallem] *Tam malus scriptor est Herodes, vt præclarum illud meum factum potiùs conspurcet & collutulet suis scriptis, quàm illustret. itaque si illum mihi audiendum putassem recitantem quæ de rebus à me Consule gestis scripsisset, mallem fuisse de numero coniuratorum, & eo nomine pœnas dedisse, quàm ea scripta legere, aut audire, quæ me enecarent.*

IN EPISTOLAM III.

K. Atilio] *Sinceram lectionem retinuerunt Decurtatus, & Tornæsianus: in quorum vtroque exaratum est* K. Atilio:*id est, Cæsoni Atilio. fuit enim*

Cæso prænomen Atiliorum, quod hac nota K. scribi solebat. In fastis Capitolinis L. Atilius Tribunus militum filius dicitur K. Atilij.

VIRIDARIORVM] Scripsi, viridariorum, fidem sequutus eorum omnium, quos habui.

ΥΠΟΣΤΑΣΙΣ] Nemo, opinor, inficias eat hoc nomen à verbo ὑφιστάναι deduci, cuius cum varij sint significatus, videndum est ad quem eorum ὑπόστασις hîc referri debeat. ac, vt alios omittam qui fusè à Budæo explicantur, quandoque ὑφιστάναι valet fulmenta subiicere ad rem aliquam sustinendam: qua notione Pindarus scripsit in Olympiis χρυσέας ὑποστάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου κίονας: inde quia fundamentum est operis inchoatio, ὑφίστασθαι significat aliquid agendum suscipere, & aggredi, vt pluribus exemplis docet Budæus. itaque videtur Cicero ὑπόστασιν posuisse pro inceptione administrationis Reipublicæ. nam mense Ianuario ineuntes Consules fundamēta iaciebant suæ administrationis, qualesque erant orsus, tales ferè erant euentus ceterarum rerum, quas toto suo anno gerebant. Hanc huius vocabuli notionem cùm non animaduerterent eruditi quidam viri κατάστασιν hîc legendum putarunt, repugnantibus omnibus libris antiquis.

SED me κατάπαυσις] Legebatur in omnibus nostris κατάπαυσις deminutè. nam geminari oportuit mediam syllabā, & scribi καταπέπαυσις, vt ipsa huius loci sententia manifestissimè declarat. hortatur enim Calliope Ciceronē iis versibus qui proximi sequūtur ad

eum cursum studij Reipublicæ tenendum, quem primùm ingressus erat. ideo κατάτασιν Cicero *vocat contentionem, & incitationem eius cursus. nam* κατατείνειν δρόμον *est, vt norunt mediocriter docti, cursum contendere, & in incepto cursu gnauiter perseuerare. quod idem quandoque Græci significant solo verbo* κατατείνειν, *nõ addita voce,* δρόμον. *vnde Aristoteles libro nono* ζώων ἱστορίας *agens de leonum venatione* τρέχειν κατατείναντα *dixit, pro, acerrimo & incitatissimo cursu ferri. Aristotelis verba sunt,* ἐν δὲ τοῖς φύλλοις ἐάν ποτ' ἀναγκασθῇ εἰς φανερὸν διὰ τὸ πλῆθος φεύγειν, τρέχει κατατείνας. *ea Plinius ita vertit,* idem vbi virgulta syluásque penetrauit, acerrimo cursu fertur.

IN EPISTOLAM IIII.

NVMMI potius reddantur] *Hunc locum rectè mihi explicasse videtur Goueanus sine vlla scripturæ mutatione. nam reddi alicui dicuntur nummi, cùm ei pretium renumeratur, quo ille rem emerat. itaque* reddantur numi *hîc significat tantum ei pecuniæ reddatur, quantùm is impenderat in emenda re.*

SYSPIRAE conditione] *Mirum est quàm valde hoc loco varient exemplaria. alia enim habent,* Syrpæ, *alia,* Syrpiæ, *quædam,* Syspriæ, *nonnulla nescio quid peius. denique in nullo veram & germanam lectionem reperias, quam puto fuisse huiusmodi,* Syspiræ, *est enim Sysspira locus, aut po-*

tius tractus Armeniæ celebris aurifodinis. Strabo ὑσπιρατίδα *vocat, suppressa voce,* χώραν, *quæ ex vulgato vsu loquendi facilè intelligi poterat. sic Græci* φθιώτιδα, *&* τραχωνίτιδα, *& alia huius generis dicebant. obseruandum autem Ciceronem aspirationem in sibilum mutasse: qua in re eum sequutus est vetus Strabonis interpres, qui* ὑσπιρατίδα *Syspiratidem vertit. sic* ὗς *sus,* ὑπὲρ *super, & alia sexcenta. Strabonis verba sunt,* μέταλλα δ' ἐν τῇ ὑσπιράτιδι ἐστὶ χρυσοῦ κατὰ τὰ κάμβαλα, ἐφ' ἃ μένωνα ἔπεμψεν ἀλέξανδρος μετὰ στρατιωτῶν. ἀνήχθη δὲ ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. *Cùm ergo Cicero intellexisset Clodium ad Tigranem Armeniæ regem mitti, optabat eam sibi legationem mandari, ea conditione, vt vnà sibi daretur curatio effodiendi auri è Syspira, & Romam aduehendi: qua re sperabat se maximam gratiam initurum à populo Romano.*

FVTVRVS eius sit] *Codex Tornæsianus,* scius sit; *frustrà repetita S littera ex præcedenti voce, & E, in C, mutato, inscitia, aut negligentia librarij. est enim legendum, vt habent Scidæ,* eius sit, *hoc sensu; cùm iste sacerdos Bonæ Deæ eiusmodi sit, cuiusmodi futurus est.*

IN EPISTOLAM V.

VIDE securitatem] *In libris publicis est,* vide te ciuitatem meam: *quam lectionem, vt mendosam, plerique non immeritò reiiciunt, & eius loco aliam ex coniectura substituunt huiusmodi,* vide leuita-

tem meam: *quæ & ipsa à plurimis improbatur. sed omnẽ ea de re cõcertationem tollit liber Decurtatus, in quo perspicuè scriptũ est*, vide securitatẽ meam. *quæ scriptura hic mirifice quadrat. quia enim Cicero scripserat se Auguratu tantùm capi posse, idcirco considerandum Attico relinquit, quanta sit sui animi securitas, qui alia omnia, quibus homines capi queunt, præter Auguratum, negligat.*

DE CVRTIO] *Codex Tornæsianus, & Crusellinus*, de Tutio. *sed vulgatam Decurtatus retinet.*

IN EPISTOLAM VI.

AN HIC an Antij] *Ex duabus syllabis iisdem litteris conflatis, seséque inuicem attingentibus alteram plerumque librarij omittebant: vt hoc loco, ante vocẽ*, Antij, *eorũ incuria atque imperitia excidit* an *particula dubitandi, quæ tamen extat in Decurtato, & quibusdam aliis veteribus, vt testatur Malaspina. Cùm autem hæc Cicero scribebat, non erat Antij, sed in prædio quodam Antij finitimo, & agro Antiati attributo, vbi, vt opinor, villam habuit.*

DVVMVIRVM quam Romę] *Totus hic locus ita legitur in Scidis*, vbi quidẽ ego mallẽ Duumuirum quàm Romæ me fuisse: *quam lectionem vulgatæ prætulimus. nec est quod quisquam offendatur hoc loquendi genere*, mallem me fuisse Duumuirum, *pro*, mallem fuisse Duumuir. *non enim insolens fuit veteribus Latinis. Plautus Pœnulo*, bono ingenio me esse ornatam quàm auro multò

mauolo. *Antonius in epistola ad Ciceronem*, nam qui se medium esse vult, in patria manet. *Cum autem Cicero scribit se malle fuisse Duumuirum Antij quàm Romæ, alludit ad numerum Consulum Romanorum, quos festiue Duumuiros, quia bini quotannis creabantur, appellat, à similitudine eorum magistratuum, qui coloniis & municipiis praerãt, & a numero Duumuiri dicebantur. Malebat ergo fuisse Duumuir Antij, quæ colonia erat populi Romani, quam Duumuir, id est, Consul Romæ.*

VIVVM est sæclum] *Hunc quoque locum restitui ex Decurtato, hoc modo*, qui quemquam ex XX. viris viuum, est sæclum, velit. *in Tornæsiano pro*, sæclum, *mendosè scriptum erat* sægium. *dictum est κατὰ συγκοπὴν*, sæclum, *vt libro octauo harum epistolarum*, vinclum adiungendorum Consulum, *pro*, vinclum, *& libro* XV. piaclum, *pro*, piaculum. *Porro* est sæclum *significat multi sunt anni.* IN EPISTOLA VII.

PISAVRENSI, an epuloni] *Edidimus scripturam Decurtati, Tornæsiani, & Crusellini*; Druso, vt opinor, Pisaurensi, an epuloni Vatinio.

QVOAD pot'est] *Tornæsianus & Crusellinus*, quoad potest: *Scida*, quoad pot'est, *elisa vltima littera vocis*, pote, *& apposita apostropho: atque ita excudendum curaui.*

NVNC ad sororem tuam] *Coniecturam Malæspinæ confirmat lectio Decurtati*, nunc ad sororem tuam. *Sic epistola decimanona huius libri vitiosè vulgò scriptum est*, hoc non repudio, *pro*, hoc nunc repudio.

IN EPISTOLAM VIII.

ALIVD agamus] *Si nostram spem collocamus in iuuentute, non est vt simus ampliùs ea de re solliciti, cùm ea prorsus desperata sit. quare aliud agendum, & animus ab ea auferendus. Aliud agere, est animum in ea re non occupare, quam tractandam quis suscepit, sed alio cogitationem intendere.*

CRATERA illum delicatum] *Indicat se in Pompeianum, vt decreuerat, non excursurum; sed de Formiano Antium reuersurum. itaque se obsequuturum Attici consilio suadentis ne eo tempore se mari committeret. Pompeianum villa erat Ciceronis propè vrbem Pompeios, quo cùm Cicero proficiscebatur mari plerumque iter faciebat, sinúmque illum interfusum Miseno, & Mineruæ promuntorio, vulgo* κρατῆρα *nominatum, enauigabat. enim Craterem ait nunc sibi esse prætermittendum, & Antium redeundum. Delicatum autem vocat alludens ad* κρατῆρας, *id est, pateras, quibus Diis libabatur: quæ dicebantur delicatæ, quod essent dedicatæ Diis. ita enim delicatum interpretatur Festus. idem Cicero paradoxo primo*, minúsne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles hirnulas fuisse, quàm delicatas aliorum pateras arbitramur? *De hoc Cratere sic Strabo libro* V. ἔστι δὲ ἀπὸ τῆς σινοέσσης ἐπὶ μὲν τὴν ἑξῆς παραλίαν κόλπος εὐμεγέθης μέχρι μισηνοῦ: κἀκεῖθεν ἄλλος κόλπος πολὺ μείζων τοῦ προτέρου: καλοῦσι δ' αὐτὸν κρατῆρα, ἀπὸ τοῦ μισηνοῦ μέχρι τοῦ

ἀθλυάιν δυοῖν ακρωτηείων κολπύμενον.

A IIII ad pridie] *Editiones habent*, à IIII. Kalend. ad pridie, *vitiosè. nam vox*, Kalendas, *inuito Cicerone huc irrepsit: vt alij, antę nos, docuerunt. sed nec in Scidis legitur. itaque, cùm auctorem habuerim veterem optimæ notæ librum, iure mihi videor illam expunxisse.*

IN EPISTOLAM IX,

S. V. B. E.] *pro*, ſubito, *qua voce in libris excuſis inchoatur hæc epiſtola, in noſtris veteribus partim exaratum eſt*, ſub, *partim*, ſube. *ſcripſi ſeparatim*, S. V. B. E. *nam quatuor hæ notæ malè in vnum vocabulum coierant. ſignificant autem*, ſi vales, bene eſt. *Sic alio loco in his epiſtolis pro*, ſubpoſteaquã, *emẽdauimus*, S. V. B. E. poſteaquã, &c.

Haec et a me et ab alijs ita emendata erant totos viginti annos antequam hic ex[illegible]veretur.

IN inuidia] *Aberat à vulgatis præpoſitio*, in, *quam ex Scidis reſtitui.*

ORBIS hic in Rep.] *Eadem loquutione vtitur epiſtola* XXI. *huius libri*: equidem ſperabam, vt ſæpe etiam loqui tecum ſolebam, ſic orbem Reip. eſſe conuerſum, vt vix ſonitum audire, vix impreſſam orbitam videre poſſemus. *orbis hîc circulum ſignificat; & eſt tranſlatio ducta ab eo genere ludi, quem Græci vocant* κρικηλασίαν, *quo circus ſiue orbis quidam, cuius diametros ſit à mammis ad pedes eius qui eum adigit, ita impellitur, vt annuli ei circumpoſiti ſuauem quendam ſonum edant. Oribaſius libro* VI. *Collectaneorum ad Iulia-*

num imperatorem ἐλάσσονα δὲ ἐχέτω ὁ κρῖκος τὸν διάμετρον τοῦ μήκους τοῦ ἀνθρώπου, ὥστε τὸ ὕψος αὐτοῦ μέχρι τῶν μαστῶν ἐξικνεῖσθαι, ἐλαύνεσθαι δὲ μὴ κατὰ μῆκος, ἀλλὰ κατὰ πεπλανημένον. ἔστω δέ ὁ ἐλάτηρ σιδηροῦς ξύλινον ἔχων τὴν λαβήν. τοὺς μέντοι λεπτοὺς κρίκους τοὺς περικειμένους τῷ τροχῷ αἰθησάν τινες εἶναι περιττούς. τοδὲ οὐχ' οὕτως ἔχει. ἀλλ' ὁ ψόφος ὁ γινόμενος ἐξ αὐτῶν διάχυσιν ἐργάζεται, καὶ ἡδονὴν τῇ ψυχῇ.

ὠνήθησαν

NEQVE à Theophrasto] *Hæc verba*, neque à Theophrasto, *ad* βίον θεωρητικὸν *retulit, vt illa*, neque vsu, *ad* πρακτικόν. *nam Theophrastus vitam, quæ in perscrutandis & perspiciendis rerum causis versatur, longè illi anteponebat, quæ rerum vsum, tanquam finem, sibi propositum habet. idem hic auctor epistola* XVI. *huius libri*, nunc prorsus hoc statui, vt quoniam tanta controuersia est Dicæarcho, familiari tuo, cùm Theophrasto amico meo, vt ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longè omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικόν, vtrique à me mos gestus esse videatur.

COGIT ἄντα] *Latebat hîc vocula Græca, cuius ignoratione valde perturbatus erat hic locus. eam nos in lucem protulimus beneficio Decurtati, in quo pro,* cogitat tantum, *quæ scriptura est receptarum editionū, legimus,* cogit tāta tum: *vt si ex vocabulo* tāta *primam litteram demas vitiosè repetitam ex antecedēti, & Græcè* ἄντα *scribas, particulámq́,* tum, *cum verbis sequentibus iungas, tum demum iure glorieris te genuinam* Ciceronis *scripturam te-*

nere. nam ἄντα *vox est Homerica, quæ contra, & ex aduerso significat, iungíque solet cum verbo* στῆναι, *aut* ἐλθεῖν. *sed neutrum Cicero expressit, vsus familiari sua, & assueta reticentia. Homerus libro* XVI. *Iliadis.*

ὅς κέ σευ ἄντα ἔλθῃ ἀμυνόμενος

& libro XX.

ἤτοι μὲν γὰρ ἔναντα ποσειδάωνος ἄνακτος
ἵστατ' ἀπόλλων φοῖβος ἔχων ἰὰ πτερόεντα,
ἄντα δ' ἐνυαλίοιο θεὰ γλαυκῶπις ἀθήνη.

&

ἄντα δ' ἄρ ἡφαίστοιο μέγας ποταμὸς βαθυδίνης

&

ὡς οἱ μὲν θεοὶ ἄντα θεῶν ἴσαν.

Horum igitur verborum sensus est, si Clodius me cogit ἄντα στῆναι, *aut* ἄντα ἐλθεῖν, *hoc est, contra se stare, aut progredi, quòd me lacessat, tum cogitamus dumtaxat nos defendere.*

IN EPISTOLAM XII.

PVBLIVM plebeium] *Mutilæ hîc erãt Scidæ. sed codices Tornæsianus, & Crusellinus apertè scriptum habebant,* plebeium, *non, vt vulgati,* Tribunum pleb. *atque ita prorsus legendum. mox ex fide eorumdem librorum scripsi,* hoc verò regnum est, & ferri nullo modo potest.

EX Antiati] *Victoriana editio,* ex Antio: *accõmodatius nostri ad normã Latinè loquendi,* ex Antiati.

NVNC fluctuat] *perturbata est, neque dum*

sedata & composita: ideo mox subiicit καθ' ὀπώρην τρύξ.

Κατ' ὀπώρην τρύξ] *Vulgata lectio* κατ' ὀπώρην τεχνῆς *mihi semper suspecta fuit. suspicionem auxit scriptura hæc Crusellini*, καθ' ὀπώρην τρὺχ. *itaque re diligenter expensa tandem conieci legendum*, κατ' ὀπώρην τρύξ: *atque ea, ni fallor, vera & germana est* Ciceronis *scriptura, vt sensus ipse declarat. nam fluctuare dicuntur quæ nondum conquieuerunt, sed adhuc agitantur; cuiusmodi est fex vini* καθ' ὀπώρην, *id est, per autumnum, & tempore vindemiarum. nondum enim desedit, sed adhuc in vino fluctuat. Porrò* Cicero *hæc verba ex auctore quodam, qui Ionicè scripsit, decerpsisse videtur, vt qui* ὀπώρην, *non* ὀπώραν *dixerit.*

DECESSERIT] *Monet Sebastianus Corradus in quibusdam libris legi*, desederit: *quod verbum aptissimè dicitur de fæce in imo subsidente. quia tamen vulgatam lectionem*, decesserit, *in omnibus meis reperi, nolui eam mutare. & tum fax è vino decessit, cùm desedit.*

IN EPISTOLAM XIIII.

AC ad sitientes aures] *Reduxi in pristinam sedem particulam*, ac, *quæ diu hinc exularat.*

AT quam parem] *Scripsimus ex veteribus libris*, at quam parem, *quasi dicat, valde parem. nam vt basilicæ ampla quædam & spaciosa erant ædificia, quibus ingens hominum cœtus capi pote-*

rat:

rat: qua de causa in iis plerumque magistratus ius dicebant, & mercatores negociabantur: ita Tribus Aemilia hominum frequentia ceteras Tribus superare videbatur. itaque ἀναλόγως habebant Aemilia Tribus, & basilica.

OMITTO vulgus] *κατὰ παρένθεσιν dictum est.* omitto vulgus. *innuit enim qualibet hora diei molestissimum esse vulgus Formianorum, nedum post quartam solum.*

MOLESTI ceteri] *Ceteri qui sunt Formiis mihi molesti non sunt post horam quartam. nam ante eam horam me valde salutationibus interpellant. reliquum tempus diei C. Arrius, & Sebosus me non sinunt tranquillè & quietè ducere, ita odiosè importuni sunt.*

VIDE enim] *Ratio est cur dicat se expectaturum Atticum usque ad pridie dumtaxat Nonas May. malè igitur in Crusellino, & Tornæsiano, pro,* vide, *legitur,* vidi.

ILLVD probem?] *Legendum cum interrogatione; quasi dicat, fieri non potest, cùm singulis horis interpeller, vt id, quod suades, probem, & magnum aliquid aggrediar, & multæ cogitationis. nam hæc verba,* magnum aliquid aggrediamur, & multæ cogitationis, atque ocij, *descripsit ex epistola Attici.*

IN EPISTOLAM XV.

SEV ruet, seu eriget] *Mendosè locus hic legitur*

in omnibus libris, quos vidi, etiam manuſcriptis. Tornæſianus habet, Seruet get Rempublicam: *Cruſellinus*, ſeruet ſerget Remp. *Decurtatus*, ſeu ruet ſe vrget Remp. *quas lectiones ex hac deprauatas fuiſſe puto*, ſeu ruet, ſeu eriget Rempub. *ita enim arbitror ſcripſiſſe* Ciceronem*: atque ita fere emendauit Sebaſtianus Corradus.* ruet, *autem videtur opponi verbo,* eriget, *& ſignificare euertet, vt apud Terentium Adelphis*, cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, proſternerem: *& Virgilium libro primo Georgicorum,*

Quid dicam iacto qui ſemine comminus arua
Subſequitur, cumuloſque ruit male pinguis arenæ.

IN controuerſia Muluiana] *Muluius hic publicos agros poſſeſſoribus, qui vectigal non pendebant, adimere conabatur, vt eos in perpetuum, aut ad certum tempus aliis locaret, ea lege, vt tamdiu pro iis vectigal penderent quamdiu eos poſſiderent. ex iis agris Atticus, & Terentia quædam prædia poſſidebant. ideo tam ſuo quàm Terentiæ nomine cauſſam omnium poſſeſſorum Atticus defendebat, negabátque eos agros poſſeſſoribus auferri poſſe, dum ipſi penderent vectigal. quo dicto fatebatur eos agros vectigales eſſe. Attici diligentiam, & aſſiduitatem in retinendis agris Terentia valde probabat, profeſſionem vectigalis pendendi non probabat: quippe quæ nollet eo nomine quicquam pendere. at ille prudenter cogitabat agros vectigales alia ratione retineri non poſſe, niſi ſi vectigal penderetur. hanc Attici exceptionem confirmat Paullus iuriſ-*

consultus libro XXI. *ad edictum* . agri ciuitatium, *inquit*, alij vectigales vocantur, alij non. vectigales vocantur qui in perpetuum locantur, id est, hac lege, vt tamdiu pro his vectigal pendatur, quamdiu neque ipsis qui conduxerint, neque iis qui in eorum locum successerunt auferri eos liceat.

PVBLICANVS pendis] *Exaratum erat in nostris partim*, Publicanos, *partim*, Publicanus. *illam lectionem mendosam, hanc veram puto. Atticus si Publicanus non erat, certè socius erat Publicanorum, vt alio loco docuimus, eodémque iure, & immunitate fruebatur, qua Publicani. attamen agrorum nomine, quos è publico possidebat, non recusabat pendere vectigal. at Terentia, cui nihil commercij erat cum Publicanis, prædium, quòd è publico possidebat, liberum asserebat ab omni vectigali. itaque sibi plus iuris sumebat, quàm ipsi Publicani, penes quos erat vectigalium exactio.*

IN EPISTOLAM XVI.

φυσᾶ γὰρ] *Versus sunt Sophoclis, vt indicat Dionysius Longinus* περὶ ὕψους.

SE leges Cæsaris] *Scripsi vt erat in Scidis, & Decurtato,* se leges Cæsaris probare.

IN EPISTOLAM XVII.

TVRBAT VI] *Veteres libri*, turbatur. *emen-*

daui, turbat vi. *videtur enim Cicero significare Pompeium vi turbas ciere.*

A. D. VI. circiter] *Initio libri primi monui vitiosè quamplurimis in locis harum epistolarum scribi*, A D, *pro*, A. D. *id est, ante diem, quod manifestissimè hinc ostenditur, vbi* τὸ circiter *redundaret, si* A D *præpositio esset.*

CONFEREMVS] *Editiones vulgatæ*, conferamus: *veteres nostri*, conferemus, *rectiùs; vt sit eiusdem modi, & temporis, quo illud superius,* deflebimus.

IAM vacuum est] *Lego*, vacuũ est, *vt est in manuscriptis nostris. referri enim debet ad illud superiùs scriptum*, quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον.

πλῶσις Curiana] *Locus pessimè acceptus. eum nos, vt spero, sanauimus ope Decurtati, in quo ita legebatur*, plocis Curiana. *putauimus enim librabrarium Græcarum litterarum ignarum, vt totum hoc genus plærumque est imperitissimum, pro* πλῶσις, *quo modo Ciceronem scripsisse existimo, deprauatè exarasse*, plocis. *quam scripturam inepti quidam interpolatores cùm mendosam viderent, errorem errore cumulantes ita correxerunt, aut potiùs corruperunt*, Phocis. *vocat Cicero Curianam* πλῶσιν *dedecus & ignominiam flagitiosissimi viri Q. Curij, qui, vt refert Sallustius, ob probra & mala facinora motus fuerat Senatu. Latinè dicas casum, siue prolapsionem, quòd is è summo honore in summum contemptum decidisset. nam* πίπτειν, *siue* ἐκπί-

πίπτειν apud Græcos, & cadere apud Latinos ea dicuntur, quæ, cùm nullius sint existimationis, à quouis exploduntur. Demosthenes pro Ctesiphone, ἐγραμμάτευες, ἐγὼ δ' ἐξεκλησίαζον: ἐτριταγωνίστεις, ἐγὼ δ' ἐθεώρουν: ἐξέπιπτες, ἐγὼ δ' ἐσύριττον. *Horatius de fabulis quæ exsibilantur à populo,*

Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus cadat, an recto stet fabula talo.

Cùm ergo Cicero indicare vellet summum Pompeij contemptum ὑπερβολικῶς *scripsit Curium non æquè despectum iacere atque illum; quinimo Curianam* πτῶσιν *præ Pompeiana stare videri. contraria enim sunt cadere & stare. ac vt cadere dicebantur, quæ in contemptum abibant; sic stare, quæ erant in magna existimatione. ideo stabant fabulæ, quæ læto spectatorum plausu excipiebantur. Terentius Hecyra*, in iis primùm Cæcilij didici nouas, partim sum earum exactus, partim vix steti. *Idem Phormione*, quod si intelligeret, cùm stetit olim noua, actoris opera magis stetisse quàm sua. *De hoc Curio antea scripsimus ad eum locum epistolæ primæ libri primi*, vt mihi videatur non esse ἀδύνατον Curium obducere.

ALABARCHES] *Iamdudum Iacobus Cuiacius, iurisconsultorum nostræ ætatis facilè princeps, legendum esse docuit*, Alabarches, *non, vt erat in vulgatis*, Arabarches, *cùm ita scriptum reperisset in codice Tornæsiano. ita nos etiam exaratum legimus in Decurtato, Crusellino, & Huraltino. hoc*

*autem nomine Cicero Pompeium notat, qui gloria-
batur se mirum in modum auxisse vectigalia populi
Romani. ἄλαβα, inquit Hesychius, μέλαν ᾧ γράφο-
μεν, id est, atramentum quo scribimus; vnde &
pro scriptura ipsa accipitur. hoc porrò vocabulum,*
scriptura, *partim γενικῶς, partim εἰδικῶς intelligi-
tur. γενικῶς* scriptura *est quæuis notarum, littera-
rúmue delineatio. εἰδικῶς est eius vectigalis perscri-
ptio, quod ex pecoris pastione pendebatur. nam cùm
pastores, qui pecudes in saltibus publicis pasce-
bant, numerum capitum sui pecoris apud Publica-
nos profitebantur, eum numerum Publicani in suos
commentarios referebant; à qua scriptione vectigal
huiusmodi pastionis latinè scriptura, & Græce
ἄλαβα ab atramento dicebatur. itaque Alarbar-
ches hîc est veluti magister scripturæ; hoc est, au-
ctor eius vectigalis imponendi, cuius ratio Publi-
canorum scriptura constabat. huiusmodi vectiga-
lium præfecturæ fuerunt apud Alexandrinos, vnde
fortasse hoc nomen translatum est in Latium. Iose-
phus originum Iudaicarum libro decimo octauo
ἔνθα ἀλεξάνδρου δεῖται τοῦ ἀλαβάρχου μυριάδας εἴκοσι
δάνεια αὐτῷ: & libro vigesimo, ἦλθε δὲ φάδω τιβέριος
ἀλέξανδρος διάδοχος ἀλεξάνδρου παῖς τοῦ καὶ ἀλαβαρχή-
σαντος ἐν ἀλεξανδρείᾳ. inde Iuuenalis,* inter quos
ausus habere Nescio quis titulos Aegyptius, aut
Alabarches. *Sanè Pompeius qui hoc nomine hîc si-
gnificatur in multis Asiæ regionibus vectigalia con-
stituerat. idem Cicero supra,* nunc verò Sampsice-
rame quid dices? vectigal te nobis in Antilibano

constituisse, agri Campani ademisse? *De scriptura, id est, vectigali ex pecore elegans est iocus in Plauti Truculento.*

Nam aduersum legem, à me ob meam scripturam
pecudem accepit.
A. plæriq; idẽ quod tu facis faciũt rẽ male gerẽtes,
Vbi nõ est scripturã vnde dẽt, incusant Publicanos.

SCILICET, vt soles] *Duo hæc verba*, vt soles, *ex Scidis, Tornæsiano, & Crusellino addidimus, cùm abessent à vulgatis.*

IN EPISTOLAM XVIII.

HAC TAMEN in oppressione] *Codices vulgati,* attamen, *vno verbo. nostri meliùs,* hac tamen.

CAVTE] *Tornæsianus, & Decurtatus,* lautè: *Crusellinus,* cautè; *quam scripturam expressimus: quamquam alteram,* lautè, *non damnamus.*

IN EPISTOLAM XIX.

HOC nunc repudio] *Sæpe librarij peccarunt in his duabus voculis,* non, &, nunc, *inuicem commutandis. itaque deprauatè hîc vulgo legitur,* non repudio, *pro,* nunc repudio.

IN EPISTOLAM XX.

PRAGMATICI] *Pragmaticos vocat homines multo rerum vsu peritos, & solertes, qualis fuit*

Epicharmus, quem ea de caussa alio loco appellat vafrum. respexit enim ad hunc eius versum,

νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

ET tamen scit?] *Appingi debet post verbum,* scit, *interrogationis nota. quia enim fieri poterat, vt Alexander, quamuis ineptus haberetur, alioqui tamen eruditus esset, ita vt vitia virtutibus aut superarentur, aut certè æquarentur, ideo, tamquam ex persona Attici, quærit quantum in eo sit eruditionis, móxque subiicit eum nihil scire. Ceterùm in quibusdam libris pro*, sed tamen, *legitur*, & tamen.

IN EPISTOLAM XXI.

QVIN cùm comitia] *Rectè Malaspina ex coniectura emendauit*, quin, *pro*, qui, *vt ex Crusellino, & Decurtato animaduerti, in quibus planè ita legitur.*

IN EPISTOLAM XXII.

MANSISSES] *Prorsus geminare hîc oportuit verbum*, mansisses, *quod vidit etiam Lambinus. sed malè interiecit particulam*; vt. *nam*, mansisses, *quod secundo loco positum est, hanc significationem habet, curassem vt maneres Romæ, nec inde discederes, hæc si fore putassem.*

IN EPISTOLAM XXIII.

POSSE inueniri nullam] *Legebatur in Decurtato, & Tornæsiano,* quam ego posse inueniri nullam, *vt edendum curaui. sumi autem debet è superioribus,* te scire volo, ἀπὸ κοινοῦ.

POST deinde] *Vocula,* post, *aberat à libris impressis, quàm è nostris manuscriptis restitui. solet autem sæpe coniungi cum illa altera,* deinde. *Terentius Andria,* post deinde quod iussi ei dare bibere: *& in* XII. *Tabulis,* post deinde manus iniectio esto.

IN EPISTOLAM XXIIII.

AD illam κέλευσιν] *Scripsi ex Decurtato, & Tornæsiano* κέλευσιν, *quo loco Victorius edit celeritatem.*

QVAM auditu] *in vetustioribus nostris erat,* auditu, *vt edidi.*

HAVD reclamatum est] *Deerat vitio librariorum in editionibus,* haud, *negandi particula, post verbum,* postulauit; *quam nos ex Decurtato reposuimus, vbi ita exaratam legimus,* AVT.

ET qui illuc factus] *Scida, vt Malespinæ codices,* &, qui, *meliùs omnino quàm vulgati, in quibus est,* vt qui.

NIHIL me infortunatius] *Lambinus primam partem huius loci rectè ex coniectura restituit, nisi*

quod verbum, eſt, *omiſit ante nomen*, Catulo. *eius verò emendationem confirmat caſtigatiſſima hæc lectio Decurtati.* quid quæris? nihil me infortunatius, nil fortunatius eſt Catulo, cum ſplendore vitæ, tum hoc tempore. *fortunatiſſimum vocat Catulum quod ſplendidè, & cum honore ſemper vixerit, & quod in illa calamitoſiſſima tempora non inciderit, vt qui iam mortuus eſſet.*

HOC tempore] *tam calamitoſo, ad quod non durauit. nam ſi nunc viueret, miſer eſſet. fortunatus igitur eſt, quòd ante è vita exceſſerit. Lambinus poſtrema hæc huius loci verba ita deprauauit,* cùm ſplendore vitæ, tum mortis tempore.

immo vero ita restituit.

IN EPISTOLAM XXV.

SVMMAE ſibi] *Vt,* ſibi, *non,* tibi, *legatur poſtulat ſententia. Cicero enim ad Atticũ ſcripſerat de officio Varronis erga ſe, Varronem ſcilicet valde ſibi ſatisfacere: quod cùm Varroni poſtea Atticus litteris nunciaſſet, Varróque deinde ſignificaſſet Attico eam Ciceronis cõmemorationem de ſuo erga illum officio valde ſibi gratã eſſe, reſcripſit Atticus* Ciceroni, *valde placere Varroni quæ ipſe de illius officio prædicaret.* ſibi, *ergo eſt,* Varroni.

NON quo faceret] *Innuit Varronem non idcirco ſibi ſatisfacere, quòd ea faceret, quæ ſibi grata eſſent, ſed quòd ingenuè & non diſſimulanter ea faceret. nam,* quo, *ſignificat,* quia; vt, *verò,* quo animo. *itaque,* non quo faceret, *ad operam, & officij præ-*

stationem refertur; vt faceret, ad candidum, & ingenuum Varronis animum.

MORATVS] *Moratus auctor est, qui suis scriptis mores hominum effingit, non modò quales vulgo sint, sed quales esse debeant, quique in eam rem præclaris sententiis vtitur, quibus præcepta traduntur rectè instituendæ vitæ; quo in genere præstatissimus habetur Euripides, quem nomine bene morati hîc designat, adductis eius versibus ex fabula Andromacha de simulato hominum animo. mirabiliter, inquit, moratus est Euripides, cùm scribit,* ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιὲς ἀλλὰ πάντα πέριξ φρονοῦντες. *his verbis Andromacha Spartanorũ animum describit, quem ait esse minimè cãdidum, & ingenuum, sed callidum & versutum. tales verò plærosque Romæ tunc fuisse tacitè queritur Cicero, innuitq; eos potissimùm hoc vitio laborasse, qui Reip. gubernacula tenebant. idcirco subiicit alium versum Euripidis,* τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών. *Ceterũ paullo post pro,* Hortensius, *reposuimus ex antiquis nostris,* Hortalus; *quod cognomen fuit familiæ Hortensiorum.*

IN LIBRVM III.

IN EPISTOLAM II.

IN fundum Sicæ] *Fundus hic Sicæ erat prope Vibonem, quo Cicero ibat eo consilio, vt inde in Siciliam aut Meliten pergeret, ibíque maneret, si sibi per legem Clodiã liceret. sin minùs, decreuerat Brundisium se referre, & inde naui Græciã petere:*

num imperatorem ἐλάσσονα δὲ ἐχέτω ὁ κρῖκος τὴν διάμετρον τοῦ μήκους τοῦ ἀνθρώπου, ὥστε τὸ ὕψος αὐτοῦ μέχρι τῶν μαστῶν ἐξικνεῖσθαι, ἐλαύνεσθαι δὲ μὴ κατὰ μῆκος, ἀλλὰ κατὰ πεπλανημένον. ἔστω δέ ὁ ἐλάτηρ σιδηροῦς ξύλινον ἔχων τὴν λαβήν. τοὺς μέντοι λεπτοὺς κρίκους τοὺς περικειμένους τῷ τροχῷ ἀθύρματα τινες εἶναι περιττούς. τὸ δὲ οὐχ' οὕτως ἔχει. ἀλλ' ὁ ψόφος ὁ γινόμενος ἐξ αὐτῶν διάχυσιν ἐργάζεται, καὶ ἡδονὴν τῇ ψυχῇ.

ὠνήθησαν

NEQVE à Theophrasto] *Hæc verba*, neque à Theophrasto, *ad* βίον θεωρητικὸν *retulit, vt illà*, neque vsu, *ad* πρακτικόν. *nam Theophrastus vitam, quæ in perscrutandis & perspiciendis rerum causis versatur, longè illi anteponebat, quæ rerum vsum, tanquam finem, sibi propositum habet. idem hic auctor epistola* XVI. *huius libri*, nunc prorsus hoc statui, vt quoniam tanta controuersia est Dicæarcho, familiari tuo, cùm Theophrasto amico meo, vt ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longè omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικόν, vtrique à me mos gestus esse videatur.

COGIT ἄντα] *Latebat hîc vocula Græca, cuius ignoratione valde perturbatus erat hic locus. eam nos in lucem protulimus beneficio Decurtati, in quo pro*, cogitat tantum, *quæ scriptura est receptarum editionũ, legimus*, cogit tãta tum: *vt si ex vocabulo* tãta *primam litteram demas vitiosè repetitam ex antecedẽti, & Græcè* ἄντα *scribas, particulámque*, tum, *cum verbis sequentibus iungas, tum demum iure glorieris te genuinam Ciceronis scripturam te-*

nere. nam ἄντα vox est Homerica, quæ contra, & ex aduerso significat, iungique solet cum verbo στῆναι, aut ἐλθεῖν. sed neutrum Cicero expressit, vsus familiari sua, & assueta reticentia. Homerus libro XVI. *Iliadis.*

ὅσκε σευ ἄντα ἔλθῃ ἀμυνόμενος

& libro XX.

ἤτοι μὲν γὰρ ἔναντα ποσειδάωνος ἄνακτος
ἵστατ᾽ ἀπόλλων φοῖβος ἔχων ἰὰ πτερόεντα,
ἄντα δ᾽ ἐνυαλίοιο θεὰ γλαυκῶπις ἀθήνη.

&

ἄντα δ᾽ ἄρ ἡφαίστοιο μέγας ποταμὸς βαθυδίνης

&

ὡς οἱ μὲν θεοὶ ἄντα θεῶν ἴσαν.

Horum igitur verborum sensus est, si Clodius me cogit ἄντα στῆναι, *aut* ἄντα ἐλθεῖν, *hoc est, contra se stare, aut progredi, quòd me lacessat, tum cogitamus dumtaxat nos defendere.*

IN EPISTOLAM XII.

PVBLIVM plebeium] *Mutilæ hîc erãt Scidæ. sed codices Tornæsianus, & Crusellinus apertè scriptum habebant,* plebeium, *non, vt vulgati,* Tribunum pleb. *atque ita prorsus legendum. mox ex fide eorumdem librorum scripsi,* hoc verò regnum est, & ferri nullo modo potest.

EX Antiati] *Victoriana editio,* ex Antio: *accõmodatius nostri ad normã Latinè loquendi,* ex Antiati.

NVNC fluctuat] *perturbata est, neque dum*

sedata & composita: ideo mox subiicit καθ' ὀπώρην τρὺξ.

Κατ' ὀπώρην τρὺξ] *Vulgata lectio* κατ' ὀπώρην ταχὺς *mihi semper suspecta fuit. suspicionem auxit scriptura haec Crusellini,* καθ' ὀπώρην τρὺχ. *itaque re diligenter expensa tandem conieci legendum,* κατ' ὀπώρην τρὺξ: *atque ea, ni fallor, vera & germana est* Ciceronis *scriptura, vt sensus ipse declarat. nam fluctuare dicuntur quæ nondum conquieuerunt, sed adhuc agitantur; cuiusmodi est fæx vini* καθ' ὀπώρην, *id est, per autumnum, & tempore vindemiarum. nondum enim desedit, sed adhuc in vino fluctuat. Porrò* Cicero *hæc verba ex auctore quodam, qui Ionicè scripsit, decerpsisse videtur, vt qui* ὀπώρην, *non* ὀπώραν *dixerit.*

DECESSERIT] *Monet Sebastianus Corradus in quibusdam libris legi,* desederit: *quod verbum aptissimè dicitur de fæce in imo subsidente. quia tamen vulgatam lectionem,* decesserit, *in omnibus meis reperi, nolui eam mutare. & tum fæx è vino decessit, cùm desedit.*

IN EPISTOLAM XIIII.

AC ad sitientes aures] *Reduxi in pristinam sedem particulam,* ac, *quæ diu hinc exularat.*

AT quam parem] *Scripsimus ex veteribus libris,* at quam parem, *quasi dicat, valde parem. nam vt basilicæ ampla quædam & spaciosa erant ædificia, quibus ingens hominum cœtus capi poterat:*

rat: qua de causa in iis plerumque magistratus ius dicebant, & mercatores negociabantur: ita Tribus Aemilia hominum frequentia ceteras Tribus superare videbatur. itaque ἀναλόγως habebant Aemilia Tribus, & basilica.

OMITTO vulgus] *κατὰ παρένθεσιν dictum est.* omitto vulgus. *innuit enim qualibet hora diei molestissimum esse vulgus Formianorum, nedum post quartam solùm.*

MOLESTI ceteri] *Ceteri qui sunt Formiis mihi molesti non sunt post horam quartam. nam ante eam horam me valde salutationibus interpellant. reliquum tempus diei C. Arrius, & Sebosius me non sinunt tranquillè & quietè ducere, ita odiosè importuni sunt.*

VIDE enim] *Ratio est cur dicat se expectaturum Atticum usque ad pridie dumtaxat Nonas May. malè igitur in Crusellino, & Tornasiano, pro,* vide, *legitur,* vidi.

ILLVD probem?] *Legendum cum interrogatione; quasi dicat, fieri non potest, cùm singulis horis interpeller, vt id, quod suades, probem, & magnum aliquid aggrediar, & multa cogitationis. nam hæc verba,* magnum aliquid aggrediamur, & multæ cogitationis, atque ocij, *descripsit ex epistola Attici.*

IN EPISTOLAM XV.

SEV ruet, seu eriget] *Mendosè locus hic legitur*

in omnibus libris, quos vidi, etiam manuscriptis. Tornæsianus habet, Seruet get Rempublicam: *Crusellinus,* seruet serget Remp. *Decurtatus,* seu ruet se vrget Remp. *quas lectiones ex hac deprauatas fuisse puto,* seu ruet, seu eriget Rempub. *ita enim arbitror scripsisse* Ciceronem: *atque ita fere emendauit Sebastianus Corradus.* ruet, *autem videtur opponi verbo,* eriget, *& significare euertet, vt apud Terentium Adelphis,* cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerem: *& Virgilium libro primo Georgicorum,*

Quid dicam iacto qui semine comminus arua
Subsequitur, cumulosque ruit male pinguis arenæ.

IN controuersia Muluiana] *Muluius hic publicos agros possessoribus, qui vectigal non pendebant, adimere conabatur, vt eos in perpetuum, aut ad certum tempus aliis locaret, ea lege, vt tamdiu pro iis vectigal penderent quamdiu eos possiderent. ex iis agris Atticus, & Terentia quædam prædia possidebant. ideo tam suo quàm Terentiæ nomine caussam omnium possessorum Atticus defendebat, negabátque eos agros possessoribus auferri posse, dum ipsi penderent vectigal. quo dicto fatebatur eos agros vectigales esse. Attici diligentiam, & assiduitatem in retinendis agris Terentia valde probabat, professionem vectigalis pendendi non probabat: quippe quæ nollet eo nomine quicquam pendere. at ille prudenter cogitabat agros vectigales alia ratione retineri non posse, nisi si vectigal penderetur. hanc Attici exceptionem confirmat Paullus iuris-*

consultus libro XXI. *ad edictum.* agri ciuitatium, *inquit*, alij vectigales vocantur, alij non. vectigales vocantur qui in perpetuum locantur, id est, hac lege, vt tamdiu pro his vectigal pendatur, quamdiu neque ipsis qui conduxerint, neque iis qui in eorum locum successerunt auferri eos liceat.

PVBLICANVS pendis] *Exaratum erat in nostris partim*, Publicanos, *partim*, Publicanus. *illam lectionem mendosam, hanc veram puto. Atticus si Publicanus non erat, certè socius erat Publicanorum, vt alio loco docuimus, eodémque iure, & immunitate fruebatur, qua Publicani. attamen agrorum nomine, quos è publico possidebat, non recusabat pendere vectigal. at Terentia, cui nihil commercij erat cum Publicanis, prædium, quòd è publico possidebat, liberum afferebat ab omni vectigali. itaque sibi plus iuris sumebat, quàm ipsi Publicani, penes quos erat vectigalium exactio.*

IN EPISTOLAM XVI.

φυσᾶ γὰρ] *Versus sunt Sophoclis, vt indicat Dionysius Longinus* περὶ ὕψους.

SE leges Cæsaris] *Scripsi vt erat in Scidis, & Decurtato*, se leges Cæsaris probare.

IN EPISTOLAM XVII.

TVRBAT VI] *Veteres libri*, turbatur. *emen-*

daui, turbat vi. *videtur enim* Cicero *significare Pompeium vi turbas ciere.*

A. D. VI. circiter] *Initio libri primi monui vitiosè quamplurimis in locis harum epistolarum scribi*, A D, *pro*, A. D. *id est, ante diem, quod manifestißimè hinc ostenditur, vbi τὸ* circiter *redundaret, si* AD *præpositio esset.*

CONFEREMVS] *Editiones vulgatæ*, conferamus: *veteres nostri*, conferemus, *rectiùs; vt sit eiusdem modi, & temporis, quo illud superius*, deflebimus.

IAM vacuum est] *Lego*, vacuũ est, *vt est in manuscriptis nostris. referri enim debet ad illud superiùs scriptum*, quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον.

πλῶσις Curiana] *Locus pessimè acceptus. eum nos, vt spero, sanauimus ope Decurtati, in quo ita legebatur*, plocis Curiana. *putauimus enim librarium Græcarum litterarum ignarum, vt totum hoc genus plærumque est imperitißimum, pro* πλῶσις, *quo modo Ciceronem scripsisse existimo, deprauatè exarasse*, plocis. *quam scripturam inepti quidam interpolatores cùm mendosam viderent, errorem errore cumulantes ita correxerunt, aut potiùs corruperunt*, Phocis. *vocat* Cicero *Curianam* πλῶσιν *dedecus & ignominiam flagitiosißimi viri Q. Curij, qui, vt refert Sallustius, ob probra & mala facinora motus fuerat Senatu. Latinè dicas casum, siue prolapsionem, quòd is è summo honore in summum contemptum decidisset. nam* πίπτειν, *siue* ἐκπί-

πτειν apud Græcos, & cadere apud Latinos ea dicuntur, quæ, cùm nullius sint existimationis, à quouis exploduntur. Demosthenes pro Ctesiphone, ἐγραμμάτευες, ἐγὼ δ' ἐξεκλησίαζον: ἐτριταγωνίςεις, ἐγὼ δ' ἐθεώρουν: ἐξέπιπτες, ἐγὼ δ' ἐσύριττον. *Horatius de fabulis quæ exsibilantur à populo,*

Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus cadat, an recto stet fabula talo.

Cùm ergo Cicero indicare vellet summum Pompeij contemptum ὑπερβολικῶς *scripsit Curium non æquè despectum iacere atque illum; quinimo Curianam* πτῶσιν *præ Pompeiana stare videri. contraria enim sunt cadere & stare. ac vt cadere dicebantur, quæ in contemptum abibant; sic stare, quæ erant in magna existimatione. ideo stabant fabulæ, quæ læto spectatorum plausu excipiebantur. Terentius Hecyra*, in iis primùm Cæcilij didici nouas, partim sum earum exactus, partim vix steti. *Idem Phormione*, quod si intelligeret, cùm stetit olim noua, actoris opera magis stetisse quàm sua. *De hoc Curio antea scripsimus ad eum locum epistolæ primæ libri primi*, vt mihi videatur non esse ἀδύνατον Curium obducere.

ALABARCHES] *Iamdudum Iacobus Cuiacius, iurisconsultorum nostræ ætatis facilè princeps, legendum esse docuit*, Alabarches, *non, vt erat in vulgatis*, Arabarches, *cùm ita scriptum reperisset in codice Tornæsiano. ita nos etiam exaratum legimus in Decurtato, Crusellino, & Huraltino. hoc*

autem nomine Cicero Pompeium notat, qui gloriabatur se mirum in modum auxisse vectigalia populi Romani. ἄλαβα, *inquit Hesychius*, μέλαν ᾧ γράφομεν, *id est, atramentum quo scribimus; vnde & pro scriptura ipsa accipitur. hoc porrò vocabulum,* scriptura, *partim* γενικῶς, *partim* εἰδικῶς *intelligitur.* γενικῶς scriptura *est quæuis notarum, litterarúmue delineatio.* εἰδικῶς *est eius* vectigalis *perscriptio, quod ex pecoris pastione pendebatur. nam cùm pastores, qui pecudes in saltibus publicis pascebant, numerum capitum sui pecoris apud Publicanos profitebantur, eum numerum Publicani in suos commentarios referebant; à qua scriptione vectigal huiusmodi pastionis latinè scriptura, & Græce* ἄλαβα *ab atramento dicebatur. itaque Alarbarches hîc est veluti magister scripturæ; hoc est, auctor eius vectigalis imponendi, cuius ratio Publicanorum scriptura constabat. huiusmodi vectigalium præfecturæ fuerunt apud Alexandrinos, vnde fortasse hoc nomen translatum est in Latium. Iosephus originum Iudaicarum libro decimo octauo* ἔνθα Ἀλεξάνδρου δεῖται τοῦ ἀλαβάρχου μυριάδας εἴκοσι δάνειον αὐτῷ: *& libro vigesimo,* ἦλθε δὲ φαδῶ τιβέριος ἀλέξανδρος διάδοχος Ἀλεξάνδρου παῖς τοῦ καὶ ἀλαβαρχήσαντος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ. *inde Iuuenalis*, inter quos ausus habere Nescio quis titulos Aegyptius, aut Alabarches. *Sanè Pompeius qui hoc nomine hîc significatur in multis Asiæ regionibus vectigalia constituerat. idem Cicero supra*, nunc verò Sampsicerame quid dices? vectigal te nobis in Antilibano

constituisse, agri Campani ademisse? *De scriptura, id est, vectigali ex pecore elegans est iocus in Plauti Truculento.*

Nam aduersum legem, à me ob meam scripturam pecudem accepit.

A. plæriq; idẽ quod tu facis faciũt rẽ male gerẽtes,
Vbi nó est scripturã vnde dẽt, incusant Publicanos.

SCILICET, vt soles] *Duo hæc verba*, vt soles, *ex Scidis, Tornæsiano, & Crusellino addidimus, cùm abessent à vulgatis.*

IN EPISTOLAM XVIII.

HAC TAMEN in oppressione] *Codices vulgati*, attamen, *vno verbo. nostri melius*, hac tamen.

CAVTE] *Tornæsianus, & Decurtatus*, lautè: *Crusellinus*, cautè; *quam scripturam expressimus: quamquam alteram*, lautè, *non damnamus.*

IN EPISTOLAM XIX.

HOC nunc repudio] *Sæpe librarij peccarunt in his duabus voculis*, non, &, nunc, *inuicem commutandis. itaque deprauatè hîc vulgo legitur*, non repudio, *pro*, nunc repudio.

IN EPISTOLAM XX.

PRAGMATICI] *Pragmaticos vocat homines multo rerum vsu peritos, & solertes, qualis fuit*

Epicharmus, quem ea de caussa alio loco appellat vafrum. respexit enim ad hunc eius versum,

νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

ET tamen scit?] *Appingi debet post verbum,* scit, *interrogationis nota. quia enim fieri poterat, vt Alexander, quamuis ineptus haberetur, alioqui tamen eruditus esset, ita vt vitia virtutibus aut superarentur, aut certè æquarentur, ideo, tamquam ex persona Attici, quærit quantum in eo sit eruditionis, móxque subiicit eum nihil scire. Ceterùm in quibusdam libris pro*, sed tamen, *legitur*, & tamen.

IN EPISTOLAM XXI.

QVIN cùm comitia] *Rectè Malaspina ex coniectura emendauit*, quin, *pro*, qui, *vt ex Crusellino, & Decurtato animaduerti, in quibus planè ita legitur.*

IN EPISTOLAM XXII.

MANSISSES] *Prorsus geminare hîc oportuit verbum*, mansisses, *quod vidit etiam Lambinus. sed malè interiecit particulam; vt. nam*, mansisses, *quod secundo loco positum est, hanc significationem habet, curassem vt maneres Romæ, nec inde discederes, hæc si fore putassem.*

IN EPISTOLAM XXIII.

POSSE inueniri nullam] *Legebatur in Decurtato, & Tornæsiano*, quam ego posse inueniri nullam, *vt edendum curaui. sumi autem debet è superioribus*, te scire volo, ἀπὸ κοινοῦ.

POST deinde] *Vocula*, post, *aberat à libris impressis, quàm è nostris manuscriptis restitui. solet autem sæpe coniungi cum illa altera*, deinde. *Terentius Andria*, post deinde quod iussi ei dare bibere: *& in* XII. *Tabulis*, post deinde manus iniectio esto.

IN EPISTOLAM XXIIII.

AD illam κέλευσιν] *Scripsi ex Decurtato, & Tornæsiano* κέλευσιν, *quo loco Victorius edit celeritatem.*

QVAM auditu] *in vetustioribus nostris erat*, auditu, *vt edidi.*

HAVD reclamatum est] *Deerat vitio librariorum in editionibus*, haud, *negandi particula, post verbum*, postulauit; *quam nos ex Decurtato reposuimus, vbi ita exaratam legimus*, AVT.

ET qui illuc factus] *Scida, vt Malespinæ codices*, &, qui, *meliùs omnino quàm vulgati, in quibus est*, vt qui.

NIHIL me infortunatius] *Lambinus primam partem huius loci rectè ex coniectura restituit, nisi*

quod verbum, eſt, *omiſit ante nomen*, Catulo. *eius verò emendationem confirmat caſtigatiſſima hæc lectio Decurtati*. quid quæris? nihil me infortunatius, nil fortunatius eſt Catulo, cum ſplendore vitæ, tum hoc tempore. *fortunatiſſimum vocat Catulum quòd ſplendidè, & cum honore ſemper vixerit, & quòd in illa calamitoſiſſima tempora non inciderit, vt qui iam mortuus eſſet.*

HOC tempore] *tam calamitoſo, ad quod non durauit. nam ſi nunc viueret, miſer eſſet. fortunatus igitur eſt, quòd ante è vita exceſſerit. Lambinus poſtrema hæc huius loci verba ita deprauauit*, cùm ſplendore vitæ, tum mortis tempore.

immo vero ita restituit.

IN EPISTOLAM XXV.

SVMMAE ſibi] *Vt*, ſibi, *non*, tibi, *legatur poſtulat ſententia*. Cicero *enim ad Atticũ ſcripſerat de officio Varronis erga ſe, Varronem ſcilicet valde ſibi ſatisfacere: quod cùm Varroni poſtea Atticus litteris nunciaſſet, Varróque deinde ſignificaſſet Attico eam* Ciceronis *cõmemorationem de ſuo erga illum officio valde ſibi gratã eſſe, reſcripſit Atticus* Ciceroni, *valde placere Varroni quæ ipſe de illius officio prædicaret*. ſibi, *ergo eſt*, Varroni.

NON quo faceret] *Innuit Varronem non idcirco ſibi ſatisfacere, quòd ea faceret, quæ ſibi grata eſſent, ſed quòd ingenuè & non diſſimulanter ea faceret. nam*, quo, *ſignificat*, quia; vt, *verò*, quo animo. *itaque*, non quo faceret, *ad operam, & officij præ-*

ſtationem refertur; vt faceret, ad candidum, & ingenuum Varronis animum.

MORATVS] *Moratus auctor eſt, qui ſuis ſcriptis mores hominum effingit, non modò quales vulgo ſint, ſed quales eſſe debeant, quique in eam rem præclaris ſententiis vtitur, quibus præcepta traduntur rectè inſtituendæ vitæ; quo in genere præſtatiſſimus habetur Euripides, quem nomine bene morati hîc deſignat, adductis eius verſibus ex fabula Andromacha de ſimulato hominum animo. mirabiliter, inquit, moratus eſt Euripides, cùm ſcribit,* ἑλικτὰ καὶ οὐδὲν ὑγιὲς ἀλλὰ πάντα περὶξ φρονοῦντες. *his verbis Andromacha Spartanorũ animum deſcribit, quem ait eſſe minimè cãdidum, & ingenuum, ſed callidum & verſutum. tales verò pleroſque Romæ tunc fuiſſe tacitè queritur Cicero, innuitq; eos potiſſimùm hoc vitio laboraſſe, qui Reip. gubernacula tenebant. idcirco ſubiicit alium verſum Euripidis,* τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών. *Ceterũ paullo poſt pro,* Hortenſius, *repoſuimus ex antiquis noſtris,* Hortalus; *quod cognomen fuit familiæ Hortenſiorum.*

IN LIBRVM III.

IN EPISTOLAM II.

IN fundum Sicæ] *Fundus hic Sicæ erat prope Vibonem, quo* Cicero *ibat eo conſilio, vt inde in Siciliam aut Meliten pergeret, ibique maneret, ſi ſibi per legem Clodiã liceret. ſin minùs, decreuerat Brundiſium ſe referre, & inde naui Græciã petere:*

cui nauigationi non audebat se committere propter inimicum suum Autronium, qui in Gracia exulabat. ideo scribit sibi tenendas non esse partes illas sine Attico.

BRVNDISIVM referre] *Id est, Brundisium regredi, quia Vibonem profectus Brundisium pone reliquerat, quò ipsi remeandum erat, vt inde in Graciam, aut in Asiam se conferret.*

IN oris Luc.] *Hanc epistolam* Cicero *scripsit cùm iter haberet Vibonem, in fundum Sicæ; quod iter per Lucaniam fecit, vt refert Plutarchus. eam autem dedit in oris Lucaniæ, cùm Thuriorum fines iam iam ingressurus esset. est enim Vibo oppidum Thuriorum. Quod autem,* in oris Luc. *id est, Lucaniæ scripsi, id feci partim coniectura, partim ex præscripto veterum librorum. nam in Decurtato exaratum erat* VI. ID. Apri. noris Luc. *Imperitè hîc librarius vltimam litteram vocis,* Apri, *& primam τοῦ,* noris, *quæ ambæ vnà iunctæ prępositionem,* in, *efficiebant, separauit, & singulas proximis vocabulis agglutinauit. scribendum enim fuit,* VI. ID. Apr. in oris Luc. *lectionem hanc nostram iuuat etiam scriptura Tornæsiani, Crusellini, & Huraltini, quamquam deprauata, quæ sic habet,* Naris Luc.

IN EPISTOLAM IIII.

CONRECTVM] *Scripsimus,* conrectum, *vt erat in Decurtato, more antiquo, pro,* correctum.

nam vitiosa est scriptura editionum, confectum.

ILLO cùm peruenire] *Rectè Manutius interpretatur*, illo, *vltra quadringenta millia passuum. nam si Cicero partes illas, quo primùm iter instituerat, tenuisset; hoc est, si in Siciliam, aut Meliten nauigasset; (eò enim tendebat iter illud Vibonem versus susceptum) certè non peruenisset vltra quadringenta millia passuum. Sicilia enim, & Melite propiùs absunt ab Italia quadringentis millibus passuum.*

IN EPISTOLAM VII.

A.D. XIIII. KAL. Mai.] *Liquidò scriptum erat in nostris* A.D. XIIII. KAL. Mai. *& ita edidi.*

NON sunt iam] *Legendum putaui, vt erat in Tornæsiano, Crusellino, & Decurtato*, non sunt iam ad medicinam, sed ad finem doloris. *quamquam non displicet Victoriana lectio*, non sunt tam ad medicinam, quam ad finem doloris.

BRVNDISII] *Hæc epistola in Decurtato finiebatur eadem voce, qua & sequens inchoabatur, hoc modo*, Dat. prid. Kalend. Mai, Brundisij. CICERO ATTICO. Brundisij proficiscens scripseram ad te. *de qua scriptura neminem dubitaturum putaui. itaque illam in meum exemplar transtuli.*

IN EPISTOLAM VIII.

AVDIRI] *Scripsi ex Tornæsiano, Decurtato, & Crusellino*, audiri, παθητικῶς, *& ex eodem Decurtato*, postularetur.

IN EPISTOLAM X.

VIVVS nunc amitterem] *Monuimus antea culpa librariorum*, non, *pro*, nunc, *sæpe vitiosè scriptum esse in his epistolis; quod hîc etiam accidit, vbi*, nunc amitterem, *reponi debet, pro*, non amitterem.

IN EPISTOLAM XII.

EODEM Tribuno pleb.] *Augurabatur Cicero Clodium biennium fore Tribunum pleb. cùm sciret eum non adepturum esse à populo Romano alios honores in annum sequentem. scribit enim Appianus lege quadam sancitum fuisse, vt nisi Tribuni plebis, qui Tribunatu abirent, statim ad alios honores vocari possent, eorum in primis ratio haberetur proximis comitiis Tribuniciis. hæc sunt Appiani verba de C. Graccho libro primo de bello ciuili*: καὶ εὐθὺς ἐπὶ τῷδε καὶ ἐς τὸ μέλλον ᾕρετο δημαρχεῖν· καὶ γάρ τις ἤδη νόμος κεκύρωτο, εἰ δήμαρχος ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις τὸν δῆμον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι. *id est, statim postea creatus est Tribunus plebis in annum quo-*

que ſequentem. iam enim ſancitum fuerat lege quadam, vt ſi Tribunus plebis alios honores petere non poſſet, eius in primis populus rationem haberet, comitiis Tribuniciis. hæc verba, ἢ ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις*, ſic interpretatur magni nominis Iuriſconſultus in commentario de legibus Romanis,* ſi Tribunus nondum promiſſa præſtiterit. *putauit ſcilicet* παραγγελίαν *idem eſſe cum* ἐπαγγελίᾳ*. pudet me tam fœdi erroris.*

IN EPISTOLAM XII.

DODONA] *Decurtatus,* Dona: *quæ ſcriptura iuuat coniecturam Malaſpinæ* Dodona *legentis, vt certè legi debet. Dodona verò quarto caſu dictum eſt à nomine Dodon. Euſtathius in Dionyſiū,* ἱστέον δὲ ὅτι ἡ δωδώνη οὐ μόνον ἡ χώρα, ἀλλὰ καὶ πόλις ἦν δωδώνη, ἀπὸ δωδώνης τῆς διὸς καὶ εὐρώπης, ἢ ἐκ ποταμοῦ δώδωνος. ἐλέγετο δὲ καὶ δώδων δισυλλάβως.

TE re iſtic] *Deſiderabatur hîc vocula,* re, *ante aduerbium,* iſtic, *quam nos ex Scidis, & Cruſellino in ſuum locum reſtituimus.*

IN EPISTOLAM XIII.

NEQVE temporis] *Suſpicatur Malaſpina ſcribendum,* neque, *pro,* meque*: at ego ita legendum affirmo ex fide Decurtati, & Cruſellini.*

ME CAVSSA meæ] *in noſtris antiquis erat,* me cauſſæ meæ, voluntati meorum defuiſſe. *cor-*

rexi, me caussa meæ, voluntati meorum defuisse, *hoc sensu, non putabis me voluntati meorum defuisse, meæ voluntatis caussa; hoc est, amicorum voluntatis anteposuisse meam.*

IN EPISTOLAM XIIII.

ETSI scio] *Alij aliter. ego ex Scidis reposui*, etsi scio, *vt corrigendum putat Malaspina: cuius in ea re sententiam non probo, quòd*, potiùs quàm, *pro*, potius &, *legendum existimat. dicebant enim Latini*, potius &, *pro*, potius atque, *vt*, simul &, *pro*, simul atque, *quemadmodũ alio loco docuimus.*

VT scripseram non veni] *Editiones habent*, iui, *quod non improbo. sed Scidæ, Tornæsianus, & Decurtatus*, veni, *& mox*, subito, *non*, subiti.

IN EPISTOLAM XV.

ECQVO modo] *Correxi*, ecquo, *vt erat in antiquis nostris. paullo post ex iisdem libris iussi excudi*, cæteros quòd purgas, debent mihi probati esse, tibi si sunt.

QVID est firmius? *Vulgati libri*, sic est firmius. *sed multo meliùs Scidæ, Tornæsianus, & Crusellinus*, quid est firmius? *quam lectionem etiam probat Lambinus.*

IN QVO IPSO] *Tres has voces*, in quo ipso, *restituimus ex Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino.*

QVO-

QVONIAMQVE ego] *Victoriana editio*, qúmque ego proditus. *aliter nostri, & meliùs*, quoniámque ego proditus. *mox ex plærisque meis edidi*, me meos meis tradidi inimicis.

IN EPISTOLAM XVI.

QVOD cum lectæ sunt] *Manuscripti nostri*, quòd cùm lectæ sunt: *nisi quod in Tornæsiano*, lætæ, *culpa librarij exaratum est*.

VT PVTABIS] *Statim post hæc verba*, ita scribas, *hoc amplius habent Decurtatus, Tornæsianus, & Crusellinus, quàm vulgati*, vt putabis; *quod omittendum non duxi*.

IN EPISTOLAM XVII.

LEVINEIVS] *alij*, *Liuinus*: *nostri veteres*, Leuineius, *vt edidi*.

APPII QVAESTIO EST] *Omnino legendum est*, quæstio, *vt est in priscis nostris. nã publicis iudiciis exercendis, quæ Quæstiones dicebantur, præficiebãtur quotannis Prætores, qui & Quæstores inde vocabantur. cùm autem hæc* Cicero *scribebat, Appius Claudius designatus erat Prætor, vt docet Dio, eíque obtigerat, vt hinc coniicimus, Quæstio de pecuniis repetundis. itaque verebatur Cicero, ne valde periculosum esset Q. fratri caussam dicere de pecuniis repetundis, quarum audierat eum postulatum iri, Appio Claudio Præ-*

tore, qui erat Q. uincto, propter ipsum Ciceronem, inimicissimus. nam Appius, Publy fratris caussa, qui magnas cum Cicerone simultates gerebat, non modò oderat ipsum Ciceronem, sed & Q. uinctum eius fratrem. Porrò hîc agi de accusatione Q. Ciceronis declarat locus ille epistolæ octauæ huius libri, vbi hic auctor de fratre ita scribit : nunc istic quid agatur magnopere timeo : quamquam tu alterá epistola scribis Idibus Maij audiri, fore vt acrius postularetur, altera iam esse mitiora.

CAVE vereri] *Mei omnes, vno excepto,* caue vereri, *quod rectum existimo.*

IN EPISTOLAM XVIII.

ACTOREM etiam daturũ] *Scida, & Crusellinus,* actorem, *vt ex Tornæsiano Lãbinus emẽdauit.*

IN EPISTOLAM XIX.

T. Pomponi] *Addidi prænomen T. ex nostris manuscriptis, cùm abesset à vulgatis.*

IN EPISTOLAM XXII.

DESIDERIO meorum] *Confer, si lubet, Victorianam lectionem cum ea quam ex antiquis manuscriptis expressimus, statim indicabis longè fideliora esse ea exemplaria, quibus vsi sumus, quam illud quod is tam valde laudat, ad cuius fidem edi-*

tionem ſuam conformauit. ſic enim hunc locum Victorius edidit, deſiderio omnium rerum, quæ mihi me cariores ſemper fuerunt. *in noſtris verò ſic erat*, deſiderio meorum omnium, tum eorum qui mihi me cariores ſemper fuerunt.

IN EPISTOLAM XXIII.

ILLVD ipſum abrogatur] *Quod ex coniectura emendauit Malaſpina; id nos auctoribus libris manuſcriptis: in quibus manifeſtè ſcriptum erat*, abrogatur, *&*, quo non, *pro*, abrogaretur, *&*, quo modo, *quæ lectio eſt excuſorum.*

QVODVE ei] *Placuit repræſentare lectionem Decurtati noſtri, quòd multo integrior & caſtigatior ſit, quàm impreſſa. ſic igitur habet optimus ille codex*, quódue ei qui promulgauit, abrogauit, derogauit, obrogauit, ob eã rem pænæ, multæ'ue ſit, E. H. L. N. R. *poſtremæ hæ quinque notæ hanc ſignificationem habent*, eius hac lege nihilum rogatur.

VT Ninnium] *Aliter eſt in publicis libris. ſed in eorum verba non æquè iurauimus, vt in veterum manuſcriptorum, in quibus ita legitur*, Vt Ninnium.

SIT ne quod] *Huius hulceris curatio debetur Decurtato noſtro, in quo ita eſt:* ſitne quod obſeruandum illud caput non putabant. *quæ verba παρενθέσει includi debent. libri vulgati deprauatè edunt*, ſiue, *pro*, ſitne.

CAVTI fuerint] *Legendum, vt edidi*, fue-

rint: *vt sit eiusdem modi & temporis*, *quo illa duo superiora*, attulerit, & , dubitauerint. *nam sumendum* ἀπὸ κοινοῦ, inuestiges velim quare.

SCRIPSIT Visellius] *Abest à Decurtato nota T. & Visellius hic non Titus, sed Caius dicebatur, vt apparet ex* Ciceronis *Bruto. ea verò nota huc irrepsit ex importuna repetitione vltimæ litteræ vocis*, scripsit.

IN LIBRVM IIII.

IN EPISTOLAM I.

PRO præterita] *Expressi scripturam Decurtati*, pro præterita mea in te obseruantia: *cuius lectionis vestigia, licet perturbata, in hunc modum extant in Tornæsiano*: propter ita meam in te obseruantiam.

CVM BRVNDISII essem] *Hæc verba*, cùm Brundisij essem, *à me lecta in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino, quamuis absint à vulgatis, nolui in editione nostra desiderari.*

CVM continuo] *Prætuli lectionem Decurtati vulgatæ: hoc est pro*, contio, *excudendum curaui*, continuo. *nam* ἀπὸ κοινοῦ *repeti debet*, multitudo.

QVI nos absentis] *Videtur indicare Hortentium, de cuius inconstantia, aut potiùs perfidia occultè queritur epistola tertia huius libri.*

IN EPISTOLAM II.

VT id non modo negligentiæ] *Victorius alteram negationem addidit hoc exemplo*, vt id non modò non negligentiæ meæ: *quo pacto legitur in plerisque libris excusis. sed liquidò iurare possum ab omnibus meis antiquis abesse alterum*, non. *& sanè quandoq; cùm apud alios veteres auctores Latinos, tum apud hunc nostrum*, non modo, *scriptum reperias in bonis exemplaribus, pro*, non modo non; *vt epistola quincta libri* XIIII. qui orbis terræ custodiis non modò septi, sed etiam vagi esse debebant. *quo loco nos plura de hoc loquendi genere.*

abest ex a meo.

NEQVE plebis scitu] *Ex Decurtato, & Tornæsiano reposui*, neque plebis scitu is qui se dedicasse diceret; *& mox*, aut plebis scitu id facere iussus esset. *nam*, scitus, *hic masculino genere idem est quod*, scitum. *sic*, sponsus, conuentus, mandatus, *in his epistolis, pro*, sponsum, conuentum, mandatum.

INANI populo] *Perspicuè legebatur in Decurtato*, inani populo, *atque ita proculdubio legendum. nam inanem populum vocat quos mox infimos dicit. In Tornæsiano vitiosè scriptū erat*, iā populo.

QVOD ne si vellem] *Liber Tornæsianus*, quod nisi vellem: *Scidæ*, quod ne si vellem; *quam lectionem sequuti sumus*. quod ne, *valet*, vt non. *sensus verò est*, vt si vellem, non integrum esset mihi posse petere. *nam*, posse, *ex manuscriptis legimus.*

FANORVM lucorum] Ἀσυνδέτως, lucorum, fanorum. lucorum, *autem legi debet, vt est in Decurtato, & Crusellino; & vox*, sacrorum, *iisdem auctoribus, delenda.*

NOSTRAE rationes] *Ex glossemate additum fuerat in vulgatis*, vtilitates meæ: *quod rectè aberat à Decurtato.*

PRAESENTES] *Nihil muto. sumendum enim* ἀπὸ κοινοῦ, senserunt. *nam supra scripserat*, quod sensisti tu absens.

IN EPISTOLAM III.

HAVERE te] *Deerat hic pronòcabulum*, te, *post verbum*, hauere, *quod ego ex Decurtato, & Crusellino restitui; móxque ex eorumdem præscripto edidi*, tum mea à me.

Erat in Manutianis anni 1554.

EAM QVAE Germalo] *Verissimam puto coniecturam Adriani Turnebi*, Germalo, *hìc legendum censentis. vt ita sentiam adducor veteri scriptura, quamquam deprauata, quæ ita concepta est in Decurtato*, Geranilo. *Hæc ergo Milonis domus sita erat ea parte vrbis, quæ Germalum dicebatur. De Germalo vide Varronem de lingua Latina.*

Est Pauli Manutij.

SED illæse] *Restituimus ex fide Decurtati*, illæse, *pro*, ille se, *&*, interiora in ædium, *pro*, interiorem ædium, *&*, Syllæ se, *pro*, Sylla se. ὑπακουστέον *autem*, proripuit, *aut*, abdidit, *aut tale quid verbum*. illæse, *est* ἀβλαβῶς, *nullo accepto detrimento.*

Multo melius Manutius.

DOMI Clodius] *Hæ voces,* domi Clodius, *claudendæ sunt* παρενθέσει. *sensus enim est, in senatu postridie Idus Marcellinus se virum egregium præbuit aduersus Clodium, omnes etiam acres in eum fuerunt. tunc temporis Clodius domi se continebat.*

ETIAM herculè] *Hortensium notat, qui valde fuit familiaris Attico, vt refert Cornelius Nepos in vita Attici.* constantiam, *autem scripsit* εἰρωνικῶς, *cùm eius leuitatem argueret: queritur enim alio loco se summa simulatione amoris insidiosissimè tractatum fuisse ab illo.*

Totũ hoc [illegible] est.

INVITAE tuæ verissimæ] *Excudendum curaui ex Decurtato,* inuitæ tuæ verissimæ litteræ. *Atticus sibi persuadere non poterat tantam esse in Hortentio leuitatem, & inconstantiam, quantam vulgò prædicabant. tamen multis exemplis tandem coactus est fateri id verum esse. qua de re scripserat aliquid Ciceroni. qui cùm nosset confessionem illam ab eo inuito extorqueri, rescripsit veras esse eius ea de re litteras, etiam inuitissimas.*

ANTE diem XI. KAL.] *Post,* Kal. *additur in vulgatis,* Ianuar. *quam voce in Decurtato non reperi, & adulterinam esse docuit iamdudũ Manutius.*

PAVCIS pannosis] *Emendaui,* paucis pannosis linea laterna, *vt disertim scriptum erat in Decurtato. linearum laternarum frequens hodiè vsus est apud nos, vt & cornearum, quæ olim Punicæ dicebantur.*

SI si se vt it vrbe] *Variat hîc veterum codicum scriptura. Victorius tradit in antiquo suo ita*

esse, si sentiturve iam obtulerit: *Tornæsianus sic habet*, si se vt it vrbæ iam obtulerit: *sic etiam Decurtatus, & Crusellinus. reposui*, si se vt it vrbe iam obtulerit. *ait occisum iri Clodium à Milone, si Clodius ex vrbe rus iens, vt consuerat, illi se iam obtulerit. & sanè hac in re Cicero certissimus fuit vates.*

IN EPISTOLAM IIII.

MEDIVS [Fidius] NE TV] *Qui putant mendum esse in his voculis*, ne tu, *quòd post aduerbium iurandi medius fidius* τὸ ne, *additum* παρέλκειν *videatur, né illi parum diligenter veterum loquendi rationem obseruarunt. sic enim Plautus Aulularia.*

Aedepol, né tu aula multos inimicos habes.

idem Bacchidibus,

Aedepol, né tu illorum mores per quam meditate tenes.

Terentius Hecyra,

Aedepol, né nos æquè sumus omnes inuisæ viris.

nihil igitur mutandum. sed, quod à nemine, quod sciam, animaduersum est, puto vocem, locum, *vitiosè Latinis litteris scribi, cùm Græca sit*, λόχον: *quo nomine significatur globus sedecim militum, vt tradit Aelianus* περὶ τάξεων: *quasi innuat Cicero Atticum emisse octo paria gladiatorum, qui mirificè pugnarent. Ceterùm non me fugit quandoque plures, quandoque pauciores attributos fuisse* λόχῳ. *nam Xenophon* λόχον *constituere videtur ex* XXIIII. *militibus: Thucidides, si eius interpreti Græco cre-*

dimus, ex quaternis centuriis, & uno manipulo. nos Aelianum sequuti sumus.

IN EPISTOLAM V.

AN me] *Scripsi,* au me, *ut erat in nostris. nam* me, *deerat in codicibus peruagatis.*

A Vettio me emisse] *liquidò erat in Tornæsiano & Decurtato, ut edidi,* à Vettio me emisse.

SED quid ad hoc?] *Quamquam ea quæ modò narraui de villa & domo satis superque indicant illorum malum in me animum, exigua tamen sunt, & prope contemnenda præ ea re quam mox referam. quia enim à Pompeio aliquando dissentiebam in dicenda in Senatu sententia, quo fiebat ut is mihi quodammodo infensus esset, quamuis illi non probarent quæ à Pompeio dicerentur, sed contrà mecum sentirent, tamen lætabantur me ea de caussa incurrere in odium Pompeij. quæ lætitia non aliunde proficiscebatur, quàm ex malo, & inuido illorum animo. Præpositio,*ad,*hîc comparationem significat, ut apud Terentium Eunucho,* éstne ut fertur forma? P. sanè. CH. at nihil ad nostram hanc: *id est, præ nostra hac.*

FINIS & quoniam] *Vocabulum hoc,* finis, *in omnibus nostris legebatur. quare referendum id putaui in nostrum exemplar, sequutusque sum coniecturam Malæspinæ in mutando τῷ* sed, *in,* &.

ET me asinum germanum] *Reposui auctore Decurtato,* & me asinum germanum fuisse. sed

quoniam, &c. *indicat se ita obsequutum fuisse potentiorum voluntati, quo ab illis amaretur, (obsequium enim amicos parit)vt de sua dignitate, & auctoritate plurimũ imminuerit. denique ita se abiecisse, vt re vera asinus videretur, cùm illi contra insignium quorumdam equorum speciem præ se ferrent. simili ratione eundem hemicillũ, id est semiasinum, siue mulum Atticus vocarat, vt intelligitur ex epistola* LI. *lib.* XIII. *quòd ad Cæsarem nõ tanquam ad parem & æqualem, sed vt ad superiorem, & dominum scripsisset. notum est prouerbium,* ab equis ad asinos; *quo hîc allusum est. in hanc quoque sententiam ita scribit epistola sequenti,* ergo erimus ὀπαδοὶ qui ταγοὶ esse noluimus? sic faciendum est. tibi enim ipsi, cui vtinam semper paruissem, sic video placere.

PINXERVNT] *Id est, illustrarunt. sic enim idem explicat epistola octaua huius libri:* nihil venustius quam illa tua pegmata, post quam mi sittybitis libris illustrarunt.

CONSTRVCTIONE] *Constructionem vocat pegmatum compactionem, quorũ meminit eo loco, quem modò citauimus. quidam librorum colligationem interpretãtur. Manutius ordinẽ. non placet.*

IN EPISTOLAM VI.

IMMO hercule] *Vulgati, mehercule:* Decurtatus, immo hercule: *quam lectionem veram esse neminem dubitaturum puto.*

NEQVICQVAM] *Frustra, inquit, libeat in otium secedere, vt non ingratus videar erga eos, quorum studio, & opera reuocatus sum ab exilio. nam ij meo aliquo publico munere, & officio sibi volunt satisfieri. itaque vt ingrati animi vitium effugiam, vel eorum gratia, versandum mihi est in Repub.*

IMMO ETIAM in bellum] *Legendum cum interrogatione, & repetendum* ἀπὸ κοινοῦ, si libeat, *&* *extrinsecus assumendum verbum*, sequi, *aut*, comitari, *quod assectatoris est. quid, si libeat, inquit, Pompeium & Caesarem sequi etiam in bellum, & in castra? huic verò interrogationi ita respondet, quasi turpe existimet eum, hoc est, se, qui dux esse noluerit, alios in militia assectari.*

RELIQVI ast] *omnes nostri melioris notae, reliquia est: emendaui*, reliqui, ast σπάρτην ἔλαχες, *&c. hoc sensu: reliqui, qui mihi cōsilium dant, sic aiunt, ast tu Spartam nactus es, hanc orna: id est, Rempub. regendam suscepisti, eam consilio, & opera tua iuua, & ne officio desis.*

NON mehercule possum] *Non possum Reip. quam debeo, operam nauare; ne fortè, si liberè loquar quae oportet, eos offendam, qui suo beneficio me sibi valde obstrinxerunt; néue ad eorum nutum loqui, aut eorum acta probare cogar, qui ipsam Rempub. perditum eunt, quamuis ij alioqui de me benemeriti sint.*

VT ista improbem] *Rectum est*, improbem, *vt est in nostris calamo exaratis, quicquid alij*

garriant, nam hoc Cicero significat, quamuis nullo modo adduci possim vt faciam quod partim tu, partim alij suadent, vt scilicet Cæsari & Pompeio obsequar, aut Spartam, quam nactus sum, ornem: verumtamen cupio id cum ratione videri facere: ideo commentor in his locis quomodo ea improbem, quæ à te & aliis mihi ingeruntur.

ILLA Hortensiana] *Cicero, vt iam antea monuimus, valde querebatur de Hortensio, & tamen, quantum poterat, dissimulabat acceptam ab eo iniuriam. ita tamen se continere semper non potuit, quin aliquando ipsi aliqua, super ea re, querimonia exciderit. quod iniquo animo cùm Hortensius accepisset, ideóque cuperet Atticus eum cum* Cicerone *reconciliare, auctor fuerat* Ciceroni, *vt illi scriptum aliquod dicaret.*

QVOD videor] *Videbatur* Cicero *stultè fecisse, quòd in quadam caussa tacitè non tulerat intemperiem Hortensij, sed ei obiecerat iniuriam sibi immeritò illatam. lego igitur ex Decurtato, vt censet Malaspina*, ne quod videor stultè illius amici intemperiem non tulisse.

ΒΑΘΥΤΗΣ] *βαθύτητα vocat taciturnitatem, & occultum aliqua de re animi sensum, sumpta translatione à puteis, & aliis locis altis, in quibus demersa ita latent, vt nemini appareant.*

OCVLATIOR] *Castigaui*, oculatior, *auctore Decurtato, cùm antea legeretur*, occultior, *repugnante sententia. oculatus hic est qui omnium oculis patet, quo significatu Plinius locum ocula-*

tissimum vocauit.

NVNC quam misi] *Addidi aduerbium,* nunc, *ex Decurtato, & Tornæsiano.*

IN EPISTOLAM VII.

NIHIL εὐχερέστερον] *Ducendum ab his verbis,* Nihil εὐχερέστερον, *initium huius epistolæ, vt ex Decurtato didici.* id est, vt Malaspina coniecit.

QVI quidem] *Rectè Malaspina legit,* qui quidem, *& post,* quidem, *interpungit. est enim* ὑποσιώπησις, *qua* Cicero *aliis cogitandum relinquit, quid ipse sentiat de Metello, ne, si fortè quod in animo habebat expromeret, hominem mortuum maledictis incessere videretur. innuit verò improbum virum fuisse.*

TIBI NVMMI] εἰρωνικῶς. *indicat enim nullam spem esse eorum nummorum recuperandorum. ideo mox subiicit,* in hoc thecam nummariam ne retexeris.

QVID enim veteris] *Sensus est, quid vereris, quemcumque Metellus heredem fecit, ne is scilicet hereditatem non cernat, quòd eam damnosam existimet, nisi forte Publium heredem fecit? non enim verendum est, sed pro certo habēdum, neminem eam hereditatem aditurum præter Clodium; qui ære alieno cùm totus sit obrutus, nullam quantumuis damnosam repudiaturus est hereditatem. Verumtamen improbè non fecit Metellus, quòd affinem suum heredē fecit, quem sciebat certò hereditatem*

ſuam aditurum. itaque huius rei cauſſa ne thecam nummariam retexeris, id eſt, aperieris, vt in eam nummos indas tibi debitos à Metello. ij enim tibi perierunt.

IN EPISTOLAM VIII.

PATINA tyrotarichi] *Videtur Atticus, iis quæ de tyrotaricho, & de rauduſculo ſcripſerat, notaſſe miram Ciceronis parſimoniam, qua grande æs alienum, quod rebus ſuis aduerſis conflauerat, ita minuerat, vt id modicum iam eſſet. nam rauduſculum eſt modicum æs. tyrotarichus autem genus erat opſonij vilioris, ruſticis familiare, quod caſeo, & ſalſamentis conſtabat: vnde & nomen acceperat.*

NAM de rauduſculo] *Quod ais me æs illud alienum, quod contraxi, ita minuiſſe, vt id iam non æs, ſed rauduſculum ſit; ne me magnum, id eſt, bonis affluentem, & fortunatum dixeris, priuſquàm videris qui futurus ſit exitus rerum mearum. nam fieri poteſt, vt, antequã moriar, iterum fortunæ meæ ad eoſdem miſeriarum ſcopulos allidantur. Vetus prouerbium fuit neminem dicendum eſſe beatum ante ſupremum vitæ diem. Euripides Andromacha,*

χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν,
πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς.

Quemquam beatum tu prius ne dixeris,
Vitæ ſupremum quàm diem conſpexeris.

εἴη μισητὸς φίλος οἶκος] *Ita concepta erant hæc ver-*

ba in Decurtato, ΕΙΗ ΜΗCΗΤΟC ΦΙΔΟC ΟΚΟC: *reposui*, εἴη μισητὸς φίλος οἶκος, *hoc sensu, familiaris tua domus tibi odio fuerit præ Antiatibus illis ædibus. Prouerbium Græcum est*, φίλος οἶκος ἄειστος, *quo familiaris cuiúsque domus laudatur. verùm ita amenæ erant ædes illæ Antiates, vt nemo esset qui suis illas longè non anteferret.*

PEGMATA] *Pluteos intelligit, in quibus libri collocabantur cum auctorum imaginibus, de quibus accipiendus est locus ille Iuuenalis,*

Indocti primum: quamquam plena omnia gypso
Chrysippi inuenias. nam perfectissimus horum est
Si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit,
Et iubet archetypos pluteum seruare Cleanthas.

Plura de his imaginibus videnda apud Plinium libro trigesimo quincto. Tua, *autem scribit, quia ea pegmata Atticus ei dederat, aut certè curarat. Sed & Atticus imagines habebat in sua bibliotheca, vt perspicitur ex epistola proximè sequenti.*

POSTQVAM mi sittybis] *Liquida hæc est scriptura Decurtati*, postquam mi sittybis libros illustrarunt: *sumendum ex superioribus* ἀπὸ κοινοῦ *Dionysius, & Menophilus. Sittybæ sunt scortea librorum integumenta. nam Hesychius interpretatur* δερματινὰς στολάς.

VALDE est] *Auctoribus Scidis emendaui*, valde est, *cùm in Tornæsiano, & aliis legeretur*, valde &. *significat autem*, *multum est; abunde est.*

MALE si se gessere] *Scidæ habebant*, malè si se cessere: *quæ scriptura confirmat emendationem Malaspinæ corrigentis*, malè si se gessere, *vt & nos reposuimus. Mox lego*, Apenas, *non, vt Victorius edidit*, aperias.

TIBI est commodum] *Addidi ex Decurtato, & Tornæsiano pronomen*, tibi. *paullo post Manutium sequuti sumus in hac lectione*, quàm est ista πείσαισ nostræ.

QVID? sinas?] *Hîc quoque Manutianam lectionem edidi*, quid? sinas? *quæ extabat etiam in Crusellino.*

ERAM exosus] *Lego*, exosus, *vt est in Scidis; eámque lectionem hæc confirmant*, homo peramans semper nostri fuit, nec mihi vmquam odio. *nam exosus est, qui odio aliquem habuit.*

ΤΗΝ ἔσω γραμμὴν] *In Scidis erat* τὴν σω γραμμὴν: *in aliis*, τὴν εω γραμμὴν. *emendaui* τὴν ἔσω γραμμὴν: *id est, interiorem lineam, quæ media inter extremas duceretur. significat media via vtendum esse, vt idem alibi loquitur: quod fit, cùm quis nimis non inclinat in alterutram factionum partem.*

id est, ita [illegible] Corradus.

IN EPISTOLAM IX.

CENSVM impendant] *Census agendi tempus insumant.*

SVAVISSIME hercule] *Libri nostri*, suauissime hercule effusus, *& ita edidimus.*

IN

IN Cumanum à se] *Perspicuè erat in Decurtato,* à se, *vt legit Manutius: id est è villa sua, quam itidem habuit in agro Cumano. Victorius tamen mauult,* ac se, *quod est eiusmodi atque illud è secundo libro,* vbi quidem ergo mallem Duumuirum quàm Romæ me fuisse.

IN EPISTOLAM X.

PVTEOLIS] *Initium epistolæ etiam in Decurtato.*

SECVM haberet] *Castigatiùs in Scidis,* haueret, *quàm in libris editis,* haberet. *aspiratè autem scribebant,* haueo, *vt perspicitur non modò è veteribus libris, sed etiam è lapidibus.*

DESEROR vt voluptatum] *In Scidis, Tornæsiano, & Crusellino constanter exaratum erat,* & voluptatum, *mendosè, pro,* vt voluptatum. *Declarat enim particula,* sic, *quæ mox sequitur Ciceronem hîc scripsisse,* vt, *quo modo edidimus. nam altera alteri respondet.*

POMPEIVS in Cumanum] *Hinc colligimus priùs scriptam fuisse hanc epistolam, quàm proximam superiorem. nam illic Cicero Pompeium iam conuenerat, hîc nondum viderat. sed alias docui perturbatum esse ordinem harum epistolarum.*

IN EPISTOLAM XI.

ANTE diem II. KAL.] *Ingeniosè & rectè*

Manutius, ante diem II. KAL. *quam lectionem omnibus litteris perſcriptam reperi in Decurtato.*

NEC metuo tamen] *Quamuis neminem mecum duxerim præter Dionyſium, non metuo tamen ne tu mecum frequẽtiſſimè non colloquaris, perinde ac ſi mecum fores. nam ita crebras ad me litteras mittes, vt mihi ſermo non defuturus ſit abs te.*

OPERE delector] *Hoc addidit, vt Atticum magis inuitet ad ſcribendum. ocioſus, inquit, eſſe nolo. itaque libentiſſimè operam impendam in epiſtolis tibi reſcribendis. Malaſpina conatus eſt hunc locum deprauare, cùm eius ſententiam non aſſequeretur.*

IN EPISTOLAM XII.

ESSE Idibus enim] *Vocem,* Idibus, *quæ deerat in Victorianis, è veteribus noſtris reſtitui.*

ET promonebo] *Scripſi,* & promonebo, *vt erat in Scidis, & Tornæſiano.* promonebo, *eſt præmonebo; vt prodicere diem, prædicere, apud Varronem de lingua Latina.*

IN EPISTOLAM XIII.

MILONIS nuptiæ] *Duabus de cauſis ſcribit ſibi veniendum eſſe Romam, vt interſit Milonis nuptiis, & vt comitiis.*

EGO VT SIT rata] *Deprauatè Tornæſianus, Cruſellinus, & Huraltinus*, ergo & ſi irata. *emendaui ex Decurtato*, ego vt ſit rata. *Quamuis, inquit, rata ſit opinio illa comitiorum, ita vt ea certò habeantur, tamen non moleſtè fero me afuiſſe ab iis*

altercationibus, quas in Senatu factas audio. hæ verò fuerant, vt suspicor, de habenda, aut non habenda quorumdam ratione.

QVANTVM pot'est] *Plane exaratum erat in Decurtato, quomodo edidi,* pot'est: *hoc est,* ὅσον δυνατόν.

IN EPISTOLAM XV.

ET suam illam] *Expressi scripturam Decurtati,* & suam illam. *Malaspina legit,* etiam suam illam, *sed ex coniectura.*

RHETOR Clodius] *Addidi ex fide Decurtati pronomen,* te, *post vocem,* lepôre, *& pro,* Prætor Clodius, *reposui,* rhetor Clodius. *intelligit enim Sex. Clodium rhetorem, cuius idem in Philippicis meminit his verbis,* audite, audite Patres cõscripti, & cognoscite Reip. vulnera; duo millia iugerum campi Leotini Sex. Clodio rhetori assignasti, & quidem immunia, vt tanta mercede nihil sapere disceres. *Plura de hoc Clodio rhetore Suetonius in libello de claris rhetoribus.*

PITVANIOS] *Corruptum nomen, nisi valde fallor, quod in Decurtato extritum fuit, & alterius manu scriptum, vt est in vulgatis,* Pituanios. *Quid si,* D. Turanius? *quem epistola* v. *libri primi vocat* χρηστομαθῆ? *equidem* ἐπέχω.

SVFENAS] *Cognogmen est Noniorum, vt apparet ex veteri nummo argenteo, in cuius altera parte legitur,* SEX. NONIVS PR. L. P. F. *in altera,* S C. SVFENAS.

τρισαρειοπαγίτας] εἰρωνικῶς *corruptissimos iudices uno verbo* τρισαρειοπαγίτας *vocauit. nam sæpenumero* τὸ τρὶς *in compositione vim habet augendi, vt* τρισόλβιος, τρισάθλιος, τρισάσμενος. *inde Horatius, qui sæpe Græcissat, cùm Latinè reddere vellet hæc duo vocabula,* τρισκαρτερόφρον, *&* τριχαλκεόφρον *scripsit,* illi robur & æs triplex circa pectus erat.

DEBEMVS] *Malaspina afuisse scribit à quibusdam suis verbum hoc,* debemus. *nos contra in omnibus nostris id exaratum reperimus: & sanè abesse non potest sine magno sententiæ incommodo. indicat enim* Cicero *abstinendum esse à cædibus domesticis, vt declararunt* XXVIII. *iudices, qui Procilium, huiusmodi cædis reum, condemnarunt. verumtamen non oportere id ipsum, id est, cædes domi fieri solitas abundè, id est, valde refugere. inueniri enim qui eas ferant, quales fuere* XXII. *illi iudices, qui Procilium absoluerant.*

VERITA EST enim pusilla] *Primùm à mendis huc locum vindicabimus, tum qui sit eius sensus aperiemus. more autem & instituto nostro proferemus scripturam veterum codicum, ex qua hanc nostram conformauimus. Tornæsianus, Huraltinus, & Crusellinus sic habebant,* veritas est enim pusilla ne animum Publio offenderet. *eadem erat lectio Decurtati, extra quam quod pro,* animum Publio, *edebat,* animi in Publio, *rectè meo quidem iudicio, atque ita excudendum curaui. id præterea mutaui, quòd pro,* veritas, *reposui,* verita, *& pro,* offenderet, offenderer, *vt totus hic lo-*

cus ita conciperetur; verita est enim pusilla, quæ nunc laborat, ne animi in Publio offenderer. *offendi animi ita dicitur, vt angi animi, discruciari animi, quæ verò fuerit ea pusilla, cuius hîc mentio fit, mihi non constat: puto fuisse Procilij vxorem, sorerémque P. Clodij, quæ cupierat quidem* Ciceronem *patrocinari Procilio: sed quia P. Clodius eiusdem caussæ patrocinium susceperat, quocum* Cicero *graues inimicitias exercebat, maluit illa* Ciceronem *tacere, quàm si is animi offenderetur, quòd socium haberet in Procilij defensione P. Clodium.*

QVAE nunc laborat] *Cui malè est ob Procilium damnatum.*

A. M' Curio] *Hoc est à Manio Curio. prauè enim quidam scribunt à M: id est à Marco.*

ROSIA] *Nominandi casu legendum* Rosia.

IS ERAT ante] *Decreuerat dominus Antiphontis, qui ludos edebat, illum merito vel immerito donare libertate. ideo scribit* Cicero *illum manumissum prius fuisse, quàm productum; quod siue vicisset, siue non, certum esset eum manumissum iri. Victoriæ præmium in seruis histrionibus erat manumissio.*

PALMAM tulit] *Quamuis Antiphon impar fuerit ceteris omnibus, præter quam Astya, palmam tamen tulit, hoc est, manumissus est.*

NIHIL tam. verum] *Interpungi debet post voculam*, tam. *est enim* ἀποσιώπησις *per quam familiaris huic auctori in his epistolis.*

QVAM Astya. nam] *Omnes ad vnum manu-*

scripti nostri, quam Astyanam; *quæ scriptura mendo caret, modò apte distingatur. Astya nomen est histrionis. particula verò,* nam, *cùm sit* ἀπολογικὴ *superiorum, iungi debet cum sequentibus.*

ORATIONIBVS indices] *Indices sunt tituli orationum, vt pro T. Annio Milone, pro M. Marcello. quia verò clarissimos viros defensurus erat, idcirco ait suis orationibus indices gloriosos parari.*

IN EPISTOLAM XVI.

IOCVLATOREM] *In tradendis artis praeceptis non solet esse locus iocis. ea enim tractatio spinosior est quã vt sermonis vrbanitatẽ in disserẽdo recipiat. ideo* Cicero *ab ea Scæuolã ioculatorẽ exclusit.*

DE PROCILIO] *Editiones quædã, in iis Victoriana,* De prœlio, *mendosè. nos veteres nostros codices sequuti sumus, in quibus planè exaratum erat,* De Procilio: *de quo epistola superiori.*

NON MI hili] *Codices Tornæsianus, & Crusellinus,* non mihi, vt quod: *Decurtatus,* non mihi, vt qui. *mendum ita correximus,* non mi hili, vt qui. *sensus est, Senatusconsultum de prouinciis Cõsularibus non est mihi hili, hoc est, id Senatusconsultũ hili non facio, vt qui iã intellexerim enunciationẽ Memmij, cuius caussa factum est illud Senatusconsultũ, valde Cæsari displicere: cuius cùm valde intersit id Senatusconsultũ irritũ fieri, nõ dubito quin, quod eo cautum est, ad nihilum racasurũ sit. tanta est enim eius auctoritas, vt id facilè impetraturus sit à Senatu. Ex,* mihi, *feci,* mi hili. *nã sæpenumero in his etiã epistolis,* mi, μονοσυλλάβως *scriptũ reperias, pro,* mihi.

OPIMIVS VEIEN.] *Exemplar Tornæsianum,*

Veientorantius: *Scidæ*, Veientroantius, *rectè, modo ita distingatur*, Opimius VEIEN. TRO. Antius: *hoc est*, Opimius Veientina, Tromentina Antius. *nomina sunt Tribuum, in quarum prima censebatur Opimius, in altera Antius. sæpe enim Tribubus desi gnari solebant ciues Romani. Cœlius in epistola ad Ciceronē*, scribēdo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Iulius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Atteius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. *hîc senatores sex senis Tribubus indicantur, L. Iulius Annalis Pomtina, C. Septimius Quirina, C Lucceius Hirrus Pupinia, C. Scribonius Curio Popillia, L. Ateius Capito Aniensi, & M. Oppius Terentina. Ceterùm de Veientina Tribu nihil attinet dicere. res ēnim notior est quàm vt egeat probatione. De Tromentina sic Festus*, Tromentina Tribus à campo Tromento dicta. *huius mentio habetur in hac inscriptione Perusina.*

C. BETVO. C. F. TRO.
CILONI. MINVCIANO.
VALENTI. ANTONIO.
CELERI. P. LIGVVIANO.
AEDILI. II. VIR. CVINO.
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR.
VMBRIAE. XV. POPVLORVM.
PATRONO. MVNICIPI.
BETVRES. PECTILLA. FILIA.
PATRI. PIISSIMO. L.D.D.D.

ANTIVS] *Huius Antij meminit paullo post, cùm scribit,* ibi loquetur præter Antium, & Fauonium nemo.

RES cedit] *Non probo lectionem Manutianam,* res ad Senatum; *quia nimis discrepat à veteri scriptura,* rescidit. *potiorem hanc duco,* res cedit.

HABERI esse è re] *Libri formis impressi,* haberi censere, *prorsus ineptè. hæc enim non cohærent,* censuerunt comitia haberi censere. *in Decurtato erat,* haberi cessere: *correxi,* haberi esse è re, *optimo sensu. patres ita censuerunt; esse è re, id est, vtile esse comitia haberi. fortasse etiam illud,* è re, *compendio scriptum fuerat à Cicerone pro,* è Republica. *sic libro primo ostendi exaratum esse in nostris antiquis,* spe recorrigendæ, *pro,* spe Reipublicæ corrigendæ.

HAVES] *Vt antea docui scriptum esse,* haberet, *pro,* haueret: *sic hoc loco deprauatè legebatur,* habes, *pro,* haues.

VINVLAM] *Mei omnes,* nullam, *præter Decurtatum, in quo erat,* vt nullam: *vnde feci,* vinulam. *rem vinulam appellat, rem lepidam, & elegantem, quæ ad se videndam, & tractandam quemuis alliciat. rem, inquit, vinulam desideras, cùm cupis hæc negotia plurium nundinarum fore: vt scilicet quamplurimi ea intelligant, & risu excipiant. nam ad nundinas solebant frequentes cõuenire. Nonnius vinulum interpretatur illecebrosum, explicans illud Plautinum, oratione vinula, venustula.*

NVNC vt opimiorem] *Non discrepant à vulgatis manuscripti mei. omnes enim habent*, nunc vt opinionem habeas rerum. *ego paucis mutatis, veram, nisi fallor, lectionem reposui, hoc modo*, nunc vt opimiorem habeas reum. *παιρεργαστικῶς enim Vatinium indicat, qui ceteris reis locupletior erat, & opulentior, eóque nomine postea repetundarum postulatus est, quòd Syriam prouinciam expilasset, vnde ingentes illas opes congesserat. sed & à Ptolemæo, vt eum reduceret, vim maximam pecuniarum extorserat: cuius reductionis caussa Maiestatis accusabatur. opimus hîc significat locupletem, & onustum præda. idem* Cicero *libro* III. *in Verrem*, indignum isti videri cœpit ex tanta æde, tantóque opere se non opimum præda præsertim à pupillo discedere.

ILLE vt ferebat] *Quomodo, inquies, ferebat Pompeius me in ea caussa liberè & constanter aduersus Gabinium agere? humaniter, inquam, & placidè, quoad mihi satisfactum esset ab ipso Ganio, qui me, per summam iniuriam, dum Consul esset, in exilium egerat. ita, inquam, fauebat Gabinio Pompeius, vt mihi tamen ab eo satisfieri vellet.*

γοργεῖα γυμνὰ] *Fœdissimæ maculæ hunc locum occuparant. in Tornæsiano erat*, ΠΟΡΠΑ ΠΤΜΝΑ: *in Decurtato*, ΠΟΡΓΙΑ ΠΥΜΝΑ: *emendaui*, ΓΟΡΓΕΙΑ ΓΥΜΝΑ. *deprauatio inde fluxit, quòd imperiti librarij non internoscerent τὸ Π à littera Γ, sed figurarum similitudine plærumque fallerentur. vtraque enim littera quandoque eadem*

effingitur pæne forma; hócque tantùm interest inter amicas, quod icmoni τοῦ Γ, ut inde Π fiat, adiicitur pusilla quadam linea deorsum ducta in hunc modum Γ'. Accusatores Gabinij Cicero vocat γοργεῖα γυμνὰ, quòd ij nihil præ se ferrent, nisi terrorem quendam inanem; quo genere formidabiles videntur laruæ. nam γοργεῖα sunt προσωπεῖα καὶ μορμολύκεια, ut ait Hesychius, sumpta notatione ἀπὸ τῆς γοργοῦς, ὅτι γοργότητα καὶ φόβον ἐμποιεῖ. addit autem γυμνὰ, quod laruæ illæ nemini notæ non essent, ut quæ nudæ apparerent, detracta omni simulatione, tamquam veste.

OMNEM non modo] *Ex Scidis & Tornæsiano edidi,* omnem non modò: *quam lectionem quis reiiciat?*

INDICIA] *Male quidam excusi,* iudicia. *legēdum enim, ut est in priscis manuscriptis,* indicia.

E Sopolidis pictoribus] *Littera R, & S, adeo ambigua forma expressæ sunt in codice Tornæsiano, ut vix alterā ab altera internoscas, incertúmq; sit,* Sopolidis, *an,* ropolidis *hîc exaratū sit. qua re olim inductus putaui legendū esse,* è rhopopolidis pictoribus, *auctórq; fui Lābino ut ita corrigeret. verùm postea nactus codicem Decurtatū, ubi disertim scriptum est,* Sopolidis, *errorem meū agnoui. itaq; nunc edidi,* è Sopolidis pictoribus, *ut planè est in Decurtato, atque etiam in Tornæsiano, nisi quod ab hoc abest præpositio è. pictores Sopolidis vocat quorum opera Sopolis utebatur in pingendo, aitque hunc Gabinium unum de illis fuisse. Sopolis autē pictor fuit*

celeberrimus tempore Ciceronis, cuius meminit Plinius libro XXXV. *his verbis,* Lala Cyzicena perpetua virgo M. Varronis iuuenta Romæ & penicillo pinxit, & cestro in ebore imagines mulierum maximè, & Neapoli Ianum (*ita lego, non, vt vulgo est,* Neapolitanũ) in grandi tabula, suam quoque imaginem ad speculum: nec vllius velocior in pictura manus fuit: artis verò tantum, vt multum manu pretio antecederet celeberrimos eadẽ ætate imaginum pictores Sopolin, & Dionysiũ, quorum tabulæ pinacothecas implent. *quamquam vulgata Plinij exemplaria,* Sopylon, *edunt, non,* Sopolin. *sed in manuscriptis duobus legi,* Sopolin.

AC Accensum] *Copula, ac, deerat in vulgatis, quam ex Decurtato addidi.*

REVS P. lege Maiestatis] *Expressi scripturam antiquorum nostrorum,* reus P. lege Maiestatis. *nota P. significari puto Papiam legem, cuius proximè mentionem fecerat. De Papia autem Maiestatis nihil alibi vmquam legi. Papiæ de peregrinis vrbe expellendis meminerunt Cicero libro tertio officiorum, & Dio libro* XXXVII. *Alterius item Papiæ de sociis Latinis idem Cicero in Corneliana.*

OY σ' οἶδ' Ἄρης ἅμα Παφίῃ] *Hunc locũ imperitia librariorũ fœdissimè corruptũ, nos, ope veteris Decurtati, primi hoc tẽpore suo nitori restituimus. nam cùm ita scriptũ reperissem in optimo illo libro* OY ΣΟΙΛΑΡΗΣ ΑΜΑ ΑΦΙΗΙ, *ductus vestigiis veteris scripturæ repósui,* οὔ σ' οἶδ' ἄρης ἅμα παφίῃ? *primùm enim animaduerti* τὸ C, *esse* Σ. *ita*

enim id veteres fingebant, vt C *Latini speciem præ se ferret, vt perspicuũ fit ex veteribus libris. deinde, quà exaratum erat,* ΟΙΛΛΑΡΗC, *indicaui librarium mendosè alterum* Λ, *pro* Δ, *alterum pro* Α, *scripsisse. nam librarij Latini præsertim imperiti has tres litteras* Α, Δ, Λ, *eadem pæne forma depingentes, facilè alteram subiiciebant alterius loco. denique* τὸ Π *prætermissum fuisse existimaui oscitantia librarij in his verbis*, ΑΜΑ ΑΦΙΗΙ. *Latinè autem hæc sonant, nónne scio, ô Mars, te esse consuesse cum Paphia? ita enim ea accipio, quasi explicatè scriptum esset,* οὐκ οἶδα σὲ, ὦ Ἄρης, γεγόνότα, *aut,* φιλοῦντα εἶναι ἅμα τῇ παφίῃ? *quasi diceret, necesse nihil fuit meo exemplo mihi probare Martem coniunctum esse cum Paphia. id enim satis aliunde didiceram.* Ἄρης *hîc Atticè positum est vocandi casu pro* Ἄρες, *&* μετωνυμικῶς Ἄρης *pro cæde, & morte cruenta, vt apud Sophoclem in Aiace lorario,* πεφόβημαι λιθόλευστον ἄρην ξυναλγεῖν μετὰ τοῦ δε τυπείς. *aiebat enim accensus ille Gabinij se magno suo malo re ipsa compertam habere consuetudinem Martis cum Venere Paphia, quòd lege Papia capite pænas daret. interim alludebat ad nomen legis Papiæ, quasi id à Paphia venere originem duxisset: alludebat etiam ad fabulam Martis & Veneris, quos mutuis complexibus herentes Vulcanus arctissimè colligauit, eorúmque furta diis omnibus palam fecit, vt est apud Homerum Odyssea* VIII. *Porro* τὸ ἅμα *non modò* χρονικὸν *est, sed etiam* τοπικὸν, *vt notat Simplicius in Categorias Aristotelis,*

& Eustathius ad hunc locum Odysseæ XV. *ἅμα δ' ἠοῖ φαινομένηφι δειπνήσας ἅμ' ὕεσσιν ἀνακλοείησιν ἔπεσθε. inde apud Aristophanem ἅμ' ἐμοὶ, pro, mecum. itaque ἅμα παφίῃ, hîc est, vnà cum Paphia.*

APPIVS sine lege] *His verbis*, Appius sine lege suo sumptu in Siciliã cogitat, *ea adtexuimus, quæ hinc auulsa vitiosè translata fuerant in sequentem epistolam: ea autem sunt*, Paccianæ epistolæ respondi, *& quæ sequuntur vsque ad finem epistolæ. Contrà quæ vulgo his subiungebantur, puta,* Ab Quincto fratre, & à Cæsare accepi A. D. IX. KAL. Nouemb. litteras, &c. *vsque ad finem epistolæ, ea in eorum locum substituimus, quæ illinc mota hîc affiximus.*

IN MONVNENTVM illud] *Iussi vt excuderetur*, in monumentum illud, *vt erat in Decurtato. nam in aliis, vt in vulgatis, deerat præpositio,* in. *Scribit se contempsisse, id est, liberaliter insumpsisse, & quasi profudisse centies Sestertium in monumenti illius ædificationem.*

QVID celabo te] *Varia est huius loci lectio pro codicum diuersitate. ego eam edidi, quæ erat in Decurtato*, Quid? celabo te res Romanas? *ait monumentum illud ea saltem re profuturum Attico, vt non ignoret id nuper constructum fuisse Romæ. nam Attici interesse putabat, vt certior fieret de rebus omnibus Romanis.*

VT abis totiens] *Victorianam lectionem*, vt abis totiens, & tam longè abes, *confirmant veteres nostri. Queritur* Cicero *Atticum Roma sæpissimè*

discedere, & diutissimè abesse. nam, longè, *hic significat diu. Plautus Sticho*, quamdudum in portum huc venis? longissimè.

VTINAM valeat] *Tornæsianus ante vocem*, vtinam, *hoc amplius habebat*, hoc quod dixi tantum: *quæ verba è glossemate quodam manarunt.*

IN EPISTOLAM XVII.

GERMINA] *Tornæsianus*, germa; *Decurtatus*, gerina: *scripsi*, germina. *quo nomine significari puto nouam subolem ciuium Romanorum, mirum quantum à veteri prosapia degenerantem.*

NE puta, vide] τὸ ne *importunè coierat cum voce*, germina: *id nos inde abscidimus, & hæc ita distinximus*, ne puta, vide. *vult enim hanc rem ita persuasam esse Attico, quasi eam videat, non ex alterius sermone veram existimet. plus enim oculis credendum est, quàm cuiusquam assertioni. idcirco ait, ne puta; quia plerúmque fallax est opinio; sed vide, & oculis intuere, quorum fides est certissima.*

IN te est nostri] *Vulgati*, in te est noster: *meliùs manuscripti quos habuimus*, in te est nostri.

IN EPISTOLAM XVIII.

NEQVE enim sunt eæ] *Post verbum*, sunt, *Decurtatus addit vocem*, eæ, *quæ in excusis desideratur. quamquam ita Lambinus etiam legit.*

LEPIDVM quo exedar] *Codices Tornæsianus, Crusellinus, & Huraltinus nihil hic differunt à vulgatis: Scidæ pro,* excidat, *habent,* exedat; *vnde legendum existimaui,* exedar; *vt hæc sit horum verborum sententia; dictu lepidum, & vrbanum est qua re crucier, & macerer. id verò* Cicero *εἰρωνικῶς scribit, cùm ea de re securi esset animi: ideo paullo post subiicit,* perspice æquitatem animi mei. *exedi hîc est rodi, & cruciari: Plautus Epidico,* expectando exedor miser, atq; exenteror.

COGI ἀκηδείᾳ] *Mira loci deprauatio. Tornæsianus habebat,* & eo magis nunc coci ace dictatum fluere, &c. *Decurtatus,* & eo magis nunc cogi aκedicatum fluere, &c. *correxi,* & eo magis nunc cogi ἀκηδείᾳ, tum fluere iustitio, & omnium rerum licentia. *Dixerat Memmium diremta coitione refrixisse, id est, studia amicorum amisisse. nunc docere vult eundem, cum se contemni & despici videret, pœnitentia ductum diremtæ coitionis, iterum quauis ratione tentasse amicos cogere. eo magis, inquit, Memmius nunc cogi, id est, cogebatur, & coibat ἀκηδείᾳ, hoc est, διὰ τὴν ἀκήδειαν, ὅτι ἀκηδὴς καὶ ἀτημέλητος ἦν: quia neglectui erat. nam ἀκήδεια hic παθητικῶς accipitur, vt apud Homerum ἀκηδὴς Odysseæ sexto,*

εἵματα μέντοι κεῖται ἀκηδέα σιγαλόεντα.

Quãtum autem ex vestigiis veteris scripturæ consequi possum scripserat Cicero ἀκηδείᾳ per ει diphthongum, vt & Apollonius in Argonauticis

μηδὲ μ᾽ ἀκηδείῃσιν ἀφορμηθέντι λιπόντες.

Porro cogi valet coire, aptéque respondet metaphoræ verbi, refrixerat. *nam qui refrixerunt cogi solent, & veluti in globum contrahi, vt dissipatum calorem concitent, & compellant.*

TVM fluere] *Cogebatur, id est, coibat Memmius, qui antea refrixerat, vt amissa studia amicorum repararet: fluebat, quia dissolutè & licenter quiduis faciebat, cùm iustitium esset. interim aduerte elegantem ἀντίθετον horum verborum,* cogi, *&*, fluere.

SELICIANE] *Edidi scripturam meorum,* Selicianæ. *Sic etiam libro* XV. *harum epistolarum iidem libri habent,* Seliciam, *pro,* Seleuciam.

IN LIBRVM V.

IN EPISTOLAM I.

CVRASTI probe] *quòd bona Milonis addicta sunt Philotimo, vt mandaram.*

SATISDATIONES secundum mancipium] *Vt meliùs intelligatur quæ sint satisdationes secundum mancipium, id primùm animaduertendum est, hîc agi de emptione bonorum Milonis, quem* Cicero *Annium Saturninum vocat: tum id notandum, ea bona, Milone damnato, auctione, vt moris erat, veniisse, addictáque fuisse Philotimo* Ciceronis *liberto, ea lege, vt, si præsenti pecunia satisfacere non posset creditoribus Milonis, certè eis satisdato caueret. nam ex bonorum publicatione id tantùm*

ad ærarium redibat, quod supererat soluto ære alieno. potior enim erat creditorum caussa quàm ærarij. Iabolenus de iure fisci, non possunt vlla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superflua sunt. id enim bonorũ cuiusque intelligitur, quod æri alieno super est. *itaque idem in eius bonis obseruatum fuisse puto, qui exilij caussa solum verterat, quod in illius, qui latitaret; vt scilicet creditores hastæ quendam præficerent, vulgo magistrum auctionis appellatum, qui absentis bona ei qui plurimo licitus esset manciparet; ea lege, vt is creditoribus aut omnino satisfaceret, aut aliqua ex parte, vt dicta lex fuerat, inquit Theophilus, cum iis decideret; & si quid, soluto ære alieno, superesset, id in ærarium referret. cùm ergo Philotimus emeret bona Milonis, necesse erat vt aut præsentẽ pecuniam numeraret creditoribus, aut eis satisdato caueret, præsertim cùm esset plærisque suspecta noui hominis, hoc est, liberti fides. quamquam nihil ille fecerat nisi mãdato Ciceronis; qui cùm cuperet, quod posset, e bonis Milonis, in eius gratiam, seruare, nollet tamen ea sibi addici, quòd turpe putaret cùm alias, tum in amici caussa sectorem esse, Philotimi opera hæc agebat, coita cum eo societate. Idcirco, quòd emptio bonorum Milonis ad se potissimum pertineat, mandat Attico, vt satisdet creditoribus illius. Erant ergo satisdationes secundum mancipium, satisdationes quas interponi oportebat pro bonorum mancipatione, vt creditoribus cauerentur, quibus præsenti pe-*

cunia non satisfiebat. nam, secundùm mancipium, *est, pro mancipio. sic veteres dicebant vindicias secundum libertatem, & secundum seruitutem, & alia multa eius generis. De Philotimi societate in bonis Milonis, præter epistolam octauam huius libri, videnda est ea, quam idem Cicero scripsit ad M. Cœlium. De bonorum autem venditione, quæ à creditoribus fiebat, legendus Theophilus libro tertio institutionum, Titulo de successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones.*

PRAEDIORVM Memmianorum] *Duobus exemplis docet genus hoc sadisdationis nouum non esse, quòd in caussa Memmij, & Attilij, qui tunc exulabant, eodem modo satisdatum fuisset. Et sanè dubitari iure poterat an in mancipatione, siue addictione bonorum, quæ fiebat per magistrum auctionis, sadisdationi locus esset. nam, vt ait Vlpianus libro tertio de officio Proconsulis, res distrahi oportebat præsenti pecunia.*

IN EPISTOLAM II

ET tam longe] *Rectè legunt qui ita legunt,* & tam longè, & Hortensius: *quibus adstipulatur Decurtatus noster.*

EXPENSE è sua] *Ita Decurtatus,* expense è sua villa; *addita tamen, è, præpositione, alterius manu. eam lectionem sequutus sum. nam & in Tornæsiano exaratum erat,* expense sua villa. expensè *autem quid significet non video, nisi fortè*

multum, & impense. sed fortasse scripsit Cicero ex Pansæ sui villa, *quod & Pansa amicus fuerit Rufionis; & villam habuerit in agro Puteolano, vt & in Pompeiano, & Trebulano; de quibus duabus mentio fit epistola proximè sequenti. Vt ut sit, indicat* Cicero *Rufionem illum non valde liberalem erga se fuisse, sed statim, vt se vidit, discessisse. dicebant enim abituri*, numquid vis? *Terentius Hecyra:* sed numquid vis? nam est quod me transire ad forum iam oportet. *Idem Eunucho*: rogo numquid velit; rectè, inquit; abeo. *vbi Donatus*, significo me abire. nam abituri ne id durè facerent, numquid vis? dicebant iis, quibus cum constitissent. quid est ergo rogo numquid velit? dico quod abeuntes solent. *hactenus Donatus.*

BENEVENTVM cogitabam] *Compendiosè erat in Decurtato*, Beneuen., *quod interpretatus sum*, Beneuentum, *nam sic loqui solent Latini*, Beneuentum cogito, *non*, Beneuenti. *Idem Cicero lib.* XVI. *harum epistolarum*, sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito.

ESSE satis faciemns] *In omnibus nostris legebatur*, esse satis faciemus satis: *quam scripturam mendo carere puto, modò aptè distingatur: quod fiet, si post verbum*, faciemus, *addatur* τελεία στιγμὴ. *nam postremum*, satis, *indicat* Ciceronem *nihil addere voluisse superioribus, quòd satis, superque esse putaret quæ iam scripsisset. Illa autem priora*, esse satis faciemus, *hoc declarant; faciemus vt sit satis, ita vt nemo contentus non sit*

continentia, & diligentia nostra.

IN EPISTOLAM IIII.

AC ME ille] *Decurtatus & Crusellinus*, ac me ille illud quidem labat: *nec aliter Tornæsianus, nisi quod pro*, quidem, *habebat*, quod. *Ego ex*, illud, *feci*, illuc, *& pro*, labat, *reposui*, labar, *& ita interpunxi*, ac me ille: illuc quidem labar, non quo: sed inopia cogimur eo contenti esse. *concisa est oratio, & aliquantulum obscura, quam sic explico; ac me ille, quem nosti, valde rogat, vt sibi nuptui dem Tulliam: & sanè in illam conditionem descendam, non quia illam probem: sed quia, aliorum inopia, eo genero contentus esse cogor.*

VT nostro] *Genus de industria mutauit, &*, nostro, *pro*, nostra, *scripsit, vt hæc minùs intelligerentur*. nostrum, *cùm ait, Tulliam designat.*

ET, vt vis] *Vulgati libri*, & tuis, *de mendo constat, de germana lectione non item, quam ex Decurtato ita reposui*, &, vt vis.

ESSET quidem summè] *Plane sic est in Decurtato*, esset quidem summè facilis, *: in Crusellino, Huraltino, & Tornæsiano corruptè*, esset quidem sum facilis. *ille, inquit, qui tibi visus est non alienus, esset summè facilis, nec grauatè adduci posset ad accipiendam conditionem hanc nostrā. sed tu aberis cùm id agetur, & me etiam absente ea res fiet. itaque, quia neuter nostrum aderit, vereor vt id satis commodè confici possit.*

ET me absente res] *Omnes mei habebant*, & me absente res, *vt excudendum curaui. me absente, inquit, ea res agetur.*

HABEBIS mei rationem] *Veteres nostri partim*, mirationem, *partim*, mei rationem: *quod postremum procul dubio Ciceronis est. vult ita rem geri, tanquam ipse adsit. ideo petit vt sui ratio habeatur. nam in Comitiis absentium ratio non habebatur, quia absentes per procuratorem petere magistratus non poterant: in aliis rebus, in quibus fas erat procuratores interuenire, ratio habebatur. rogat ergo Atticum, vt hanc rem ita curet, vt ipse desiderari non videatur.*

DE illo quod Chærippus] *Videtur innuere quædam de se vulgata fuisse à Chærippo, quæ ipse reticeri cuperet. De illo, inquit, negotio, de quo palam questus est Chærippus aduersus me.*

ΠΡΟΣΝΕΥΣΙΝ sustilisti] *Atticus antea* προσνεύσιν, *id est, assensionem sustulerat, cùm scripserat* δυσδιάγνωστον *esse, velléтne is Tulliam vxorem ducere, qui non alienus videbatur. hîc verò iterum assensionem submouerat, cùm dubitarat quid in Chærippi negotio fieri oporteret.*

NE quid ad Senatum] *Ne ea de re quicquam Senatus intelligat.*

NAM de ceteris] ἀποσιώπησις. *nam de ceteris rebus, quæ ab aliis de me dicuntur, parum curo. aut de ceteris hominibus, ad quorum aures hæc de Chærippo peruenire poterunt, præter quam de Senatoribus, securo animo sum.*

VT agam amplius] *vt ampliora & maiora petam, quam quæ modò postulaui, id effice antequam proficiscaris. maiora petit tempore, cùm rem citò confici velit.*

MERA captio] *Lego,* mera captio, *vt est in Decurtato. meram captionem, hoc est, puram putam fallaciam esse scribit, quod scripserat Atticus, sibi chartam deesse, siquidem eius inopia minus multa scribebat. erant enim sat amplæ facultates illi ad chartam emendam, si ea egebat. iocatur ergo suo more. nam alio sensu dixerat Atticus sibi deesse chartam, nempe quòd totam chartam exarauerat, ita vt in ea nihil superesset vacui.*

DVCENTOS] *Non mutaui receptam lectionem: quamquam in Decurtato hoc nomen erat in litura; vt fortasse Cicero scripserit,* ducenties, *quo pacto legit Lambinus.*

PRAEFECTOS delaturum nouos] *Cur,* nouos? *quia vacationes, & iudiciariam caussam iis petebat. Vacationes vocat excusationes à muneribus militaribus, & aliis, quæ præfecti obire consuerant: causam iudiciariam, munus iudicandi inter Græcos. neutrùm tamen* Cicero *concessit. nam præfectis omnibus vacationes denegauit, vt apparet ex epistola* XI. *huius libri, & Græcis non Romanos, sed peregrinos, hoc est, Græcos iudices attribuit, vt scribit epistola prima libri sexti.*

IN EPISTOLAM VIII.

EMPTOR alienus,] *Et veteres libri, & res.*

ipsa docet legendum esse , alienus *. ait enim se idcirco Philotimum socium in bonis Milonis adhibuisse, quòd de eius fide non dubitaret . nam certò sciebat eum Milonis necessariis , & aliis creditoribus satisfacturum , quemadmodum postea satisfecit . Solebant Romani in negociationibus , & commerciis vti libertorum opera , vt aparet ex Plutarcho in* Catone *maiore , & aliis multis auctoribus . ea de causa* Cicero *sibi socium in bonis Milonis adiunxerat Philotimum libertum , cùm ea ab hasta emeret . emerat autem , ne ea emptori alieno addicerentur , hoc est , non amico , & non familiari ipsius Milonis . quo facto futurum erat vt Milo multis mancipiis , que secum abduxerat , spoliaretur . nam ea emptor alienus sibi vindicasset tanquam sibi mancipata cum ceteris illius bonis : quod nequaquam facturus erat Philotimus , qui in ea re nihil agebat , nisi* Ciceronis *consilio . Ceterùm in quibusdam libris , vt in Tornesiano , pro,* secum habet , *legitur ,* secura habet *: sed alteram lectionem ei prætuli . edidi etiam ,* posset , *pro ,* possit , *sequutus auctoritatem Decurtati , & Crusellini.*

IN EPISTOLAM IX.

CONGESSERANT] *Emendationem Manutij comprobat scriptura hæc Decurtati ,* congesserant : *cuius loco legitur in vulgatis ,* concesserant.

LEVCATAM] *Antiqui nostri , Leucatam :*

impressi Leucaten.

MAXIME de XX.] *Vulgati libri*, de CXX. *nos notam*, C, *expunximus, admoniti cum a vetustiore nostro, tum ab ipso Cicerone epistola* V. *huius libri.*

IN EPISTOLAM X.

A. D. VII.] *Perspicue erat in Decurtato, vt legendum Manutius censet*, A. D. VII.

VT PVTO & volo] *Compendiosè Decurtatus*, vt puto & volo belliss. *pro*, bellissimè. *sic alio loco in his epistolis*, qui VI. VII. diebus florentiss., *pro*, florentissimus.

ΔΥΣΕΞΙΜΗΤΑ] *Idem ille codex vetustissimus, & optimus*, ΔΥΣΕΞΙΛΛΗΤΑ, *vitiose. dissecto* M. *in duplex* Λ. *scribi enim debuit, vt restitui*, ΔΥΣΕΞΙΜΗΤΑ: *quo nomine significantur res imis sensibus demersæ, & abditæ, quæ, vt palam fiant, vix inde educi, & proferri possunt. nam* δυσεξίμητον *idem est quod* δυσανίμητον. *alterum enim* ἀπὸ τοῦ ἀνιμᾶν, *alterũ*, ἀπὸ τοῦ ἐξιμᾶν *originem ducit. aptè autem vocabulum hoc respondet illi alleri*, βαθύτης, *quo taciturnitas indicatur, quam Cicero ipse miram esse prædicat. sed de eo nos plura alio loco.*

VRBS duntaxat] *Totum hunc locum ita descripsi, & distinxi ex Scidis*; vrbs duntaxat ?: & vrbis ornamentum, & hominum amores in te, & in nos quædam beneuolentia: sed

multùm & philoſophia.

ANΩ χάΤω] *Gracè ſcriptum erat in Scidis* ἄνω χάΤω *: Latinè in Torneſiano & Decurtato*, ſurſum deorſum. *ego Ciceronem Græcis verbis vſum puto.* ἄνω κάτω *id eſſe dicitur, quod ita perturbata quodam mutabilitate variat, vt nulla ſede ſtabiliatur, & hæreat; ſed modò ſurſum feratur, modò imo loco deſidat. Itaque cùm Academici in nullius magiſtri verba iurarent, nihilque certi affirmarent, eleganter* Cicero *duabus his vocibus eorum ſectam deſignauit. ſenſus ergo eſt:* ἄνω χάΤω *ſi quid eſt, hoc eſt, ſiquid eſt Academicæ philoſophiæ, id totum eſt in Ariſto, qui frater fuit Antiochi, cuius idem* Cicero *meminit libro ſecundo Academicarum.*

INVICEM] *Torneſianus*, iunctim; *ceteri vulgatam lectionem retinebant.*

IN EPISTOLAM XI.

MARCELLVS fœde] *Ex veſtigiis veteris ſcripturæ edidi*, fœdè de Comenſi: *alij ſic*, fœdè in Comenſi, *eadem quidem ſententia, ſed verbis paulo remotioribus à vetere lectione. Indicat Marcellum fœde feciſſe, quòd in odium Cæſaris pœnas ſumpſerit de Comenſi quodam, tanquam de peregrino, cùm tamen is ciuitate Romana donatus eſſet. Hiſtoria nota eſt.*

NOSTRO ac Cæſari] *Interieci particulam*, ac, *inter*, noſtro, &, Cæſari, *ductus Scidarum auctoritate.* noſtrũ *cùm dicit Pompeium intelligit.*

VNA Cn. volusius] *Pro*, nam, *quod erat in excusis, reposui*, vnà, *vt habebat Decurtatus. indicat enim Cn. Volusiũ vnà venisse cum Pomtinio.*

ADERAT Quæstor] *Ita distingo*, aderat Quæstor, tuus vnus Tullius aberat: *vt vox*, tuus, *ad Tullium referatur, non ad Quæstorem. nam quod quidam Cn. Volusium Quæstorem fuisse putant, valde falluntur. duos enim Cicero tantùm habuit Quæstores, Mescinium Rufum in Asianis diœcesibus, Cælium in Cilicia; vt partim ex his epistolis apparet, partim ex illis, quæ scripta sunt ad familiares,*

ΕΠΕΙΟΝ ἀεὶ] *Legebatur in Tornæsiano* ΕΠΙΚΟΝ ΔΕΙ: *in Decurtato, & Crusellino* ΕΠΙΧΟΝ ΔΕΙ, *per* Χ: *emendaui* ἐπεῖχον ἀεὶ. *nam Latini librarij sæpenumero alteram è duabus vocalibus, quæ diphthongum conflabant, omittere solebant. itaque in vetustiori nostro suprà, pro* ΓΟΡΓΕΙΑ, *exaratum est* ΓΟΡΓΙΑ, *vt hîc* ἐπιχον, *pro*, ἐπεῖχον. *iidem etiam, vt antea docuimus, non rarò has litteras* Δ *&* Α *inuicem commutabant. hinc mendosè scriptum est* ΔΕΙ *pro* ἀεὶ. *Ceterùm indicat Cicero se de illis nauigiis, quæ littus Atticum legebant, identidem alicuius cursum repressisse, vt id sibi retineret. est enim* ἐπέχειν *sustinere cursum eius rei, quæ impetu feratur, vt de remora scribit Aelianus, quæ nauem currentem sistit:* ἡ δὲ ἐχενηΐς, *inquit*, ἐπέχει τὰς ναῦς, καὶ ἐξ οὗ ποιεῖ καλοῦμεν αὐτήν. *inde* ἐποχὴ *Academicorum. Victorius* τὸ ΔΕΙ, *quòd in suo quoque exemplari*

fuiſſe teſtatur, malè putauit repetitum fuiſſe ex ſequenti voce, de. *idem non leuiori culpa repoſuit* ἐπίκωπον, *pro* ΕΠΕΙΧΟΝ. *nam præterquam quod ea lectio nimis abeſt à vetere ſcriptura,* ἐπίκωπον *hîc ferri non poteſt, niſi fateamur Ciceronem ineptè genus ſpeciei ſubieciſſe, biſque idem dixiſſe. nam* δίκροτα *ſunt de genere* τῶν ἐπικώπων. *itaque qui ait ſe* ἐπίκροτα *habere, & aliquid* ἐπίκωπον, *ſimilis eſt ei, qui tradit ſe Chium, aut Falernum habere, & aliquid optimi vini. Quod autem* δίκροτα *de genere ſint* τῶν ἐπικώπων *vel ex eo conſtat, quòd* δίκροτα *vocantur rates* διήρεις: τὰ ἐπίκωπα *verò non modò* διήρεις *&* τριήρεις, *ſed omne nauigiorum genus complectantur, quod remis impelli ſolet. Polybius,* ἐπὶ Ποπλίου συνθήκας ἐποιήσαντο Ῥωμαῖοι καὶ Καρχηδόνιοι μὴ ἔχειν μήτε κλᾶσθαι Καρχηδονίους πλοῖον ἐπίκωπον πλὴν δέκα τριήρων καὶ τῶν ἀλιευτικῶν, καὶ περιχώρων, ὧν οὐδὲν ἦν δεκασκάλμου μεῖζον.

NI præfectis excuſationi ſis] *Vitioſi ſunt hoc loco vulgati omnes codices, & plerique manuſcripti, in quibus pro,* ni, *legitur,* in. *Decurtatus planè ſcriptum habet,* ni præfectis excuſationi ſis, *vt excudi iuſſi. ſenſus eſt, niſi tu præfectos excuſari volueris à muneribus militaribus, & aliis, quæ obire debent, deferto quos voles. eos enim accipiam. Vide quæ ſupra tetigi de vacationibus præfectorũ epiſtola ſeptima huius libri.*

VARONES] *Scripſi varones partim veterum librorum, partim Cornuti priſci grammatici ductus auctoritate. is enim ad eum Perſii locum,*

Varo regustatum digito terebrare salinum
Contentus peraget.

sic scribit, vt in veteribus membranis reperi, varo, id est, fatue, & stulte. vari lingua Gallorum. vnde varones dicuntur serui militum, qui vtique stultissimi sunt. *hic ego pro,* lingua Gallorum, *lego,* ligna calonum. *nam varos eodem pene significatu, nempe pro amitibus, & furcillis, quibus retia attollebantur vsurpauit Lucanus hoc versu,*

dispositis attollat retia varis.

atque sic hoc nomen explicat vetus eius Poetæ interpres, nondum in lucem editus, cuius mihi aliquando copiam fecit clarissimus, & doctissimus vir Iosephus Cassianus Senatus Burdegalensis Præses, cuius interitu ego summum amicum, & studiosi litterarum eximium patronũ amiserunt. Vetustissimi huius interpretis verba hæc sunt, vari sunt furculæ quæ casses sustẽtant. *ab his varis dictus est vallus, quasi varillus, quem calones ferebant. vtque* ἀπὸ τῶν κάλων *id est à lignis calones, sic à varis appellati sunt varones. vtitur hac voce, eadem, qua hic* Cicero, *notione Lucillius apud Festum in hoc versu*

Varonum & rupicum squarrosa incondita rostra.

sunt ergo varones Ciceroni *& Lucillio homines bardi & stupidi, cuius modi olim erant calones, hócque nomine* Cicero *notat Epicureos, qui plus palato sapiebant, quàm animo. idem in epistola ad Papirium Pætum,* ille varo te putabat quæsiturum vnum cælum esset, an, innumerabilia,

NAM mihi] *Non id vult Cicero, Patronem sibi ter dixisse, sed Patronem dixisse, Atticum ter ad se scripsisse.*

NOMANANΔPIAN] *Pro, νομανανδρίαν, vt est in Decurtato, hactenus deminutè editum fuit νομανδρίαν, vitio librariorum, qui mediam syllabam, quam geminari oportuit, semel tantum scripserunt. Vocat* Cicero *νομανανδρίαν ignauiam in præfecturis, hoc est, publicorum munerum, & maximè militarium detrectationem in regendis præfecturis, quam alio loco apertius vacationes appellat. νόμοι dicuntur à Græcis oppidorum Præfecturæ. Plinius libro quincto de AEgypto loquens* diuiditur, *inquit*, in præfecturas oppidorum, quas nomos vocant. *ἀνανδρία autem est munerum, quæ viros fortes decent, ignaua detrectatio; quo vitio insignes erant qui vacationes in præfecturis postulabant. erat enim ignauorum, atque adeo effæminatorum optare huiusmodi ἀλειτουργησίαν, quam cùm* Cicero *statuisset memini concedere, putabat Atticus eum idcirco noluisse sibi rescribere, ne contra propositum facere, aut amici petitionem aspernari videretur. petebat enim Atticus vacationes iis, quos præfectos deferebat. quocirca rogat illum* Cicero, *vt eam suspicionem à se amoliatur, neque pro excusatione non missarum litterarum accipiat illam νομανανδρίαν. non enim ea de causa se intermisisse officium scribendi. De vacationibus Præfectorum plura supra diximus.*

IN EPISTOLAM XII.

AD ceo] *Rectè Manutius*, ad Ceo, *vt est in Decurtato, & Crusellino. Sed & ita legendum esse docet ipsa itineris ratio. nauigantibus enim in Asiam, & maximè Ephesum, quo ibat Cicero, vt inde in Ciliciã pergeret, à Zostere iter erat ad Ceo. Porrò, Græcorum more, Ceo dixit quarto casu, vt illi* τὴν κέω. *Strabo de Artemidoro*, ὀνομάζει δὲ κέω τὴν ἐγγυτάτω τῇ ἑλένῃ.

NISI omina] *Densissimas tenebras, quibus offusus erat hic locus, dissipaui, prolato clarissimo lumine Decurtati nostri, vbi pro*, omnia ἀκρωτηρέων iura, *legebatur*, omina ἀκρωτηρίων uria: *vt si postremam vocem ita Græcè scribas*, ὄρια, *nihil hîc amplius obscuritatis iam supersit. vt verò singula verba expendam, omina* ὄρια *hîc dicuntur signa quibus secunda tempestas portendi solet. nam* ὄριον *Græci vocant quod secundo vento impellitur. ea porro omina captabantur* ἐκ τῶν ἀκρωτηρίων, *qua voce Græci significabant sigilla quædam, aut vexilla, quæ, ornatus caussa, summis partibus tectorum, aut nauium imponebantur, &, pro ratione ventorum, qui illa perflabant, modo in hanc, modò in illam partem flectebantur; ita vt ex eorum situ facile cognitu esset, qui ventus flaret. vulgo ea vocamus des girouetes, quod in girum agantur. Hesychius* ἀκρωτήρια *interpretatur* τὰ ἐπάνω τῶν ναῶν ἀνατιθέμενα ζῶα, *id est, animalia diis dicata, quæ*

fanis imponuntur: cuius generis sunt gallinaceorum statua, & alia sigilla supra eos pharos erecta, quibus tintinabula continētur. & sanè ex eorum positu ventorum flatus internoscuntur, vt & illarum pinnarum inflexu, quæ summis tectis infiguntur, quæ etiam ἀκρωτήρια dicuntur à Vitruuio. fuisse quoque in nauigiis ἀκρωτήρια indicat Xenophon libro secundo ἑλληνικῶν his verbis, ἀπάγων τάτε τῶν αἰχμαλώτων νεῶν ἀκρωτήρια. quāquam viri quidā docti sic rostra appellari putant. ego ἀκρωτήρια, ἀκροστόλια, & ἀκροκόρυμβα eadem esse existimo. Ex huiusmodi ergo acroteriis Cicero secundam nauigationem augurabatur.

VIR grauissimus] *Vulgati codices*, vir gratissimus. *Ego veterem scripturam expressi, edidique* grauissimus.

DE strue laterum.] *Emendaui*, De strue laterum, *cùm legissem in Tornæsiano & Crusellinio*, de strues alterum. *Cogitabat Cicero de aquæductu lateritio faciendo, cuius generis quatuordecim fuisse Romæ tradit Procopius libro primo.*

IN EPISTOLAM XIII.

SEXAGESIMO & quingentesimo] *Ineptè Manutius interpretatur pugnam Bouillam, diem discessus Ciceronis ab Attico, cùm Cicero his verbis diem notet, quo Clodius cæsus est à Milone prope Bouillas. at, inquies, numerus dierum non conuenit: non quidem in vulgatis libris, verùm aptissimè*

quadrat in Decurtato, vbi, pro, sexagesimo & quincto, *legitur,* sexagesimo & quingentesimo. *interfectus est Clodius, vt refert Asconius* XIII. KAL. *Februar. Cn. Pompeio* III. *Consule sine collega. hæc scribebat Cicero anno proximè sequenti, Ser. Sulpicio, M. Marcello* COSS. *Ab eo verò die, quo cæsus est Clodius, vsque ad eum quo Cicero venit Ephesum, qui fuit* XI. KAL. *Sext. dies sunt quingenti & sexaginta: quam summam reperies si duo & viginti dies, qui eo biennio intercalati fuerunt, ceteris diebus annumeres, & ex Macrobio, & Censorino statuas tum menses hoc dierum numero constitisse, Ianuarium,* XXIX. *Februarium,* XXVIII: *Martium,* XXIX: *Maium,* XXVIII: *Martium,* XXXI. *Aprilem,* XXIX: *Maium,* XXXI: *Iunium,* XXIX: *Quinctilem,* XXXI: *Sextilem,* XXIX: *Octobrem,* XXXI: *Nouembrem,* XXIX: *& Decembrem,* XXIX. *Annus enim antequam Cæsar Fastos emendaret erat tantum trecentorum & quinquaginta dierum.*

CVM Decumanis] *Scida,* cum Decumanis: *lego,* cùm cum Decumanis. *librarij enim alterum,* cum, *negligentia omiserunt. scribit se comitatum fuisse Publicanis, cùm Ephesum venit; fuisse etiam stipatum lictoribus innuit his verbis,* cũ imperio.

APOLLONIENSEM] *Scripsi ex Crusellino & Decurtato,* Apolloniensem, *ab vrbe Apollonia, quæcunque ea fuerit. nam eius nominis multas Stephanus enumerat.*

ECEVID

ECQVID iudiciorum] *Malaspina in quibusdam suis fuisse refert*, nunquid: *quod ex interpretatione germanæ lectionis*, ecquid, *profectum existimo. ea verò extat in Decurtato, & Crusellino.*

IN EPISTOLAM XIII.

MIHI adferebantur] *Nonnulli codices manu scripti*, adgerebantur. *ego vetustissimum meum sequutus sum, qui vulgatam lectionem retinebat.*

IN EPISTOLAM XIV.

CLAVVM anni mouebis] *Tornæsianus, & Crusellinus*, clauum animo verbis, *deprauatè quidem, sed proximè ad veram lectionem, quam sic edit Decurtatus*, clauum anni mouebis. *Vocat Cicero clauum anni, indicē & notā anni incipientis ex eo die, quo prouinciam ingressus fuerat: vt sibi eodē die anno vertente succederetur, atque ita clauus moueretur. nā clauis parietibus impactis olim apud Romanos anni notabantur, vt à multis animaduersum est.*

MOERAGENE] *Emendaui*, Mœragene, *ex Decurtato, quo modo etiam legitur epistola prima libri sexti. In Tornæsiano, & Crusellino, E, littera versa fuerat in, F, ex qua commutatione orta est vulgata scriptura*, Mofragene. *Ceterùm Atticus aliquid ab hoc Mœragene, serui cuiusdam fugitiui nomine, petebat, quem Mœragenes, vt*

coniicio, receperat. iocosè autẽ ait, signis collatis, *quod, cùm esset cum imperio, omnia armis acturus videretur, & vi Mœragenem adacturus ad satisfaciendum Attico.*

CILLANE non est] *Victorius edidit*, illane, *vt est in Tornæsiano, & Crusellino. reposui ex Decurtato*, cillane, *quo nomine puto significari mulionem, siue asinarium. nam* κίλλον, *vt ait Pollux, asinum Dores vocabant, quam vocem è Sicilia, cuius incolæ Doricè loquebantur, existimo fuisse in Latium translatatam. Inde idem* Cicero, *cùm* ἡμίονον *significaret, hemicillum dixit epistola penultima libri* XIII. *inest porro hîc senarius integer cum alterius præcedentis clausula, & ita distingui debet,*

Clitellæ boui
Sunt impositæ; Cillane, non est nostrum onus.

Verba sunt cuiusdam se bouem esse fingentis, & cillanum accusantis, quòd is sibi clitellas imposuisset, quæ asino, non boui, erant imponendæ. nam clitellis asinus, non bos, insterni solet. idcirco addit, non est nostrum onus.

SENATVM totum] *In nostris exaratum erat,* Senatum totum excites, *vt edidi.*

PLVRA scribam] *Cum interrogatione pronunciandum. plurane scribam per eum qui tibi tardè has litteras redditurus est? quasi dicat, minimè.* tardè redditure, *valet, per eum qui tibi tardè reddet. sic epistola* III. *libri* VII, vt nunc ni vno cuiui res ad resistendum sit, *id est, per vnum*

ciuem, vnius ciuis opera; & epistola XII. *libri* XI, *vt est in hac editione nostra*: tamen Nilo meo his verbis ad Cæsarem scripsi. *in epistola etiam Pompeij ad M. Marcellum & L. Lentulũ*, Dellio mandaram, quòd maiores copias sperabam nos habituros, vt si vobis videretur alteruter vestrum ad me veniret: *Id est, per Dellium mandaram. Ceterùm pro*, reddituro, *in Tornæsiano est*, redditu iri: *de qua scriptura ampliùs deliberandum censeo: nisi fortè legendum*, plura scibam tardè tibi redditu iri. *sed*, scribam, *non* scibam *in omnibus exaratum est, & commodior sensus ex illa, quàm hac scriptura elicitur.*

IN EPISTOLAM XVI.

TAEDET omninumos vitæ] *Malaspina emendat*, tædet omnino eos vitæ. *ego cùm exaratũ reperissem in Decurtato*, tædet omnimunos vitæ. *in aliis*, tædet omnium nos vitæ, *correxi*, tædet omninumos vitę. *omninumos vocat ditissimos homines, qui toti vndique nummati essent, aut qui omnis generis numis affluerent. sic Varro de re rustica asinos multinumos dicit. Adeo verò grauia erant imperata ἐπιχεφάλια, vt ne opulentissimi quidem homines ea possent persoluere, ideo mortem optarent.*

IN EPISTOLAM XVII.

HVNC locum muni] *Tàm in Scidis, quàm in Tornæsiano, & Crusellino est*, muni, *rectè omnino.*

IN EPISTOLAM XVIII.

CVNCTIS ferè copijs] *Victoriana lectio,* cunctis referto copijs, *vt scriptum etiam erat in Huraltino. sed in Decurtato, & Tornæsiano legebatur,* cunctis ferè copijs, *quod est, vt Græci loquuntur,* πανστρατιᾷ.

EXPEDITO ad mutandum] *Victorius edit,* ad mutandum locum. *potior tamen lectio est Decurtati, & Tornæsiani,* ad mutandum loco. *nam ad vocem,* loco, *referuntur illa superiora,* tuto, copioso à frumento, Ciliciam prope conspiciente: *vt sit, consedimus tuto loco, qui copiosus est à frumento, & Ciliciam prope conspicit, quique expeditus est ad mutanda castra: hoc est, qui exitus faciles habet.*

IN EPISTOLAM XIX.

VALETE Patron] *Hunc locũ ante aliquot annos ingeniosè ex coniectura correxerat eruditissimus vir Claudius Puteanus, supremæ curiæ Pariensis senator integerrimus, quam eius emendationem eousque probaui, donec mihi contigit codicem Decurtatum nancisci, vbi hæc ita exarata reperi, vt, quod ad sententiam attinet, Puteani confirment castigationem, aliquantulum tamen varient ab eius lectione. sic enim ibi leguntur,* etiam atque etiam valete Patron, & tui condiscipuli. *Audierat*

Cicero Atticum valde delectari filia, qua nuper auctus erat, eámque summo amore prosequi, qui amor à natura ipsa proficiscebatur: ideo cùm in ea re illum animaduerteret decreto Epicureorum aduersari, qui negabant φυσικὴν εἶναι τὴν στοργὴν τὴν πρὸς τὰ τέκνα, hoc est, insitum esse natura amorem illum, quo quisque filios cõplectitur, festiuè Attici nomine valere iubet Patronẽ Epicuri discipulum, & ceteros eiusdem condiscipulos, quasi Atticus Epicuri sectæ renunciaret. De hoc Epicuri decreto vide Arriani Epictetum.

QVOD scribis libente te] *Planè scriptum erat in Decurtato, vt edidi,* libente te: *quæ lectio perspicuè vera est.*

IN EPISTOLAM XX.

PINDENISSAE] *Decurtatus, Tornæsianus, & Crusellinus,* Pindenissæ, *& infra,* Pindenissum. *leniuit* Cicero *asperitatem vocabuli Barbari, quod Stephanus Grecè ita expressit, πιδνηδίσσος, id est, Pidnedissus. sic enim apud eum legendum, non, πιδνηλίσσος. nam librariorum imperitia τὸ Δ in Λ depranatum est. eodem errore apud Strabonẽ exaratum est πινδίνισσος pro πινδίδισσος. Postulabat autem analogia vt à Pindenisso fieret aut Pindenisseus, aut Pindenissensis, aut Pindenissita. sed quis tam superstitiosus criticus, qui barbaras voces ad culti, & politi sermonis normam exigat?*

SEPTIMO & quadragesimo] *Dissentiunt*

veteres libri à vulgatis in referendo numero horũ dierum. nàm Decurtatus, Tornæsianus, & Crusellinus habent, vt legimus, septimo & quadragesimo; *formis excusi*, septimo & quinquagesimo.

CELEBRITATEM] *Nostri omnes*, celebritatem, *quarto casu, vt codices Malaspinæ.*

OPPIDIS iis quà ieram] *Vulgati libri*, oppidis iis quæ erant, *nullo prorsus sensu. Decurtatus planè bellè*, qua ieram, *id est, per quæ iter feceram.* quà, *aduerbium est, vt norunt etiam pueri*. ieram, *autem dictum est pro*, iueram.

QVOD IDEM *dein*] *Concordant nostri cum iis quibus vsus est Malaspina. habent enim*, quod idem dein. *quorum verborum sensus est, quod idem, nempe vt superiores iniurias reuelleremus, deinde fecimus Apameæ. pertinebat autem maximè ad Proconsulis iurisdictionem ea animorum reconciliatio. idcirco mox subiicit*, nihil ea iurisdictione æquabilius, nihil lenius, nihil grauius.

CILICIA ima] *Vox*, ima, *deest in omnibus vulgatis, cuius loco legitur in Tornæsiano*, in: *sed ea planè omnibus litteris perscripta est in Decurtato. Vt vero ita legam adducor non modò auctoritate veteris illius libri, sed etiam loci situ. nam quà mons Amanus Syriam separat à Cilicia, totus is tractus magis expositus est ad Austrum, quàm reliqua Cilicia. Australes verò partes, vt docent Cosmographi, depressiores sunt ceteris.*

LIGVRINO Μώμῳ] *Quasi à Liguria fieret Ligurinus, facetè hunc μῶμον Ligurinum vocauit.*

verùm in eo nomine cudendo rationem habuit Græcæ originis, quòd is Momus λιγυρὸς esset, vt pluribus ostendemus in notis epistolæ primæ libri sexti, obscurè autem perstingit Hortensium.

NEC iam ego hanc] *Quidam veteres,* neç tam. *Decurtatum sequutus sum. iam, inquit, virtutem illam quæ voluptati resistit, non voco continentiam. nam expertus sum ipsam voluptatem in continentia potissimum versari. nihil enim mihi æquè voluptati est, atque continentia.*

VTRIQVE nostrum honestum] *In Tornæsiano, vt ante nos monuit Lābinus, & in Decurtato sic, vt edidi, legebatur,* vtrique nostrum honestum existimo. *paullo antè etiam in eisdem libris perspicuè exaratum erat,* Deiotarus, cuius auxiliis magnus vsus sum. *Victorius mutilo vsus exemplari malè expunxit vocem,* Deiotarus.

IN EPISTOLAM XXI.

ERIT mora] *Verbum,* erit, *in omnibus nostris extabat, præterquam in Huraltiuo. ideò id excudemdum iussi. mox in Decurtato legebatur,* transitans, *vt rectè emendauit Malaspina.*

SED mirificè etiam] *Hîc quoque conuenit Decurtato cum libris Malaspinæ, in quibus legebatur,* sed mirifice etiam abstinentem: *& paullo post,* me obtinente erogabitur.

TVM Phemio] *Veteres nostri partim,* cùm Phemio, *partim,* tum Phemio. *hoc rectius puto.*

& ita emendauit Lambinus.

FORTASSE etiam Postumia] *Puto significari Ser. Sulpicij vxorem, aut certè eius sororem. Postumiæ Ser. Sulpicij meminit sub finem huius epistolæ, & epistola* IX. *libri* X.

QVID dicam?] *Appingenda est nota interrogationis post hæc verba*, quid dicam?

CVM anatocijs anniuersario] *Mirum quantum distat vulgata lectio ab ea quam edunt codices manuscripti. hi enim habēt*, cùm anatocis anniuersario. *libri verò formis impressi partim*, cum anatocismi anniuersario: *partim*, cum anatocismo anniuersario, *vtrumque commentitiè. nos in veteri scriptura vnam tantum litteram deesse existimamus, vt scilicet pro*, anatocis, *reponatur*, anatocijs. *anatocias enim votat anatocismos. nam ea forma ἀπὸ τοῦ τόκου fit ἀνατοκία, qua παλιντοκία illa, cuius meminit Plutarchus in ἑλληνικοῖς de Megarensibus agens his verbis, τοὺς τόκους ἀνεπράττοντο παρὰ τῶν δανειστῶν οὓς δεδωκότες ἐτύγχανον, παλιντοκίαν τὸ γινόμενον προσαγορεύοντες, hoc est, solutas antea vsuras à feneratoribus reposcebant, quam rem vocabant παλιντοκίαν. Ceterum, quia hæ anatociæ, non singulis mensibus, sed anno vertente fiebant, idcirco Cicero hîc addit*, anniuersario, *quod est annuatim, anno vertente. est enim aduerbium vt*, quotidianò, volũtariò, commodò.

VERSVRAM facere] *Vt melius intelligatur quid sit versuram facere, & cur versura multo*

magis quàm vsura legibus Romanis vetita fuerit, id primum sciendum est, argentarios fœnus publicè exercere consueuisse, quod ita notum est, vt probatione non egeat, eorúmque officium & ministeriũ publicam habuisse caussam, vt ait Vlpianus de edendo. quapropter eorum muneris erat diligenter rationes conficere, cùm ex eorum fide Romani omnem ferè suam pecuniam vtendam darent. ij enim potius de mensa argentariorum, quàm ex arca, domóque pecunias numerabant, vt ait Donatus in Terentium. non solebant enim ociosos numos domi seruare, sed eos sub vsuris argentariis credebant, quos illi aliis postea fœnori collocabant. Qui ergo à creditoribus appellabantur, neque de suo iis satisfacere poterant, versuram faciebant, hoc est, per argentarios illis soluebant. nam quod argentarius creditori debitoris numerabat, id expensum ferebat ipsi debitori. atque id propriè erat versuram facere. nam debitores fœneratam sibi pecuniam domum non referebant, sed indidem, vnde eam acceperant, eam creditoribus renumerabant. atque hoc est quod voluit Festus, vel potiùs Paullus cùm ita scribit, Versuram facere, mutuam pecuniam sumere, ex eo ductum est, quòd initio qui mutuabantur ab aliis, non vt domum ferrent, sed vt aliis soluerent, velut verterent debitorem. *vetita vero fuit versura, ne vsura vsuras parerent. nam qui centum debebat sortis nomine, & quinquaginta ex vsuris, vt vtramque summam dissolueret, centum & quinquaginta mutuabatur à fœneratore. itaque*

quinquaginta illa, quæ priori creditori vsurarum nomine debebantur, secundo creditori sortis locum obtinebant, eique pariebant vsuras. sic fiebat vt versuris facillimè mutuantium facultes exhaurirentur. quod ne fieret lege Gabinia cautum fuerat; ad quam respexisse puto Cornelium Tacitum cùm ita scribit libro v. *Annalium*, sanè vetus vrbi fœnebre malũ, eóque cohibebatur antiquis & minus corruptis moribus. nam primùm XII. Tabulis sanctum ne quis vnciario fœnere amplius exerceret, cùm antea ex libidine locupletum agitaretur: dein rogatione Tribunitia, ad semuncias redacta. postremò vetita versura, multisque plebiscitis obuiam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras per artes rursum oriebantur.

DARE solebant] *Matinius, & Scaptius immensarũ harum vsurarum petitionem prætexebant difficultate obtinendi à Senatu, vt sine fraude legis Gabiniæ sibi liceret pecunias sub vsuris dare ad faciendam versuram. nam absque Senatusconsulto id fieri non poterat. quasi ergo sibi magno constaret Senatus consultum illud, non solebant leuioribus vsuris, quam quaternis centesimis, pecunias fœnerari.*

Ex syngrapha ius dici] *Quia lex Gabinia non modò cauerat ne cuiquam dare, acciperéue pecunias in versuram sub vsuris liceret, sed etiam ne ius diceretur ex syngraphis huiusmodi, primo Senatus consulto concessum dũtaxat fuerat Matinio & Scaptio, vt sine fraude legis Gabiniæ Salaminiis*

pecunias dare in versuram possent: de syngrapha verò nihil actum fuerat. itaque opus fuit altero Senatus consulto, vt ea syngrapha ea vi esset, qua cetera, id est, vt ex ea syngrapha aequè ius diceretur, atque ex ceteris, quibus legitima vsura petebantur. at ex nulla alia quaterna centesima postulari poterant. ergo nec ex ea. lege enim sanxerat Lucullus ne ampliores vsura centesimis ducerentur, deinde ne maiores sorte: Plutarchus in eius vita, πρῶτον μὲν γὰρ ἑκατοστὴν ἐκέλευσε, καὶ μὴ πλέον εἰς τοὺς τόκους λογίζεσθαι: δεύτερον δὲ τοὺς μακροτέρους τοῦ ἀρχαίου ἀπέκοψε.

VT & ea syngrapha] *Hîc aliquot verba deesse putat Lambinus. Victorius etiam hunc locum vt mutilum stellula notauit. Ego in vna tantum voce mendum esse credo. vitiosè enim librarij*, quam, *scripserunt pro*, qua vi. *nam pro*, ex ea, *omnes mei habent*, & ea: *quo modo etiam excusum est in primis editionibus Victorij. sic igitur reposui*, Tum fit s. c., vt & ea syngrapha esset qua vi ceteræ. *qua vi, est, quo iure. Post vocem*, ceteræ, *sustinendus est cursus orationis. nam illa*, sed vt eodem, *non pertinent ad Senatus consultum, sed sunt* Ciceronis *ad institutum sermonem de Scaptio redeuntis, quem interruperat interiecta illa narratione de duobus Senatusconsultis. sensus ergo est: sed vt eodem regrediatur, vnde deflexit oratio.*

VT IN fano deponerent] *Deposita ritè pecunia, hoc est, obsignata amplius vsuras non pariebat: Marcellus libro* VIII. *Digestorum*, Tutor,

qui post pubertatem pupilli negotiorum eius administrationem abstinuit, vsuras præstare non debet. Vlpianus notat, non sufficit obtulisse nisi & deposuit obsignatam certo loco. *Itaque vt consisterent vsuræ, Salaminij debitam pecuniam deponere volebant.*

BONO nomine] *Hoc dilemmate summam arguit impudentiam Scaptij, qui bono nomine quaternas centesimas sperabat. nam pudens fuisset, si, bono nomine, cōtentus fuisset centesimis cum earum renouatione: aut ideo quaternas centesimas duceret, quòd malum nomen foret. nam sortis amissæ damnum multiplicatæ vsuræ resarsissent. verùm bono nomine quaternas petere impudentia erat non ferendæ. Bonum nomen vocat locupletes debitores, à quibus periculum non sit sortis amittendæ, quantascunque vsuras debeant. inde Alphius fœnerator, vt refert Columella, dicere solebat optima nomina non appellando fieri mala.*

DIECVLAM duxerit] *Scidæ,* duxerit, *vt Manutius emendauit.*

POSTVMIAE F.] *Ignorata à librariis scribēdi ratio per notas fœda macula hunc locū deturparat. Nos germanā lectionē ex Decurtato nostro in hunc modum restituimus:* probo idem quod tu, Postumiæ F. ille quoniam Pontidiæ nugatur. *nota F. significat filium. sensus est: probo idem quod tu, Postumiæ scilicet filium vxorem ducere Tulliam: aut, Postumiæ filio Tulliam nuptui dari, quoniam ille Pontidiæ filius nugatur. Postumiæ*

filiū vocat filiū Ser. Sulpicij, cuius uxor erat Postumia. Hoc de matrimonio antea etiā egerat cū Attico epistola quarta huius libri, his verbis: nā posset aliquid, si vteruis nostrum adesset, agente Seruilio, Seruio fieri probabile.

QVO die mysteria] *Mysteria vocat cùm Mundus patere dicebatur. qua de re nos plura alio loco in his epistolis.*

IN LIBRVM VI.

IN EPISTOLAM I.

TERMILALIA] *Nostri planè,* Terminalia: *quo modo proculdubio legendum est.*

LIBERTATEM] *Hoc est, παῤῥησίαν, quam rectè opponit δουλείᾳ.*

CONSISTERE vsura debuit] *Quia obsignatam pecuniam Salaminij deponere volebant: quo facto consistere, hoc est, cessare debebant vsura, non modò illa graues, quas Scaptius petebat, sed etiam ea quæ erant in meo edicto, hoc est, singulæ centesimæ, non quaternæ.*

SOLVTA re Scapio] *Hic locus ita legitur in Decurtato:* Igitur meo decreto soluta re Scapio, statim quàm decretum sic tu iudicabis: *rectè sanè. ait enim se iudicem ferre totius huius controuersiæ ipsummet Atticum. ponamus, inquit, rem solutam esse Scaptio, decreto meo; ita vt & illi, & Bruto in ea re satisfactum sit; statim ac tu iudicabis sic à*

me decretum eſſe, vt Salaminios iuſſerim quaternas centeſimas ſoluere, ne ad Catonem quidem prouocabo, ſed iudicio tuo ſtabo. ſcio enim te nunquam iudicaturum, me debuiſſe decernère, vt quaternæ centeſimæ ſoluerentur.

οὐκ ἔλαθε σε'] *Perſpicuè legendum, vt emandauit Malaſpina,* οὐκ ἔλαθε σὲ*: atque ita eſt in Decurtato. Significat* Cicero *ſe non potuiſſe illa, quæ de geſtu hiſtrionis in epiſtola quadam tetigerat, ita tectè & occultè litteris mandare, quin ea facilè Atticus intellexerit. notat autem eum locum epiſtolæ penultimæ libri ſexti,* Quod me maximè hortaris, &, quod pluris eſt quàm omnia, in quo laboras, vt etiam ligurino *μώμῳ* ſatisfaciam, moriar ſi quicquam fieri poteſt elegantius. *Nam cùm Atticus de fama Cireronis æquè ac de ſua laboraret eáque de cauſa eum in quadam ſua epiſtola hortaretur, vt quammoderatiſſimè & integerrimè prouinciam regeret, vt in ea adminiſtratione nihil culpare ne Momus quidem poſſet: ei epiſtolæ Cicero poſtea reſcribens, referenſque illius verba de Momo, non ſimpliciter dixit ſe moneri ab Attico ad ſatisfaciendum Momo, ſed ad ſatisfaciendum Momo Ligurino, addita de ſuo voce, Ligurino, vt Hortenſium perſtringeret, quo neminem exiſtimabat acriorem fore ſui reprehenſorem. eo verò attributo notabat argutam eius in orando geſticulationem, perinde ac ſi tota illius actio λιγυρὰ eſſet, id eſt, arguta, quo nomine multorum cauillis, & dicteriis obnoxia fuit, vt refert Gellius libro pri-*

mo: & sanè striduli, & nimis arguti gestus strionem magis decent, quàm oratorem: quod c *indicat Cicero. ideo eodem illo loco, quem p*a*llo ante adduximus, subiiciebat,* moriar si quicquam fieri potest elegantius. *quæ verba ambigui sunt sensus. partim enim hoc declarant, ego* p*rouinciam tantopere mihi abs te commendatam* i*ta præclare* g*ero, vt in eo munere obeundo nemo* e*legantiorem operam præstare queat: partim sic* a*ccipi possunt, ita bellè edo mimicos gestus Hort*e*nsii, vt nihil ferè possit elegantius. De malo & inuido animo Hortensii in Ciceronē legenda est suprà epistola nona libri tertij, & tertia libri primi ad Quinctum fratrem.*

TV sceleste supicaris] *Ait Atticum scelestè suspicari de i*n*te*r*pretatione nominis,* Ligurinus, *quasi ipse ea voce histrionem Hortensiū appellarit, propter λιγυρὰς, id est, argutos eius gestus. nam cùm λιγυρὰ sit ferè tota histrionum actio, facetè ipsi histriones Ligurini appellantur. Verùm non in eam partem ait se nomen id accepisse, sed ἀφελῶς hæc scripsisse, cùm tantùm alluderet ad gestus verè oratorios Hortensii, qui, vt oportebat, erant argutuli. Videtur hæc purgatio esse εἰρωνική.*

IN Pompeium te spem] *Tornæsianus, & Decurtatus, vt codices Malaspinæ,* in Pompeium, *vt edidi. paullo post idem Decurtatus,* remouendum censeo illud dissimulantem: *rectè. indicat enim hac voce,* illud, *quid ex verbis epistolæ Attici tolli velit, nempe vocabulum,* dissimulantem, *quod ille Pompeio attribuerat, cùm ita scriberet.*

in Pompeium vel dissimulantem spem omnem otij ponit. *ea verò Pompeij dissimulatio Ciceroni non placeat.*

IAM Scrofa] *Scripserat Atticus Ciceroni cupere Scrofam sibi prouinciam quandam, cuius nomen hîc reticetur, regendam mandari, affirmabátque eum summa cum laude in ea se gesturum. rescribit ergo Cicero se velle Scrofam prouinciã eam habere, vbi specimen edere possit probitatis, & integritatis suæ. nam quod petebat, lautum quoddam negotium erat.*

πολίτευμα] *Intelligit, ni fallor, repudiationem prouinciæ* Catoni *ex Pratura oblatæ. Ceteri, inquit, non probant factum* Catonis *in republica, qui prouinciam sibi mandatam reiecit. gauderent enim ipsi prouinciarum administratione, si ea sibi deferretur. Hac de re Plutarchus sic* Catonem *ipsum loquentem inducit,* αὐτὸς μὲν γὰρ, ἔφη, διδομένης μοι μετὰ τὴν στρατηγίαν ἐπαρχίας, ἀπέστην.

RHOSIAÇA vasa] *Victorius legit,* Rhosij causam mandaui. *ego rectius ex Scidis, & Tornesiano ,* Rhosiaca vasa mandaui. *Rhosus vrbs erat sita in sinu Issico : Srabo,* καὶ ὁ κόλπος εἴρηται ἰσσικὸς, ἐν αὐτῷ δὲ πόλις ῥωσὸς. *Plinius,* oppidum Rhosos, & à tergo portæ, quæ Syriæ appellantur, interuallo Rhosiorum montium, & Tauri. *id oppidum celeberrimum erat vasis fictilibus, quæ ibi fiebant. ideo Atticus volebat aliquot inde sibi curari, quæ* Cicero *scribit se mandasse.*

Κέρας Phemio] *Cupiebat Atticus Phemio κέρας aliquod*

aliquod musicũ curari; quod Cicero faciendũ mandarat, vt Attici petitioni satisfaceret. Puto hunc Phemium libertum fuisse Attici, à studio Musices ita appellatum, quod instar esset Phemii illius Homerici, cuius mentio fit libro primo Odyssea.

NIHIL moui] *Germanam & veram lectionem reposuit Manutius, ita legens,* nihil moui, *pro,* nihil noui; *atque ita scriptum reperi in Decurtato.*

NIMIS graui præiudicio] *Hæc erat Edicti Pretorij de pactis conuentis formula, vt intelligitur ex libro secundo Ciceronis de officiis, & libro quarto Vlpiani ad Edictum:* Pacta conuenta, quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt, seruabo: *quamquam Vlpianus plura addit in exceptionè illa,* quæ nec vi nec dolo malo, *ex Saluio Iuliano, vt opinor, qui Edictum perpetuum sub Adriano conscripserat, vt ait Eutropius. itaque sic edixerat Bibulus de pactis conuentis inter publicanos & prouinciales,* Pacta conuenta inter publicanos & prouinciales, quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt, seruabo. *hanc exceptionem,* quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt, *scripserat Atticus nimis grauis esse præiudicij in ordinem equestrem, cuius erant publicani, quod eos quodammodo argueret & vis, & doli mali. nec enim Pretores eam adiecissent, nisi suspicio fuisset publicanos quædam gerere consueuisse vi, & dolo malo. Proinde* Cicero *honori & existimationi eius ordinis consultum cupiẽs de Bibuli edicto eam exceptionẽ sustulit, eiúsq.*

loco aliam eiusdem vis, sed tectiorem ex edicto Asiatico P. Mutu reposuit.

NISI Consul] *omnibus litteris exaratum erat in Crusellino*, nisi Consul: *nec aliter in Decurtato, nisi quod compendio legebatur* COS. *vt edidimus. Mox in vtroque scriptum erat*, in illa item, *vt rectè emendauit Malaspina.*

IACET Theophrastus] *Scripserat Theophrastus Zaleucum leges Locris scripsisse; qua in re sequutus fuerat auctoritatẽ doctoris sui Aristotelis, qui idem prodidit libro secundo de optimo statu Reipublicæ.* νομοθέται δὲ ἐγένοντο ζάλευκός τε λοκροῖς τοῖς ἐπιζεφυρίοις, καὶ χαρώνδας ὁ καταναῖος τοῖς αὐτοῦ πολίταις.

NEMO Cornelius] *Nam si quis ex gente Cornelia viuo adhuc proauo Scipionis Metelli Censor post eius Consulatum factus fuisset, excusanda foret Scipionis huius Metelli ignorantia, qui nesciret Censuram illam ad alium quempiam eiusdem familiæ potius quàm ad proauum suum referri debuisse, errórque ferendus existimantis inscribẽdum fuisse proaui statuæ* COS. ET CENS: *quasi per imperitiam vni tribueret quod duorum fuisset, qui eodem tempore vixissent. verùm post Consulatum proaui istius Scipionis nemo eo viuo Censuram gesserat. itaque absurdum erat dictu, eum Censorem extitisse.*

SED de pantheris] *Antea legebatur*, & de pantheris, sed à ciuitatibus, *nec aliter referebant Tornæsianus, & Huraltinus. nos Decurtati fi-*

fidem secuuti sumus ita hæc edentis, sed de pantheris fœde, ac ciuitatibus. *Ait Cœlium litteras quidem accurratè scriptas ad se misisse, sed fœdè scripsisse de pantherarum venatione, ac de ciuitatibus fraudandis solito fructu agrorum, in gratiam M. Fetidij. Hæc epistola Cœlij extat libro octauo earum, quæ scriptæ sunt ad familiares.*

LITTERAS daturus] *Castigatissimè Decurtatus*, litteras daturus pridie Kalendas Ianuar. suauem habuit recordationem clarissimi iuris iurandi, *hoc sensu, dies pridie Kalendas Ianuarias, qui daturus erat eas litteras tuas, quibus nunc rescribo, suauem habuit recordationẽ clarissimi illius iurisiurandi, quod ego eodem die abiens magistratu præstiti. Atticus eo die epistolam daturus scripserat se recordatum fuisse illius iurisiurandi. Dies litteras dare dicitur, quòd dationis tempus designet, alioqui futurum incertum.*

PRAE ære] *Inquinati hîc sunt omnes codices manuscripti, atque adeo ipse Decurtatus, qui ita refert*, præ re. *emendaui*, præ ære. *nam æs alienum significari puto, quo obrutus Lentulus coactus fuerat vendere Tusculanũ: nisi εἰρωνικῶς, & per iocum dictum sit*, præ ære, *hoc est, præ diuitiis, quasi iis ita Lentulus affluxerit, vt coactus sit vendere Tusculanũ, quod παρὰ προσδοκίαν Cicero subiecit, cùm scribere debuisset, eum Tusculanum emisse. nam diuitum est potiùs prædia emere, quàm vendere.*

SED heus tu] *Extrema pars huius epistolæ, totáque proximè sequens perierant in Scidis. itaque*

adiuti sumus ope Tornesiani, Crusellini, & Huraltini; quorum scriptura hæc est huius loci, sed heus tu, iámne vos à Cæsare per Herodem talenta Attica L. extorsistis? *quæ verba cum interrogatione legi debent. quærit enim quasi mirabundus quo modo tam citò quinquaginta illa talenta extorta fuerint Cæsari, cùm ea Cæsar, & multò plura destinasset Nemorensi ædificando.*

SVOS nummos] *Id est nummos ipsius Pompeij. nam Cæsaris bona ad Iuliam eius filiam, Pompeij tum vxorem, peruentura videbantur. ideo Pompeius eos nummos suos quodammodo esse contendebat.*

IN Nemorensi] *Probo Turnebi coniecturam, cui veterum codicum lectio, quamquam deprauata, ita conuenit, vt nihil accommodatius, meo quidem iudicio, hîc excogitari possit. habent enim,* in memorem. *Diligentior futurus erat Cæsar in ædificando Nemorensi; ne iterum nummi, quos eò destinarat, sibi ab aliis creditoribus eriperentur. Iocatur* Cicero *in solutionem à Cæsare factam Attico, & alijs ipsius Cæsaris creditoribus, qui illum ita importunè appellarant, vt coactus fuerit nummos eis dinumerare, quos ædificando Nemorensi reseruarat.*

SI Curio legem] *C. Scribonius Curio Tribunus plebis lege definierat iumentorũ, vehiculorum, & seruorum numerum, quibus singuli ciues Romani ad iter faciendum vterentur: quam legem Viariam appellat Cœlius in epistola quadam ad Cice-*

ronem. in eam legem committebat P. Vedius, quòd cum pluribus vehiculis & numerosiore familia iter faceret, quàm ea lex pateretur, idcirco scribit Cicero *eum pœnæ nomine* H S *centena pensurum, si ea lex perlata fuerit à Curione.*

PLANGVNCVLAE] *Iam olim emendaueram,* planguncul æ, *cùm in veteribus libris, extrita prima littera, legissem,* languncul æ: *quam meam castigationem ita probauit Lambinus, vt omnino ita legendum esse statuerit. est autem plangun cula, pusilla* πλάγγων: *quo nomine Græci significant puppam. ita enim interpretatur vetus glossarion. quia verò* πλάγγονες *plærumque è cera fingebantur, ideo* πλάγγων *dicitur solis ardore liquescere apud Callimachum in hymno quo Cererem celebrat,*

ὡς δὲ μίμαντι χιὼν, ὡς ἀελίῳ ἐνὶ πλάγγων,
καὶ τούτων ἔτι μεῖζον ἐτάκετο.

Ibi Græcus interpres, πλάγγων, *inquit,* κήρινος νύμφη. *Huiusmodi puppas Veneri dicare virgines solebãt. Persius,*

Dicite Pontifices in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri dicatæ à virgine puppæ.

Plangunculæ ergo, id est, pusilla sigilla matronarum, inter res Vedianas inuentæ fuerant: quarum vna imaginem referebat Iuniæ sororis Bruti, & vxoris Lepidi. quam rem quia ægre ferebat Brutus, eum Cicero iocose vocat hominem brutum. at id ipsum quia leuiter curabat, facilliméque ferebat Lepidus, eum idem auctor hominem lepidum appellat. facetè ergo alludit ad cognomina Bruti, &

Lepidi.

VRATVR] *Lego*, vratur; *non, vt est in vulgatis*, vtatur. *est autem*, vratur, *torqueatur, crucietur, iniquissimo animo ferat. Terentius*, vro hominem.

ROMANA incidant mysteria] *Romana mysteria celebrabantur quo die mundus patere dicebatur: de quibus plura dicam in epistolam* XXV. *libri* XV. *Quia verò vitio intercalationum incerta erat plerumque ratio dierum festorum, idcirco Cicero quærit quo die futura sint illa mysteria; quod etiam quæsierat epistola vltima libri quinti.*

IN EPISTOLAM II.

QVOD mare tam sequuti sunt] *Aristoteles libro secundo de Republica tradit omnes fere Græcos mare accoluisse:* δοκεῖ δ᾽ ἡ νῆσος πρὸς τὴν ἀρχὴν τὴν ἑλληνικὴν πεφυκέναι, καὶ κεῖσθαι καλῶς. πάσῃ γὰρ ἐπίκειται τῇ θαλάσσῃ, σχεδὸν τῶν ἑλλήνων ἱδρυμένων περὶ τὴν θάλασσαν πάντων. *Videtur hæc insula (de Creta loquitur) ad imperium Græciæ tenendum facta natura, & commodè admodum sita. nam ad quemlibet maris tractum procumbit, cùm ferè omnes Græci ad oras maritimas siti sint. Non probabat Dicæarchus Græcorum rationem in ædificandis secundum mare omnibus suis oppidis, quod alios quoque improbasse refert Aristoteles libro septimo eiusdem libri, vbi in vtramque partem ea de re acutissimè disserit:* περὶ δὲ τῆς πρὸς τὴν θά-

λασσαν κοινωνίας πότερον ὠφέλιμος ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν ἢ βλαβερὰ πολλὰ τυγχάνουσιν ἀμφισβητοῦντες. τό, τε γὰρ ἐπιξενοῦσθαι τινας ἐν ἄλλοις τεθραμμένους νόμοις ἀσύμφορον εἶναί φασι πρὸς τὴν εὐνομίαν, καὶ τὴν πολυανθρωπίαν. γίνεσθαι μὲν γὰρ ἐκ τοῦ χρῆσθαι τῇ θαλάσσῃ διαπεμπομένους καὶ δεχομένους ἐμπόρων πλῆθος: ὑπεναντίαν δ' εἶναι πρὸς τὸ πολιτεύεσθαι καλῶς. ὅτι μὲν οὖν, εἰ ταῦτα μὴ συμβαίνῃ βέλτιον καὶ πρὸς εὐπορίαν τῶν ἀναγκαίων μετέχειν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν τῆς θαλάττης οὐκ ἄδηλον. καὶ γὰρ πρὸς τὸ ῥᾷον φέρειν τοὺς πολεμίους, εὐβοηθήτους εἶναι δεῖ κατ' ἀμφότερα τοὺς σωθησομένους καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν: καὶ πρὸς τὸ βλάψαι τοὺς ἐπιτιθεμένους, εἰ μὴ κατ' ἀμφω δυνατὸν, ἀλλὰ κατὰ θάτερον ὑπάρξει μᾶλλον ἀμφοτέρων μετέχουσιν. ὅσα τ' ἂν μὴ τυγχάνῃ παρ' αὐτοῖς ὄντα, δέξασθαι ταῦτα, καὶ τὰ πλεονάζοντα τῶν γινομένων ἐκπέμψασθαι τῶν ἀναγκαίων ἐστιν. αὑτῇ γὰρ ἐμπορικὴν ἀλλ' οὐ τοῖς ἄλλοις δεῖ εἶναι τὴν πόλιν. οἱ δὲ παρέχοντες σφᾶς αὐτοὺς πᾶσιν ἀγορὰν, προσόδου χάριν ταῦτα πράττουσιν. ἣν δὲ μὴ δεῖ πόλιν τοιαύτης μετέχειν πλεονεξίας, οὐδὲ ἐμπόριον δεῖ κεκτῆσθαι τοιοῦτον. ἐπεὶ δὲ καὶ νῦν ὁρῶμεν πολλαῖς ὑπάρχον καὶ χώραις καὶ πόλεσιν ἐπίνεια καὶ λιμένας εὐφυῶς κείμενα πρὸς τὴν πόλιν, ὥστε μήτε τὸ αὐτὸ νέμειν ἄστυ, μήτε πόρρω λίαν, ἀλλὰ κρατεῖσθαι τείχεσι καὶ τοιούτοις ἄλλοις ἐρύμασι, φανερὸν, ὡς εἰ μὲν ἀγαθόν τι συμβαίνει γίνεσθαι διὰ τῆς κοινωνίας, ὑπάρξει τῇ πόλει τοῦτο τὸ ἀγαθὸν: εἰ δέ τι βλαβερὸν, φυλάξασθαι ῥᾴδιον τοῖς νόμοις φράζοντας καὶ διορίζοντας τίνας οὐ δεῖ καὶ τίνας ἐπιμίσγεσθαι δεῖ πρὸς ἀλλήλους. *hoc est, De commercio autem & usu maritimo utrũ*

ciuitatibus, quæ bonis legibus reguntur prosit, an obsit magna est controuersia. nocere enim aiunt quominus probis legibus viuatur consuetudinem cum peregrinis, qui aliis legibus atque moribus fuerint educati; obesse etiam nimiam hominum multitudinem. fieri enim ex vsu maris permultos mercatores, qui partim res exportent, partim importent. aduersarique immensam eam turbam, quo minus Respublica bene regatur. Verùm sublatis his incommodis palam est præstare vt vrbs atque regio maritima sit, cùm vt tuto ibi degatur, tum vt rerum necessariarum copia affatim suppeditet. nam ad hostium impetum facilius sustinendum eos vtrinque auxilio commodè iuuari posse oportet, quà mari, quà etiam terra, qui hostium periculo sunt liberandi. cùm verò ingruentibus hostibus clades est inferenda, si vtrinque id fieri nequeat, certè ex altera parte id facilius assequentur, quibus participatio est vtriusque commercij. in rebus etiã necessariis censenda facultas est ea aliunde accipiendi quibus ciuitas careat, quæque superflua sint ea aliò exportandi. sibi enim ciuitas, non aliis, mercaturam exercere debet. qui verò omni hominum generi forum, mercatúmque apud se instituunt, eò videlicet spectant, vt reditus, & vectigalia inde parent: quæ immoderati quæstus cupiditate cùm ciuitas exors & libera esse debeat, huiusmodi mercatum in ea institui nihil est necesse. Porrò quia multis locis, & vrbibus naualia, & portus etiam nunc opportunè adsitos esse videmus,

ita vt neque oppida ipsa occupent, neque ab iis admodum longè distent, sed mœnibus muniantur, & aliis eiusmodi propugnaculis, perspicuum est, si quid fortè commodi & emolumenti ex mutuo hominum vsu & societate accidat, id omne ad ciuitatem esse peruenturum; sin aliquid detrimenti, id facilè vitari posse legibus, quibus sancitum & definitum sit, quos homines non oporteat, quósque oporteat inter se versari, & commisceri.

V I X accredens] *Restitui*, accredens, *ex Crusellino, cùm vitiose alij haberent*, aggrediens. *hoc autem verbo vtitur & Plautus Asinaria*, neque diuini, neque humani quicquam accreduas, *& Lucretius libro* IIII, tum motus materiai Multimodi quàm sint facilè hoc accredere possis.

Q V A M tu de C. Vestorio] *Iocus est in ambigua significatione verbi*, crederem. *nam credere est fidem habere, vt creditur probatis auctoribus, & testibus oculatis. credere etiam est pecuniam vtendam dare, quod sine periculo creditorum fit, cùm assidui, & locupletes sunt ij quibus creditur; quales habebantur C. Vestorius, & M. Cluuius, hic Ciceroni, ille Attico. itaque facetè Cicero scribit Dionysium non minùs bene existimasse de Dicaarcho, auctore probatissimo, quam ipse existimaret de M. Cluuio, & Atticus de C. Vestorio, quorum vterque & locuples, & spectatæ fidei habebatur. ideo putabat Dionysius non minùs credendum Dicaarcho, quàm illis.*

I V R I S D I C T I O nec impetirta] *Deprauatè*

in omnibus ferè codicibus, ante nostram editionem legebatur, imperita, *pro,* impetrita, *ut ex codice Crusellino correxi. quæ vox ducta est à sacris litatis, aut ab auspiciis. Plautus Asinaria,* auguratum est, impetritum est, quoniis admittunt aues. *Festus impetritum interpretatur impetratum. inde Cicero iurisdictionem nec impetritam ei opposuit, quæ clemens erat cum omni facilitate. nam quamuis clementia & facilitas laudentur in ius dicente, concessio tamen nimis procliuis in vitio ponitur. idcirco* Cicero *hîc addit negationem, cùm vellet significare grauem, & certam iurisdictionem, quæ non temere inflecteretur ad cuiuslibet hominis vota, quamuis alioqui clemens esset.*

TVN' qui ais] *Alij ex coniectura,* tun' qui ais. *at ego id ipsum ex fide Crusellini.*

NIMIS, nimis] *Iteraui vocem,* nimis, *ex Tornæsiano, & Crusellino. sed & verbum,* inquam, *satis indicat hac repetitione vsum fuisse Ciceronem.*

NESCIO quid sit: sed.] *Post vocabulum,* sed, *statuendum est punctum. est enim* ἀποσιώπησις. *quasi innuat* Cicero *Cœlium non venturum, aut tale quid.*

TVA Corcyræa] *Nostri omnes,* tua Corcyræa, *ut edidi: & ita etiam in suis fuisse refert Malaspina.*

IN EPISTOLAM III.

PACTO & conuentu] *omnes nostri manuscripti,*

pacto & conuentu, *vt scripsi. nam conuentus masculino genere dicebatur, vt plebiscitus, & sponsus, & alia eius generis.*

TAGAX] *Vicit tandem veritas. nemo enim, opinor, iam dubitat hîc legendum esse,* tagax, *vt olim ex codice Tornæsiano emendauit iurisconsultus doctissimus Iacobus Cuiacius,*

GAVIVS est quidem] *Recte Tornæsianus, & Crusellinus edunt,* Gauius *: mendosè vulgati,* Caius.

CIBARIA præfecti] *Legendum, vt iam ex Tornæsiano emendauit Lambinus,* cibaria præfecti: *quam lectionem præ se ferunt ceteri nostri.*

OBIRATIONE] *Vulgò legebatur,* operatione: *de qua voce mire inter se digladiantur Lambinus, & Gruchius. reposui ex Decurtato,* obiratione: *quod verbum aptissimè conuenit cum superioribus. dixerat enim Scaptium iratum abiisse. ceterùm obirationem non memini quidem alibi me legere. verùm ab eadem origine Liuius obiratum dixit libro primo historiarum,* aut fortunæ obirati cultum relinquebant deûm.

NON contemnere se] Contemnere, *pro,* contemnebat. *quod genus loquendi frequens est scriptoribus Latinis. Granius, inquit, quem potentiores despiciebant, ipse se non contemnebat, sed plurimi faciebat: idémque reges oderat superbos, hoc est, magnates illos, qui ipsum despectui habebant. Hîc Cicero sibi partes sumit Granij Luciliani, vt Bruti fastũ, & arrogãtiam retundat, vsur-*

pátque versus Lucillij, quos in ore frequenter Atticus habebat.

E gladiatoribus] *Fretus auctoritate Decurtati excudendum curaui*, è gladiatoribus, *addita præpositione*, è, *quæ magno sententiæ incommodo deerat. indicat enim Hortensii filium vnum de gladiatoribus fuisse Laodiceæ.*

SI NIHIL, nihil fieri] *Hunc quoque locum, repetita voce*, nihil, *rectè, nisi fallor, ex eodem illo Decurtato correxi. sic enim ibi planè legebatur*, si nihil, nihil fieri, vel per tuum tabellarium. *si nihil sit, inquit, quod scribas, volo tamen mihi nuncies vel per tuum tabellarium, nihil fieri.*

IN EPISTOLAM IIII.

μήτι νοήσῃς] *μήτι, pro, μὴ ἔτι. mox sequitur, εἷς δίπτε, quod est, tu vnus videlicet, id est, tu ipse solus, nemine alio ad eam rem adhibito.*

IN EPISTOLAM V.

πεφυρακέναι] *Quod Latini dicunt conturbare, aut conturbare rationes, id Cicero Græce vertit φυρᾶν τὰς ψήφους. contrarium est expedire rationes. conturbant qui soluendo non sunt, quíque decoxerunt. inde vetus glossarion decoctorem interpretatur φυρατὴν, & decoquere, καταφυρᾶν, ἀποβιτοῦν.*

ἐξ ἄστεως] *Sic hunc locum castigaui ex Decurtato*, ἐξ ἄστεως ἐπταλόφε τειχῶν παρέδωκεν μυῶν κ δ,

μη, ὀφειλημάτων Καμίλλῳ, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κδ ἐκ τῶν κροτωνιατικῶν, καὶ ἐκ τῶν χεῤῥονησιατικῶν μη. hoc est, libertus uxoris meæ ex urbis septicollis mœnibus, id est, Romæ Camillo rationes edidit viginti quatuor, & quadraginta octo minarum, seque debere tradidit quatuor & viginti minas ex bonis Crotoniaticis, id est, ex bonis Milonis, & quadraginta octo ex iis quæ sunt in Chersoneso. Primùm hîc aduertendum est, eius nomen, qui ediderat rationes Camillo, repeti debere, tanquam ἀπὸ κοινοῦ, ex proximis Græcis verbis. is autem fuit Philotimus, quem ibi vocat libertum uxoris suæ: tum ex iisdem illis verbis sumendum etiam ἀπὸ κοινοῦ vocabulum ψήφους, & cum verbo παρέδωκεν coniungẽdum. notandum præterea Ciceronem hæc verba ἑαυτόν τε ὀφείλοντα &c. adiecisse ἐπεξηγήσεως χάριν, ut scilicet enucleatiùs explicaret quibus nominibus utrãque summam sibi Philotimus deberet. Sequitur καὶ μνᾶς κληρονομησίας χμ, χμ, τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι, πάντων ὀφειληθέντων τῇ δευτέρᾳ μηνὸς νεμηνίᾳ. hoc est, & cùm redegerit ex hereditatibus quas creuit minas sexies centenas & quadragenas, & sexies centenas & quadragenas, illius tamen æris alieni ne obolum quidem dissoluisse, cùm omnia debeantur iam inde à Kalendis secundi mensis, id est Februarij. Summa fide hîc expressi scripturam veteris Decurtati, quæ in numeris referendis multo castigatior est vulgata. id obiter obseruandum iungi participium κληρονομήσας cum infinitiuo διαλύσασθαι, Attico more; cùm alioqui scribendum fuisset κληρο-

νομήσαντα, quarto casu. sic apud Aristophanem μανθάνεις ὅς φησιν εἶναι; Subiciit Cicero, τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ ὄντα ὁμώνυμον τῷ κόνωνος πατρὶ μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι. ταῦτα οὖν πρῶτον ἵνα πάντα σώζηται, δεύτερον δὲ ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προκειμένης ἡμέρας. id est, eius autem libertum, cui idem nomen est quod patri Cononis, hoc est, qui Timotheus appellatur, id nulla prorsus ex parte curasse. primùm igitur videto, vt omnia seruentur, id est, vt nihil ex sorte depereat: tum vt ne vsuras quidem negligas, quæ debentur ex die superius apposita. προκειμένην ἡμέραν vocat, νουμηνίαν τοῦ δευτέρου μηνὸς, id est, Calendas Februarias; quam diem supra apposuerat. Postremò subiungit, ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος καὶ τι σχεδὸν ἐλπίσας. ἀπογνοὺς δὲ ἄλοξος ἀπέστη ἐπιτίπων, εἴκω, αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν. id est, per eos dies, quibus eum pertulimus, valde magno in timore fui. exploraturus enim ad nos venerat, & aliquid pœne sperarat: sed spe frustratus temere recessit, sic fatus, concedo, Turpe manere diu. Hîc pro voce nihili, ΙΚΩ, quā edidit Victorius, reposui ex antiquiori nostro, εἴκω, id est, cedo, manus do, victum me fateor, quia nihil impetrare potui.

VETERE prouerbio] Erasmus rectè animaduertit idem esse hoc prouerbium cum illo Platonico è Gorgia, νῦν δὲ ἐψεύσθην, καὶ, ὡς ἔοικεν, ἀνάγκη μοὶ κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον τὸ πάρον εὖ ποιεῖν, καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ. indicat enim Cicero Phi-

lotimũ coactum fuisse æquo animo ferre denegationem illam remissionis pecuniæ, quam postularat, dixisséque boni esse consulenda quæcunque sors tunc ferret, & quæ darentur accipienda. quo dicto acerbè notabat Ciceronis illiberalitatem, à quo nihil eorum, quæ petierat, potuerat impetrare.

RELIQVA videt] *Hunc locum fœdis maculis inquinatum ita ex prisco Decurtato purgauimus*, reliqua videt, & quantum fieri potest perspicit animus. *quæ lectio ita perspicua est, vt neque probatione, neque declaratione egeat.*

CALDVS Quæstor] *Vulgati quidam libri*, Cœlius Quæstor: *at omnes antiqui nostri*, Caldus Quæstor, *planè optimè. nam Caldus cognomen fuit Cœly, vt apparet ex libro Q. Ciceronis de petitione Consulatus.*

ATTICVLAE dices] *Acutissimè Malaspina coniecit Ciceronem scripsisse*, Atticulæ, *pro*, articulatè, *vt vulgo referunt exẽplaria, eiusque coniecturam confirmat auctoritas Decurtati, in quo disertim exaratum est*, Atticulæ.

IN EPISTOLAM VI.

QVVM iam] *Non dubium est quin legendum sit* cùm iam, *vt emendauit Malaspina, quod nobis etiam probarunt Decurtatus, & Crusellinus.*

TRADERE me] *Tornæsianus*, traderem, *deminutè: Scidæ*, tradere me, *planè integrè. videbam, inquit, easdem, quæ mihi forent, esse tibi*

caussas dubitandi de eo quem discedens Prouinciæ præficerem; nempe me puero tradere prouinciam regendam, hoc est, quòd puero committerem prouinciæ administrationem.

Παλιγγενεσίαν] παλιγγενεσίαν *vocat honores adeptos post suam reuocationē ab exilio, in primisque imperium proconsulare, quasi id esset pristini sui status quædam instauratio. nam primum editus in lucem videbatur, antequam a Clodio appetitus esset; mox interiisse, actus in exilium: renatus verò, cùm inde reuocatus est, & mox proconsule in Ciliciam missus. Hanc porrò* παλιγγενεσίαν *quibus poterat titulis & honoribus illustrare conabatur, vt turpem exilij notam deleret.*

IN EPISTOLAM VII.

EVM valde etiam] *Vt in codicibus Malaspinæ, sic in meis legebatur,* cum valde etiam.

SED plane volo] τὸ planè, *quod deerat in vulgatis, restitui ex manuscriptis nostris.* volo *autem est celerrimo cursu tanquam volatu feror.*

ISSI reliquissem] *Decurtatus, & Crusellinus partim,* esse, *partim,* isse: *vnde iniecta est mihi suspicio Ciceronem scripsisse,* Issi, *vt Manutius etiam legendum existimat. Issus autem vrbs est Ciliciæ marititima.*

IN EPISTOLAM VIII.

II. KAL. Octob.] *Explicatè quidam libri referunt*, pridie Kalendas. *at in Decurtato, Tornesiano, & Crusellino* διὰ σημείων *exaratum est*, II. KAL. *quod perinde est. nos veterem notam expressimus.*

L. Tarquitio] *Omnes nostri*, L. Tarquitio, *quo modo in suis fuisse tradit Malaspina.*

ILLE ne attingat] *Et sententia ipsa flagitat vt legatur*, ille ne attingat, *& ita manifestissimè sciptum est in Scidis.*

IN LIBRVM VII.

IN EPISTOLAM I.

CONFER iam] *Omnes mei ad vnum*, conferam. *Itaque probo emendationem Lambini*, confer iam.

Παβίδος] *Post hunc versum,*

ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες,

in meis omnibus nullum aliud Græcum verbum subiicitur, præter vocem παβίδος. *Victorius in postrema editione sua suppleuit ex Homero quæ deesse videbantur, in hunc modum,* ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς παβίδος. *sed ego non temerè ausim mutare veterem lectionem. puto enim Ciceronem secundum hunc versum ita legisse,* παβίδος ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς: *ideo pri-*

mam dumtaxat vocem ad eum notādum apposuisse. solet enim primis verbis integros versus designare, ut libro primo, sed nescio an ταὐτόματον ἡμῶν. *versus enim integer sic habet,*

ταὐτόματον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται.

NEC cum Cæsare] *Non soleo nouam lectionem affingere repugnantibus libris antiquis. itaque nec hoc loco sequutus essem coniecturam Malaspinæ, quamquam valde probabilem, nisi eam confirmari vidissem auctoritate antiquioris nostri. Proinde hunc locum ita lego*, nec cum Cæsare sentienti pugnandum esse cum Pompeio.

Ex Epiro an Athenis] *Scripsi*, ex Epiro an Athenis datis, *ex Decurtato, & Crusellino. quod loquēdi genus frequēs est Ciceroni. sic enim epistola tertia libri primi*, nos hîc te ad mensem Ianuariū expectamus, ex quodam rumore an ex litteris tuis? *& epistola sexta libri undecimi*, Is dicitur Quinctum vidisse an euntem, an iam in Asia?

IN EPISTOLAM II.

QVOD si ita est] *Prorsus hîc aliquid deerat. Quidam extrinsecus assumendum putant verbum*, gaudeo, *aut*, gratulor tibi. *Ego verbum*, est, *iteraui. suspicatus enim sum alterum negligentia librariorum omissum fuisse. si, inquit, ita est ut quartana à te decesserit, ita euenit, ut maxime opto.*

QVAM tu velles] *Decurtatus, ut codices Malaspinæ*, quam tu velles se à me diligi: *& ita legendum.*

De Tortorij vncis] *Librarij in hoc Curiano Tortorio, tamquam saui quidam librorum carnifices, crucem fixisse studiosis omnibus videntur. ita enim hunc locum deprauarunt, vt ne Cicero quidem eum pro suo agnoscat, mirificéque in disquirenda eius sententia lectorum animi exerceantur. sanè initio constitueram hoc vlcus intactum relinquere, & fortasse præstitisset. sed cùm ex priscis codicibus remedium ei adferre tentassem, res ita successit, vt neque studij, neque operæ me postea pœnituerit. Verùm indicabunt lectores ex perturbatis antiquæ lectionis vestigiis frustráne manus ei admouerim. sic autem erat in Tornæsiano*, Eius testamentum detortorium Ciceronum signis obsignatum, cohortísque Prætoriæ: fecit palam te ex libertum extaruacus: *In Crusellino sic*, Eius est testamentum de tortoriũ Ciceronũ signis obsignatũ, cohortísq; Prætoriæ. fecit palam te exlibertus, me extrauatus: *In Decurtato verò hoc modo*, Eius est testamantum de tortori vncis ceronum signis obsignatum, cohortísque Prætoriæ. fecit palam te exlibertus, me exatruatus. *Hinc maculas commodè deleri posse extstimaui, si pro*, tortori, *scriberetur*, tortorij: *pro*, ceronum; geronum: *pro*, exlibertus, exlibratus; *& pro*, exatruatus, exartuatus; *si denique totus hic locus ita conciperetur*; Eius est testamentum de tortorij vncis, geronum signis obsignatum, cohortísque Prætoriæ. fecit palam te exlibratus, me exartuatus. *Indicat Cicero Curium festiuum testamentum fecisse de vncis*

eius loci vbi noxij homines, & potissimũ serui, torquebantur, & capite pœnas dabant; quem locũ ea de causa tortoriũ appellabat, ludebátque in ambiguo significatu vocabuli, vncis, quasi id non modò de vncis intelligeretur, quibus damnatorũ corpora trahebantur, sed etiam de vnciis, in quas as diuidi solebat; perinde ac si eo testamento definitum esset, quo genere tormentorum quemque noxiorum illorum plecti oporteret, ita vt rata pars tormentorum singulis tribueretur. Vncis trahi capitis damnatos consueuisse notius est quàm vt egeat probatione. illud quoque triuiale, tribuisse veteres assem testamentarium in duodecim vncias, quibus, pro earum numero, vsque ad ipsum assem, indita erant propria nomina. Addit Cicero testamentum illud obsignatum fuisse signis geronum, & cohortis Pratoria, quibus verbis indicat noxios illos, qui condebant testamentum hoc pœnale, ita casos fuisse à seruis publicis, & à lictoribus, vt extarent in eorum corporibus vibices, & plaga, tanquam signa quadam impressa, quibus à testibus obsignari solent testamenta. Gerones ait Fulgentius in libro de prisco sermone à veteribus alio nomine Brutianos nũcupatos. Brutianos vero Festus interpretatur ad ministros, qui officia seruilia magistratibus prastabant, quorum generis erant etiam lictores, quos hîc significauit nomine cohortis Pratoria. Consules enim & Pratores lictoribus, tamquam cohorte quadam Pretoria, stipabãtur. exercebant autem lictores carnificinam in damnatos. Liuius libro primo,

I lictor, colliga manus. accesserat lictor, iniiciebátque laqueum. *Ceterùm in eodem illo testamento duo quidam supplicio addicti facetè fingebantur heredes palam facere, vnus Ciceronem, & alter Atticum: & quidem Atticum exlibratus, id est, is qui ita virgis & fustibus cæsus fuerat, vt tota eius cutis conscissa esset; Ciceronem verò exartuatus, hoc est, is cui securi amputata fuerant mēbra. itaque pellem sibi detractam testamento relinquebat exlibratus; artus dissectos exartuatus. palam autem heredes nuncupabant, ac si testamentum illud fieret in procinctu. publicè enim pœnas dabant. ideo multos habebant sui supplicij testes. Atque hæc quidem erat Curiani testamenti vrbanitas. verùm ne quis nouitate horum vocabulorum,* exlibratus, & exartuatus, *offendantur, lectorem monitum velim ea apud Nonnium etiam inueniri, non quidem iuncta ex præpositione,* ex, *sed, quod perinde est, ἐκ τοῦ,* de. *sic enim Nonnius,* Delibratum, *inquit,* decortitatum, vt deartuatum per artus discissum. *sed & verbum deartuare vsurpauit Plautus in Captiuis, & delibrare Columella.*

FECIT] *Heredem. id enim extrinsecus assumendum,*

PALAM] *Vlpianus libro secundo ad Sabinum* palam *interpretatur, ita vt heredum nuncupatio à testibus exaudiri possit. sed Curius iocosè scripserat,* palam, *cùm indicaret noxios illos publicè pœnas dedisse.*

IN Actio] *Videtur fuisse Corcyra locus, ita dictus, ἀπὸ τῆς ἀκτῆς, id est, à littore. non enim hîc intelligit Actium vrbem Acarnaniæ, quæ postea ab Octauio appellata est Nicopolis, quò se venisse refert epistola* IX. *libri* V.

BENE eueniat] *In omnibus nostris est,* bene eueniat, *nec vlla caussa fuit vt eam scripturam reiicerem. sunt enim solemnia verba, quæ Græci, boni ominis caussa, præfari solebant, quoties aliquid magni ponderis & momenti aggrediebantur. inde Laertius Aristotelem, & Theophrastum scribit ita sua testamenta exorsos esse,* ἔσαι μὲν εὖ. *sic Latini dicebant,* bonum factum, *&*, quod fœlix faustum, fortunatúmque sit. *Quia verò Carneades etiam rem turpem acturus, hoc est, Veneri operã daturus hoc modo præfabatur, idcirco scribit Cicero eum spurcè loquutum fuisse, prudentius tamen quàm Epicureos. significasse enim eo dicto se procreandæ sobolis caussa consueuisse cũ mulieribus rem habere, quippe qui optaret vt complexus prosperè succederent, quo inde liberi nascerentur. contra Epicureos prædicare solitos se, ne malum haberent, hoc est, sua caussa, non alterius cuiusquam, nempe liberorum quærendorum, cum mulieribus caput limare. Puto Carneadem hæc verba,* εὖ μὲν ἔσαι, *hoc est,* bene eueniat, *non modò in re venerea, sed in omnibus rebus agendis vsurpasse, quòd mortis metu, vt refert Laertius, cum valde perturbaretur, nihil in rerum natura periculo carere existimaret. idcirco vbique infœlices euentus fausta*

hac ominatione auerruncare consueuisse.

NON intelligant] *In meis omnibus est*, intelligant, *cur interrogatione.*

COMMODO expectabam] *Scripsi*, commodò, *ex Scidis . ita verò sæpissime veteres loquebantur pro commodè , aut commodùm , vt tradit Charisius , Plautus Milite glorioso*, ecce autem commodò aperitur foris.

QVI eadem liber] *Solebant domini , qui seruos manu mittebant , quasdam eorum operas sibi recipere , ad quas præstandas eos iureiurando adigebant . Vlpianus libro vigesimo octauo ad Sabinum*, vt iurisiurandi obligatio contrahatur , liberum esse oportet qui iuret, & libertatis caussa iurare: *&* paullo post, iurare autem debet post manumissionem , vt obligetur ; & siue statim , siue post tempus iurauerit , obligatur . iurare autem debet operas, domum , munus se præstaturum ; operas qualescumque, quæ modò probè iure licito imponuntur : *& Paulus libro septimo ad Plautium*, seruum testamento ita manu misi ; Si iurauerit se Cornelio filio meo decem operarum daturum , liber esto : quæritur quid iuris sit , & sciendum est iurando seruum conditionem implere, sed non teneri operarum nomine : quia, nisi post manumissionem iuret , non obligatur . *Drusus ergo Pretor dicebat se eos non manumisisse , qui libertate donati non iurarent se easdem operas præstituros patronis , quas iisdem adhuc serui præstare consueuissent.*

RECTE vindicarentur] *Puta liberali caussa. tunc enim serui etiam inuitis dominis in libertatem asseruntur, nec iurare coguntur se operas illis præstituros.*

IN EPISTOLAM III.

SAEPE opportunè dici videtur] *Aduerbium,* sæpe, *quod aberat à vulgatis, restitui ex Tornesiano, Decurtato, & Crusellino. prouerbium hoc,* quid si hoc melius? *opportunè, inquit, dici videtur cùm alias sæpe, tum in hoc meo negotio. Malaspina particulam*, vt, *quam omnes nostri summo consensu retinent, non satis appositè in copulam,* &, *mutauit.*

NI vno ciui] *Omnes mei*, in vno ciui, *scripsimus*, nj, *pro*, jn, *litteris transpositis, ita postulante sententia. nam*, nj vno ciui, *significat nisi per vnum ciuem, nisi vnius ciuis opera.* res *autem hîc negotium & difficultatē notat, vt Græcis* ἔργον. *Idem Cicero libro* XI, *harum epistolarum*, Te expecto, quem videre, si vllo modo pote, est enim res, peruellem. *Porro cùm hîc scribitur,* vno ciui, *Pompeius indicatur, qui solus resistere poterat Cæsari.*

HIC omnia facere omnis] *Sumendum* ἀπὸ κοινοῦ *è superioribus verbum*, video.

IIS SE solis] *Antea docuimus sæpe in his epistolis*, non, *pro*, nunc, *vitio librariorum legi, vt accidit hoc loco, vbi negandi particula ferri*

non potest.

Mihi ab illo hoc tempore] *In nullo formis excuso reperias has duas voces,* hoc tempore, *quas ex Tornæsiano, & Crusellino descriptas in hoc nostrum exemplar retuli.*

De serperastris] *Serperastra propriè sunt adminicula, quæ cruribus puerorum primùm ambulãtium alligantur, ne ij vari, aut compernes fiant, dicta à sirpando, hoc est, ligando: vnde sirpiculæ apud Varronem de lingua latina. ideo fortasse scribendum sirpirastra. Hoc autem nomine* Cicero *hîc notat præfectos cohortis suæ, hoc est, Legatos, Quæstores, Tribunos, & alios quos secum duxerat, quorúmque opera in coercendo exercitu, & regenda prouincia vtebatur, quòd illi eorũ, quibus præerãt, vitia corrigere deberent, vt serperastra crurum distortiones. eos tamen Atticus audierat pessimè se gerere, & ad omne nequitiæ genus dilabi; ideo scripserat* Ciceroni, *vt ei malo mederetur. respõdet ergo* Cicero *eos antea dilapsos tunc se se collegisse.*

Gener est suauis mihi] *Sic interpungendum,* gener est suauis mihi, Tulliæ, Terentiæ; *vt deinde sequatur,* quantumuis vel ingenij, vel humanitatis, *hoc sensu, in eo est quantumuis vel ingenij, vel humanitatis. nam vox,* satis, *separatim sumenda est. significat enim abunde est.*

Cetera quæ nosti] *Facultates intelligit, quæ tunc mediocres erant in Dolabella. nam is ita postea res suas profligauit, vt tandem de nouis tabulis inducendis cogitarit, quarũ beneficio sperabat*

ære alieno se liberatum iri.

REM me facere rerentur] *Edidi, vt erat in Scidis*, qui omes, præter eum de quo per te egimus, rem me facere rerentur. ipsis enim expensum nemo ferret. *Sensus est: tu scis quos aperierimus, id est, quales esse quosdam deprehenderimus, detecta eorum inopia; qui omnes tamen, vno tantùm excepto, existimarent me rei meæ optimè tunc consultum voluisse, quòd cogitarem de Tullia ipsis nuptui danda. ita enim se diuites esse prædicabant, vt nemo sibi expensum ferret, id est, tabulas proferre posset expensæ, & creditæ sibi pecuniæ. negabant enim se vlli quicquam debere. Verùm hæc verba*, ipsis enim nemo expensum ferret, *in contrarium sensum* Cicero *iulariter detorsit, cùm indicare vellet omnes ita de iis malè existimasse, vt nemo eis quicquam credere, & expensum ferre voluerit. quiuis enim norat eos non esse soluendo.*

IN EPISTOLAM V.

PONTINAM summam] *Emendaui*, Pontinam summam, *vt erat in Decurtato. intelligit enim summam paludem Pontinam, hoc est, summam partem Pontinæ paludis, quæ non procul abest à Terracina.*

IN EPISTOLAM VII.

ILLVD puta tu non adscribis] *Vulgati libri,*

illud puto, *quod prorsus adulterinum est, & suppositium; cuius loco in Tornæsiano & Crusellino legitur,* putato. *Sanè, nisi hac parte laceræ forent Scidæ, certam & indubitatam lectionem haberemus. nam eum codicem raro fallacem deprehendi. Ego pro,* putato, *legendum existimaui,* puta tu, *vt τὸ* puta, *accipiatur ἐπιρρηματικῶς, pro, scilicet; cuius significatus in promptu sunt exempla. illud scilicet,* & tibi gratias egit, *tu non adscribis.*

NE molestus sim familiæ] *Editio Victoriana neque particulam,* ne, *neque verbum,* sim, *habet, quod vtrumque tamen legitur in Tornæsiano, & Crusellino.*

QVID sensurus sim] *Vulgatam lectionem non mutaui: quamquam in Tornæsiano pro,* sensurus, *erat,* facturus. *paullo ante etiam idem codex habebat,* mittit, *pro,* mittat.

ILLVD vna datum est] *Cùm Cæsari concessum est vt suo tempore absens petere posset Consulatum, illud vna datum est, vt in ea petitione eius etiam exercitum retinentis ratio haberetur. ei enim tributum fuerat decem annorum imperium in Gallias, quod tempus cùm nondum expirasset, & interea cessisset tempus petendi Consulatus, absens, & cum imperio iure eum petere poterat.*

IN EPISTOLAM VIII.

RECTVM NE sit] *Heres quandoque testamento iubebatur ferre nomen testatoris: cuius rei*

exemplum extat apud hunc auctorem libro III. *Officiorum de M. Satrio. Huiusmodi heredis institutio dicebatur adoptio in nomen, & familiam: Suetonius in Iulio Cæsare*, sed nouissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante, reliquos in ima cera: C. Octauium etiam in familiam, nomenque adoptauit. *Iam mulieres, dum quidem viuebant, neminem adoptare veteri iure Romano poterant. verùm non prohibebantur quos vellent testamento in nomen, familiamque adoptare, vt perspicitur ex hoc loco. ea enim adoptio in tempus mortis incidebat; quo fiebat vt illa numquam haberent in potestate quos adoptabant testamento. De conditione nominis ferendi in hac verba disserit Caius iurisconsultus libro secundo fideicommissorum*, si verò nominis ferendi conditio est, quam Prætor exigit, rectè quidem facturus videtur si eam expleuerit. nihil enim mali est honesti hominis nomen assumere. nec enim in famosis & turpibus nominibus hanc conditionem exigit Prætor. *In eandem sententiam scripsit Macianus libro* IIII. *fideicommissorum rationem habendam esse eius dignitatis, qui heres institutus iuberetur nomen ferre turpis personæ, puta vespillonis. Hac itaque de caussa scribit hîc Cicero σκέμμα πολιτικὸν esse, debeatne vir nobilis, mulieris testamento, mutare nomen. turpe enim videtur mulierem habere sui nominis auctorem; cùm nomen gentem, & familiam indicet; & vulgo nato-*

rum sit genus ad mulieres referre, hoc est, ad matres,

QVANTVM quasi sit] *Nam si parum quæstuosus sit ille trientis triens, auctor non ero Dolabellæ vt nomen mutet, imò quo minùs id faciat ipsum dehortabor. sin opimus & fructuosus erit, conabor illi persuadere assumendum esse nomen testatricis. Pendebat ergo tractatio philosophica huius quæstionis ex trientis æstimatione.*

AD L, Auernum] *Quid Lauernium sit, quod in vulgatis codicibus legitur, ingenuè fateor me nescire. Scidæ habent,* Lauernum: *cuius vocis si primam litteram, tanquam notam, à reliquis seiungas, germanam lectionem huic auctori restitues. nam hac nota L. Cicero lacum significauit, vt ex sequēti vocabulo facilè cognoscitur. nemini enim paullo humaniori ignotum esse puto lacum Auernũ, qui non longè abest à Formiis.*

ἴυγξ reliquendæ vrbis] *Græcum hoc vocabulum valde deformatum erat in libris antiquis. nam alij habebant,* ni, *alij,* in; *Decurtatus,* INX; *vnde conieci legendum* ἴυγξ, *quæ vox pellaciam, & illecebras significat. Pindarus Ode IIII Nemeorum,* ἴυγγι ἕλκομαι ἦτορ: *pellacia, inquit, mihi animus ducitur.*

IN EPISTOLAM IX.

SED istud ipsum] *Ludit in ancipiti significatu horum verborum,* at sic malo: *quasi vox* malo *non*

modò à verbo, malo mauis, *ſed etiam à nomine*, malũ, *ducta videretur. ſed iſtud ipſũ, inquit, quod modo ſcripſi, nempe*, malo, *aliquis malum exiſtimet, hoc eſt, à nomine malum deduci cenſeat, non à verbo* malo, *& ita putet in ea voce O magnũ, id eſt, longum eſſe. nam O producitur cùm a* malũ *fit* malo, *in tertio, aut ſexto caſu. Græcorũ more O productũ vocat O magnum, apud quos O longum appellatur ω μέγα. Iocatur verò quaſi illa verba*, At ſic malo, inquies, quàm cum exercitu, *hoc ſenſu accipi potuerint: at ſic, nempe ſi Cæſar Conſul factus fuerit, malo, id eſt, propter malum & detrimentum quod allaturus eſt Reipublicæ, inquies eum magis timendum eſſe, quam ſi exercitum habeat. Iam*, putet, *pro*, putat, *ex Decurtato correxi.*

SIC O magnum] *ἀπὸ κοινοῦ ſumi debet verbũ*, putet, *hoc ſenſu, ſic putet O in voce*, malo, *magnum eſſe.*

IN EPISTOLAM X.

ET ſtupens] *Emendaui*, ſtupens, *cuius meæ caſtigationis approbatores habeo Decurtatum, Tornæſianum, &* Cru*ſellinum.*

IN EPISTOLAM XI.

NISI vbi honeſtas? niſi.] *In poſtremo*, niſi, *eſt ἀποσιώπησις. explicatè dixiſſet, vbi eſt dignitas*

nisi vbi honestas? nisi forte in sceleratis, & perditis hominibus, qualis est Cæsar. ij enim honestatem cum dignitate nullo modo coniungunt.

IN EPISTOLAM XII.

DATAM XII. KAL.] *Expunxi vocem,* IVN, *à sciolo quodam huc inuectam, cùm eam abesse, & rectè quidem, à Decurtato animaduertissem. Non apposuit autem nomen mensis, vt neque postea cùm scribit,* Formiis X. KAL. vidi Libonem, *quòd Atticus satis sciret quo de mense loqueretur, nempe de Februario, vt rectè notauit Malaspina.*

IN EPISTOLAM XIII.

IS AVTEM valet exercitu] *In nostris erat,* valet exercitu, tenet multos spe & promissis, *quo modo edidi.*

EXVRGERE poterimus] *Nos erigere, cùm nunc iaceamus.*

RES testis] *Non modò in Tornæsiano, quod etiam testatus est Lambinus, sed & in Scidis, &* Crusellino *legitur,* res testis, *planè rectè. Iidem etiam libri in hac ipsa epistola sic postea scriptum habent,* quippe cùm de me ipso ac de meis te considerare velim; *quo loco vitiosè vulgo legitur,* quippe cum de ipso ac de me ista considerare velim..

SVCCONES dicis] *Exaratum reperi in Tornæsiano &* Crusellino, sаccones dicis: *in Decurta-*

tato, succones dicis, *quod rectum puto. nam vocabulum* succones *fictum est à Cicerone vt Latinè exprimeret illud alterum*, Oppios, *quod Atticus* ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, *id est, à succo formarat, geminato P. de industria, vt id magis Latinum videretur, & Græcas aures melius falleret. nam Oppiorum erat familia Romæ, & Oppius collis, cuius meminit Varro de lingua Latina. Oppiorũ autẽ & succonũ appellatione arbitror coactores, & argentarios significari. nam* ὀπὸς, *id est, succus propriè dicitur lacteus humor è fici ramo expressus, quo vtebantur coaguli vice ad conficiendos caseos, vt ait Varro libro* III. *de re rustica. inde* ὀπίαν τυρὸν *Euripides in Cyclope caseum appellauit succo ficulno coactũ. Itaque vt sucus ille fici lac in caseũ cogebat, sic coactores, id est, argentariorum ministri, aut ipsi argentarij pecuniam debitam hinc inde cogere, & in vnam summã cõgerere conferréque solebant. qua de causa eos eleganter, obscurè tamen, Atticus nominarat Oppios: quod nomen Cicero interpretatus est succones. Ii autem erant Attici contubernales, vt apparet ex epistola* VII. *libri octaui, hoc est, habitabant in ædibus quibusdam Attici, quæ erant in Velia; vndè hîc Oppij de Velia, & alibi Oppij Velienses appellantur. Eorum autem opera, quantum coniectura duci possum, Atticus fœnus exercebat. Ceterùm Velia regio erat vrbis Romæ Palatino monti coniuncta.*

AESTVAVI diu] *Omnibus litteris scriptum est*, æstuaui, *in Decurtato: quo modo legendum*

iam

iam dudum docuerunt Turnebus, & Lambinus.

IN EPISTOLAM XIIII.

Cum fluenret] *Rectè Lambinus ex deprauata Tornæsiani scriptura reposuit,* fluenter, *& ita excudendum curaui. In Decurtato litteræ huius vocis oculos, præ vetustate, fugiebant.*

Spero esse in præsentia] *Veteres nostri ita summo consensu referunt,* spero esse in præsentia. *sensus est, spero esse in præsentia quòd pacem habeamus.*

Iↄↄ fuerunt] *Sic decurtatus, & Crusellinus. at Tornæsianus,* CIↄ fuerunt.

In genero nostro] ἀπὸ κοινοῦ *offendimus.*

IN EPISTOLAM XV.

Haud auditus] *Iam olim putaram particulam,* haud, *hic omissam fuisse negligentia librariorum, ob similitudinem primæ syllabæ vocabuli proximè sequentis,* auditus*: quam coniecturam postea confirmauit auctoritas Decurtati, in quo perspicuè sic exaratum est,* haud auditus in consilio.

Fuffano que] *Legendum,* Fuffano, *ex antiquis libris.*

IN EPISTOLAM XVI.

Consulum ac Pompeij] *Rectè Malaspina*

coniecit legendum, Consulum ac Pompeij, *vt apparet ex hac compendiaria scriptura Decurtati*, & responsis COSS. ac Pomp.

IN EPISTOLAM XVII.

TVAE LITTERAE] *Hinc fecimus initium epistolæ. nam quæ proxime antecedit data est* III. KAL. *hæc verò* IIII. *Nonas. sed & ante hæc verba apposita est in Decurtato ea nota, qua plerumque in eo libro distingui solent epistolæ.*

IN EPISTOLAM XVIII.

TVRPI pace] *Consentiunt Decurtatus, & Crusellinus cum Tornæsiano, & iis quibus vsus est Malaspina, in huius scripturæ repræsentatione*, turpi pace nobis, an misero bello. *Iidem etiam hæc sic referunt*, vinciri præsidiis; *& mox*, ô vix vllo otio compensandam.

ROGATVS esset scio] *Verbum*, scio, *non est in editione Victoriana: extat tamen in antiquis nostris; & sanè hinc abesse non potest absque sententiæ incommodo.*

IN EPISTOLAM XX.

QVORVM ergo] *Legendum est*, ergo, *vt ex Decurtato reposui, non*, ego: *est enim*, quorum ergo, *quorum gratia.*

IN EPISTOLAM XXI.

AD Nonas Feb.] *Non mutandam puto vulgatam lectionem, præsertim cùm manu scriptorum codicum auctoritate nitatur. Dixit autem se venisse Capuam ad Nonas Februarias, vt scilicet adesset Capuæ ipsis Nonis. itaque epistola* XX *huius libri scribit se pridie Nonas venisse. Opinionem hanc nostram confirmant hæc verba eiusdem epistolæ*, Iam enim aderunt Consules ad suas Nonas. *eo fit vt nihil etiam mutandum putem in his verbis epistolæ* XVI, Nos à Consulibus Capuam venire iussi sumus ad Nonas Februarias.

IN EPISTOLAM XXII.

NVLLO modo. quid?] *Edidi lectionem Decurtati, & Tornæsiani, qui sic hæc referebant*, num etiam honeste? nullo modo, quid? à te petam consilium, vt soleo? explicari res non potest.

IN EPISTOLAM XXIII.

CASSIO litteræ] *Non tantùm in Tornæsiano, sed in omnibus etiam aliis, quos habui, scriptum est*, Cassio: *quo modo procul dubio legi debet. indicat enim litteras ad Cassium allatas fuisse.*

MILITVM III. milia] *Victorius pro*, III. milia, *edidit*, vim, *deceptus antiquis his*

notis, III milia. *itaque in re plana & manifesta nullus est amplius dubitandi locus.*

IN EPISTOLAM XXV.

O rem miseram] *Nostri omnes*, ô rem miseram: *in vulgatis deest ô.*

IN EPISOLAM XXVI.

QVOTIES exorior?] *Legendum cum interrogatione. Indicabat enim Atticus se multoties exoriri, id est, è mœstitia, qua pene conciderat, recreari, quòd sæpe boni nuncij de rebus Pompeij, déque Republica ad se perferrentur.*

PRO SVIS R. GESTIS] *Scripsi, vt exaratum erat in Scidis*, PRO SVIS R. GESTIS, *id est, pro suis rebus. nam nota* R. *in vulgatis euanuit.*

IN LIBRVM VIII.

IN EPISTOLAM I.

NEC tamem tam] *Quidam veteres*, nec tamen læta: *alij*, nec tam læta: *rectissimè Decurtatus*, nec tamen tam læta.

PRO derelicto] *Codices Tornæsianus & Crusellinus*, pro relicto: *illud alterum vsitatius &, vt puto, verius.*

NEC me M. Lepidi] *His respondit Atticus* VIII KAL. *Martias, vt intelligitur ex verbis ipsius Attici, quæ referuntur epistola* X *libri* IX.

IN EPISTOLAM II.

QVO MODO EAPSE] *Locus deprauatus tam in manuscriptis quàm in excusis. Tornæsianus sic habet,* quomodo esse: *Crusellinus,* quomodo è se: *Decurtatus,* quo modo à se: *lego,* quomodo eapse, *id est, ea ipsa.*

NON in ipsa vrbe] *Deerat in Victoriano vox,* urbe, *quam ex manuscriptis reposui.*

ILLVD, des id feras] *Hic locus valde animum meum exercuit, antequam in codicem Decurtatum incidissem. putabam enim quædam Græca verba hic desiderari, de quibus supplendis quo plus cogitabam, eo iudicio eram incertiori. Sed totam eam cogitationem postea abieci, vbi ita scriptum deprehendi in optimo illo libro:* hic tu in me illud; des, id feras. *His verbis Cicero, tanquam ex Attici persona, sibi ipsi obiicit elegans prouerbium, quo monebatur, vt honorificentius, quam modò fecerat, loqueretur de Labieno, in quo dixerat parum esse dignitatis; siquidem ipse vellet alios de se cum laude loqui. Sensus est, hoc loco tu mihi obiicies prouerbium illud, si aliquid dederis, id quod dederis accipies: itaque quia dixi parum esse dignitatis in Labieno, futurum est vt Labienus ipse, & alij mihi par pari referant, dicántque*

dignitatem in me quoque desiderari. Verùm sit necne aliquid in me dignitatis, aliis iudicandum relinquo. nihil enim de me dico. Meminit huius prouerbij, aut certè alterius huic similis Donatus ad eum locum Phormionis, quod ab ipso allatum est, id sibi relatum putet: prouerbium, *inquit*, est, quod dedit recepit. *huc spectat illud Homericum Iliadis* v.

ὁπποῖον κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖον δ' ἐπακούσῃς.

Porro, feras, *hic significat accipias, vt apud Catullum*,

Quod nec das, & fers sæpe, facis facinus.

Id feras] *Quod dederis.*

Hic quidem quæ est] *Nonnulli codices*, hic quidem quod est, *vt Victorianus. at Scidæ, & Crusellinus*, hic quidem quæ est? *quod rectius puto. nam vox*, quæ, *ad illam superiorem*, dignitatis, *refertur; quasi Cicero diceret, hîc quidem nulla prorsus est dignitas.*

Domi vestræ] *Vos omnes boni domi vestræ estis Romæ, nec inde disceditis. id ait quia Romæ adhuc erant quibus dissidium partium displicebat, quos bonos hîc appellat.*

Qui istim] *Lego ex Scidis*, qui istim, *non, vt est in editionibus*, quis tum. istim, *autem, id est, Romæ: quasi dicat, omnes bonos Romæ esse video.*

Adest hoc bello] *Ait neminem bonorum adfuisse in bello. nam quamuis boni fauerent partibus Pompeij, cupiebant tamen rem inter ipsum &*

Cæsarem sine armis posse transigi, certaménque fugiebant: ideo Romæ remanserant, vbi adhuc omnia erant pacata.

POMPEII litteris] *Pompeius litteris suis intexuerat exemplum litterarum Vibullii, vt intelligimus ex epistola prima huius libri. suis autem litteris Vibullius declararat quàm præclarè de Pompeio sentiret. id ergo ex litteris Pompeij cognosci poterat, quibus continebantur Vibullianæ.*

VNO in eo] *Deprauatam lectionem codicum vulgatorum sic ex fide Decurtati correxi,* vno in eo iudico spem de salute Reipublicæ. *Hæc verba* Cicero *descripsit ex Attici epistola. is enim scripserat, in vno Pompeio spem de salute Reipublicæ ponendam esse, quod* Cicero *ita interpretabatur, vt necesse esset, quocũque Pompeius iret, eum sequi, & si ex Italia discederet, inde quoque migrare. Verùm Atticus non ita senserat, vt ipse declarat epistola* x. *libri* IX: ego verò, *inquit*, nulla epistola significaui, si Cnæus Italia cederet, vt tu vna cederes.

SED cur] ἀποσιώπησις. *sed cur ita existimem nunc taceo, & tibi iudicandum relinquo.*

IN EPISTOLAM III.

SED sicne caussam] *Emendaui ex Decurtato,* sed sic ne caussam, *cum vitiosè antea legeretur,* sed sine caussa, *Sumi autem debet* ἀπὸ κοινοῦ *ex iis quæ proximè antecedunt verbum,* defugerem.

Sic autem, puta, si munus illud non obirem.

AVT quo modo] *Decurtatus & Crusellinus,* aut quo modo, *ut libri Malaspinæ.*

EST illa etiam Thrasybuli] *Acutissimè vidit Malaspina ita legendum esse,* est illa etiam Thrasybuli: *idque ita perspicuis & certis rationibus probauit, ut ne ipsum quidem Ciceronem, si reuiuiscat, ei refragaturum existimem.*

IN Caieta est] *Caieta hîc nomẽ est villæ* Ciceronis *in agro Caietano sitæ. idcirco dixit,* in Caieta, *non* Caietæ. *sic epistola* VII *libri* XIIII, postridiè Idus Paullum in Caieta vidi; *& libro primo,* ea sunt ad Caietam exposita.

IN EPISTOLAM V.

CVM ante lucem] *Hæc multò castigatius leguntur in Scidis, Tornæsiano, & Decurtato, quàm in vulgatis: sic enim ea referunt illi veteres libri,* cùm ante lucem VIII. KAL. litteras at te de Dionysio dedissem. *atque ita edidi.*

ETSI solet eum] *Hæc pendent ex superioribus illis,* venit auctoritate tua motus. *significat enim Dionysium non semper aliorum auctoritate moueri consueuisse, ad veniam deprecandam, sed ipsum per se, neminéque hortante quandoque pœnitentia ductum fuisse; in eo verò negotio certissimum fuisse, id est, prorsus ἀμεταμέλητον. Itaque falluntur qui pro,* numquam autem, *hîc substituunt, repugnantibus libris antiquis,* nunquam tamen.

CERTIOR] *Putaui aliquando hîc scribi oportere*, certitior. *sed eam lectionem contra veterum librorum auctoritatem tueri nolo. certus hîc est quem Horatius vocat propositi tenacem, hoc est, quem sui consily nullo modo pœnitet. Sic certior pro constantiore accipitur epistola* XI *libri* X *ad hunc ipsum*, & quo ille me certiorem vult esse, eo magis timeo ne in eum existam crudelior.

ῥί-ψαι] *Cum legissem in codice Tornæsiano*, ipse, *statim conieci Ciceronem scripsisse* ῥί-ψαι, *cuius mea coniectura Lambinum tum admonui. sed is eam sibi adscripsit. Posteà verò omnibus litteris exaratum reperi in Decurtato* ῥί-ψαι.

ΠΟΛΛΑ μάτην] *Integrum versum ita referũt Scidæ, & Tornæsianus,*

πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα.

Incertum est cuius sit auctoris. Videtur autem, quisquis ille fuit, furentem bouem describere voluisse, qui fœnum, paleas, festucas, atque adeo arenam ipsam cornibus spargeret, sursúmque iactaret. Ei Cicero Dionysium assimilat, qui statim vt ab ipso discesserat, multa in eum iecerat maledicta, frustra tamen, quia ea Ciceronis aures non attigerant. θυμήναντα *non ad* ἠέρα, *sed ad Dionysium furentem refertur. Similis versus legitur apud Catullum in ecloga de nuptiis Pelei & Thetidis:*

Sic domito sæuum prosternit corpore Theseus
Nequicquam vanis iactantem cornua ventis,

EVM dixisse] *Lego ex Scidis*, eum dixisse, suo capiti, vt aiunt, *repetendum enim* ἀπὸ κοινοῦ

verbum, audiui.

SED O MEAM] *Mei omnes probatiores, hoc est, Decurtatus, Tornæsianus, & Crusellinus*, sed ô meam, *quam scripturam expressi.*

DES M' CVRIO] *Inscripto huius fasciculi litterarum erat huiusmodi*, DES M' CVRIO, *quo modo legitur in Decurtato. nam in Tornæsiano & Crusellino vitiosè exaratum est*, DE MARCO CVRIO.

IN EPISTOLAM VI.

A. D. XIII KAL.] *Dubitat Manutius hic ne scribendum sit* XIII KAL, *an in epistola ad Cn. Pompeium hoc ipso libro*, VIII KAL. *Sed Decurtatus omnem dubitationem tollit: vtroque enim loco habet* A. D. XIII KAL. *& ita edi iussimus.*

NIHIL in vita] *Primùm hic apponam scripturam Decurtati (nam aliorum librorum menda proferre nihil hîc iuuaret) tum quid in ea castigarim explicabo. sic autem est in optimo illo codice*, spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil in vita. sed nec recentia hoc quod cum fortiter diligenter tum etiam hercule modo: modo enim audiui, &c. *Monstra hæc scriptura ita procuranda existimaui. primùm statui collocandum esse punctum post vocem*, vita; *scribendúmque*, recenta, *pro*, recentia; *próque*, diligenter, Dij illigent te, *& pro*, hercule modo, herculeo nodo. *nam quæ sequuntur*, modò enim audiui, *alterius*

ſunt periodi. Ait ſe ſperare nihil ſibi & Attico, quamdiu victuri ſint, obfuturum, quoniam vtrique nihil adhuc nocuiſſet. mox vetat Atticum id recinere, id eſt, ſæpe plangendo iterare, quod frequentiſſimè antea querebatur, ſe ſcilicet fortiter, & herculeo nodo a Diis illigari: qua expoſtulatione indicabat ſe grauiter afflictari febre quartana. eam enim Cicero audierat ab illo diſceſſiſſe. ideo ipſum hortatur vt deſinat huiuſmodi querimoniã. Verùm, vt ſingula verba expendamus, verbum, recenta, *ſignificat recine, à verbo recento, quod iunctum eſt ex re & canto, vt occento in* XII *Tabulis ex re & canto. aliunde enim deriuatur verbum,* recento, *quod Nonnius interpretatur nouo, nempe à nomine,* recens. *iam,* fortiter, *eſt, ſummo niſu, atque conatu. Plautus Bacchidibus,* abducite hunc intro, atque adſtringite ad columnam fortiter: *Idem Mercatore,* non abſtulit modò, ſed in amorem coniecit fortiùs. *Quam verò elegãter febris quartana nodus herculeus dicatur, ſciunt omnes quibus ignota non eſt eius morbi pertinacia.*

IN EPISTOLAM VII.

SIVE à Moneta] *Ad ædem Iunonis Monetæ Romæ numi cudebantur. inde numi ipſi moneta nomen adepti ſunt. Mandarat verò Cicero Philotimo, vt à moneta, vbi numi percutiebantur, pecuniam ſibi ad viaticum pararet, auro argentóue*

infecto cum ea per mutato, aut vt numos ab iis argentariis fœnori acciperet, qui in ædibus Veliensibus Attici habitabant. Aenigma de Oppiis Veliensibus supra explicauimus.

IN EPISTOLAM VIII.

ΠΡΟΣ τοῦθ' ὅ,τι χρὴ] *Quamuis sciam paullo aliter hunc legi in ea Comœdia Aristophanis, quæ inscribitur* Ἀχαρνῆς, *quàm hic exaratus sit, tamen eò temeritatis progredi nolui, vt contra veterum librorum fidem, reiecta ea lectione, quam ipsi referunt, Aristophaniam eius loco reponerem, quemadmodum fecit Lambinus, cuius audaciam in ea re satis mirari non possum. Quæ enim hic variant, de industria à Parodo quodam, ni fallor, mutata fuerunt. Cùm enim sub persona Chori* ἐν τῇ παραβάσει *polliceretur Aristophanes se edocturum multas præclaras res populum Atheniensem, quæ valde conferrent ad bene, beatéque viuendum, in iisque referendis assereret se blanditiis, & adulationibus auram popularem non captaturum, aut quicquam gesturum fraudulenter, versutéue, cúmque ludibrio & contumelia cuiusquam, hæc, inquam, quæ magno vsui fore videbantur Reipublicæ Atheniensi cùm se præstiturum reciperet, tandem in Cleonem populi beniuolentiam assentationibus aucupari solitum, virum infamia insignem ob impudicum corporis obsequium, his verbis inuehitur,* πρὸς ταῦτα κλέων καὶ παλαμάσθω, καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ

τεκταινέσθω.

τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, καὶ τὸ δίκαιον ξύμμαχον ἔσται. *Aduersus hæc, quæ polliceor, Cleon machinas struat, & quiduis in me moliatur. à me enim stat quod rectum & honestum est. quin etiam æquitas se mihi sociam adiunget. Atque hæc quidem sic scripsit Aristophanes. Verum alius quidam, cùm hos de Cleone versus alio detorqueret, prima verba* πρὸς ταῦτα κλέων *ita* παρῳδικῶς *mutauit,* πρὸς ταῦθ' ἃ χρεὼν, *id est, aduersus hæc quæ oportent, aut singulari numero* πρὸς τοῦθ' ὃ χρεὼν: *deinde ex interpretatione pro* ὃ χρεὼν *repositū est* ὅ,τι χρὴ, *ut etiam legitur apud Suidam. Quare nihil hic mutandum puto, nisi pro* ταῦθ' ὅ,τι χρὴ, τοῦθ' ὅ,τι χρή.

Qvo minus ad te plura, *Veteres mei*, quo minus ad te plura. *Victorius omisit vocem*, minus.

In epistolam IX.

Vos duo Cales] *Pro*, tales, *castigaui*, Cales, *secutus coniecturam doctissimi & acutissimi viri Iusti Lipsii, qui libro* III *Variarum lectionum ita reponendum censet. Cales autem municipium est Italiæ, quo obuiam ire Cæsari decreuerant Atticus, & Sex. Peduceus.*

Sed leto vultu] *Vulgatam lectionem retinui, quam etiam refert Decurtatus. At Tornæsianus habet*, sed toto vultu.

Retractando] *vulgati*, retractando,

manuscripti nostri, retrectando.

CONVENTVS] *Nisi Senatores Romæ in vnum conueniant. Conuentus hic cœtum significat.*

IN EPISTOLAM XI.

LAMENTARI autem licet] *Iure licet Lamentari, cùm in summo discrimine Respublica versetur.*

ILLVD tamen totos dies] *Totos dies tamen licet illud, nempe lamentari. satis temporis habeo ad lamentandum: ideo saltem oportebat mœrorem in scribendo deponere. Correctio est proximi dicti. Sic epistola prima libri* XVI, sed stomachari totum diem licet.

ET QVATI vtriusque vi] *Ex vestigiis veteris scripturæ sic hunc locum restitui*, conculcari, inquam, miseram Italiam videbis proxima æstate, & quati vtriusque vi, mancipiis ex omni genere collectis.

PROSCRIPTIO] *Hæc epistola periit in Decurtato, ideo nihil hic adiutus sum eo libro. Huraltinus lectionem refert Victoriani manuscripti, nempe* IPTIO. *Tornæsianus & Crusellinus habent*, emptio, *vt veteres excusi. nihil probabilius nunc duxi coniectura Victoriana. Itaque excudendum iussi*, proscriptio. *Ceterùm pro*, igitur, *correxi*, licituris, *hoc est, iis qui liceri volent proscriptorum bona. nam liceor est licitor.*

VNIVERSIM interitus] *Pro*, vniuersum,

quod erat in veteribus membranis, reposui, vniuersim. *Eadem forma idem auctor alibi scrisit*, arctim, *pro*, arcte: *eadem etiam veteres dicebāt cautim, strictim, minutim.*

IN EPIST. I. POMP. AD CICERONEM.

CN. MAGNVS] *In meis omnibus legitur, vt edidi*, CN. MAGNVS. *ita etiam in suis fuisse refert Malaspina.*

IN EPIST. I. CICERONIS AD POMPEIVM.

NAM L. Torquatum] *Hic quoque conuenit exemplaribus nostris cum iis quibus vsus est Malaspina. habent enim*, nam L. Torquatum.

IN EPIST. II. POMPEII AD CICER.

S. V. B. E.] *Hac epistola quatuor his notis inchoatur in codicibus nostris* S. V. B. E. *quæ hoc declarant*, Si vales bene est. *idem quoque initium est epistolæ Balbi ad Ciceronem libro proximè sequenti*, S. V. B. E. Postea quam, &c. *quo loco ineptè in vulgatis legitur*, Sub posteaquam.

IN EPIST. II. CICER. AD POMPEIVM.

QVAMBREVEM] *Scripsi*, quambreuem, *vt erat in Tornæsiano, Crusellino, & Decurtato. Sic*

Latini dicunt quam multos, & quam longè, & alia eius generis.

IN EPISTOLAM XII.

CVM IMPARATAM] *Codex Tornæsianus,* imperatam, *quo modo legendum cùm Lambinus, tum alij viri docti existimant. Sed cùm vulgatam lectionem,* imparatam, *retineat Decurtatus, eam suo loco mouere nolui. confirmatur enim his Ciceronis verbis ex epistola ad Pompeium,* quod quidem tibi ostenderam, cum à me Capuam reiiciebam: quod feci non vitandi oneris caussa, sed quod videbam teneri illam vrbem sine exercitu non posse.

AD TE mitto] *Tornæsianus,* ad te misi: *reliqui vulgatam lectionem retinent. itaque eam non mutaui.*

IN EPIST. POMPEII AD COSS.

QVAS BRVNDISIVM] *Lego, vt est in priscis nostris,* quas Brundisium præsidium misi: *atque ita edi iusserã; sed operæ iussis non paruerũt.*

DELLIO mandaram] *Emendaram,* D. LÆlio, *ex epistola Ciceronis ad Pompeium. sed operæ, me inuito, vulgatam lectionem Dellio ediderunt.* D. Lælio, *autem, est, per D. Lælium, D. Lælij opera, vt alio loco explicauimus. Nam Pompeius hæc mandarat Consulibus: mandata autem pertulerat D. Lælius: quod Cicero declarat his verbis,*

in illa epistola ad Pompeium, ex his mandatis, quæ D. Lælio ad Consules dederas, certior tui consilij factus, non expectaui, dum mihi à te litteræ redderetur.

S E per montis explicare] *Nostri omnes*, se per montis explicare. *atque sic, vt opinor, scripsit Pōpeius, quāquam dur usculè. nam*, se, *posuit pro*, *ipsum: &*, se per montis explicare, *pro, ad ipsum per montis explicandum, vt ipsum per montis explicem. Explicare aliquem est eum expedire, & liberare iis difficultatibus, & impedimentis, quibus implicatus est, & impeditus. Idem Pompeius in epistola* III *ad ipsum Domitium*, da operam, si vlla ratione etiam nunc efficere potes vt te explices, huc quamprimum venias.

A C ita video censeri] *Perspicuè scriptum est in Scidis*, ac ita video censeri M. Marcello, *prorsus rectè. In Tornæsiano pro*, ac ita, *corrupte exaratum est*, altia. *in ceteris ei conuenit cum Decurtato. Hîc operæ vitiosè excuderunt*, & ita, *pro*, ac ita, *contra quàm mandaram*.

IN EPIST. I. POMPEII AD DOMITIVM.

E T I A M & etiam] *Edidi, auctore Decurtato*, etiam & etiam. *Sic Balbus in epistolâ ad Ciceronem*, & non se totum etiam & etiam ab sermone nostro auertisset. *Cicero dicere solet*, etiam atque etiam.

IN EPISTOLAM XIIII.

ID EST Feralibus] *Hac verba*, id est, Feralibus, *in omnibus meis leguntur, & puto Ciceronis esse. Nam is ex Fastis veterum Pontificum Feralia retulit in octauum Kalendas Martias, quo die Canusio decessit Pompeius, vt idem confirmat epistola prima libri sequentis. At Ouidius & alij posteriores alios Fastos sequuti, nempe eos qui à C. Cæsare & Augusto postea correcti fuerũt, eũ diẽ festũ triduo ante collocãt. ei enim assignant vndecimũ Kalendas Martias. Sic variatum reperias in Terminalibus, quæ Ouidius adscribit Nono Kalendas Martias, Varro septimo. sic denique in Vinalibus, quæ à Varrone referuntur in duodecimum Kalendas Septembris, à Festo verò & ab auctore Kalendarij Manutiani in decimũ quartũ.*

DICTIS militum celeritatem] *Quidam*, diariis: *nostri veteres*, dictis, *quos sequuti sumus. sed videndum an Cicero δικροῖς scripserit, vt, quemadmodum idem auctor alio loco dixit furcilla extrudere, Horatius furca expellere, & Aristophanes δικροῖς ὠθεῖν, sic etiam δικροῖς incitare hoc loco dixerit.*

IN Tiburti] *Nihil discrepant ab excusis Tornæsianus, & Crusellinus. Decurtatus sic refert*, modò esse in Tiburti haut lepide, quod cùm Lepidus, ad vrbem accessisse. *emendaui*, modo esse in Tiburti haud lepidè; quod cùm lepidius, ad

vrbem accessisse. *Modò, inquit, audimus Domitium esse in prædio Tiburti haud lepidè. turpe est enim nobilem & fortem virum, cuius consilio & opera nunc Respublica maximè egeat, in agrum, sui occultãdi caussa, secessisse. itaque id nemini persuaderi potest. cùm verò lepidius & honestius aliquid fertur de eius profectione, audimus eum ad vrbem accessisse, quod item falsum est. Prædium hoc Tiburs, quò dicebant secessisse Domitium, erat, vt opinor, Lepidi: ad cuius nomen cùm* Cicero *alluderet scribit vulgo narrari Domitium in fundo Lepidi haud lepide rusticari.*

IN EPISTOLAM XV.

QVAM te scribis dedisse Pinario] *Ita singulis capitibus primæ Attici epistolæ respondet, vt simul eius verba repetat. ille enim scripserat se epistolam dedisse Pinario, & expectare quid ageret Vibullius præmissus ad Cæsarem cum mandatis, sciréque velle quemadmodũ ipse redeuntẽ Cæsarem exciperet; tum se Athenionis fugam intendere, nesciréque an Domitius foret cum fascibus. His* Cicero *ita rescribit, se Pinarium non vidisse; Vibullium à Cæsare visum non esse; cogitare se de vitando Cæsare; probaréque consilium illius de intendenda Athenionis fuga, & vitæ cõmutatione facienda; se denique cupere certiorem ab eo fieri de fascibus Domitij, simulatque is aliquid ea de re intellexerit.*

HAVE Athenionis fugam intendis] *Nihil*

deprauatius ea scriptura, quam hic veteres libri referunt. apponam tantùm lectionem Decurtati, & Crusellini, quòd eam minus corruptam existimem, quam eam, quæ in aliis reperitur. Sic verò habet Decurtatus, habe Athemonis fugam intendis: *Crusellinus ita*, haut Anthemonis fugam tendis. *correxi*, haue, Athenionis fugam intendis. *Ludebat Atticus in suo cognomine, inque nomine Athenionis, quasi, cùm de fuga cogitaret, cognomen, quod Athenis reportarat, mutaturus esset in nomen fugitiui Athenionis, ita vt ex Attico fieret Athenio. nam vtrunque nomen originem habet ab Athenis. Athenio dux in Sicilia fuit fugitiuorum. Haue autem dicere solebãt ab aliquo discessuri. idcirco Catullus fratrem suum ita postremùm salutat*, Atque in perpetuum fratrer haue atque vale. *eodem etiam verbo finiebant quandoque epistolas. Catilina apud Sallustium*, Orestillam tibi commendo, tuæque fidei trado; eam ab iniuria defendas per liberos tuos rogatus. haue. *Augustus in fragmento mollissimæ cuiusdã epistolæ ad Mæcenatem*, Vale mel Centinũ, & Veiens; ebur ex Etruria; laser Aretinum; adamas Supernas; Tiberinũ margaritum; Cilniorum smaragde; iaspis Figulorum; berylle Porsennæ; carbunculum Tolumnij: haueas, *ἵνα συντεμῶ πάντα, μάλαγμα* mœcharũ. *sic nos hæc verba restituimus purgatis maculis quibus fœdissimè inquinata erant apud Macrobium. Ceterum veteres aspirationem vt plurimum verbo* haue *præfigebant, vt alibi docuimus. inde hic deprauatè*

exaratum est in Decurtato, habe, *pro*, haue.

SED nihil dissero] *Prisci nostri partim*, desero, *partim*, dilero. *probaui eorum lectionem, qui reposuerunt*, dissero. *nihil, inquit, dissero & disputo de eo quod in hac re me facere oportet. mihi satis est scire quid tibi placeat*, & *quid rectum sit.*

IN EPIST. BALBI AD CICER.

PLVRIMVM apud eum] *Malaspina*, plurimũ apud eum valiturã, *quam lectionẽ in omnibus meis inueni: atque ita iusseram excudi. sed operæ dicto non paruerunt.*

IN EPISTOLAM XVI.

PRAETER occultum & tutum] *Manutius legendum suspicatur*, præter occultum & tutum iter. *ego verò auctoribus Scidis & Crusellino, ita reponendum affirmo.*

DEMVM quem exspecto] *Edidi ex Decurtato*, demum quem exspecto: *quam lectionem Manutio placere video.*

IN LIBRVM IX.

IN EPISTOLAM I.

CANVSIO VIII. KAL.] *Ante quam Cæsar fastos emendaret Feralia* VIII. KAL. *Martias*

agitabantur , à quo die vſque ad pridie Nonas eiuſdem menſis tot ſunt dies , quot hîc Cicero enumerat , hoc eſt , quatuordecim . nam menſis Martij Nonæ fuerunt ſeptimanæ , vt refert Macrobius.

IN EPISTOLAM IIII.

κατάλυσιν πραγματευτέον] *Editio Victoriana,* κατάλυσιν πειρατέον . *Veteres noſtri , quorum fidem ſequuti ſumus ,* πραγματευτέον.

ΜΗ αὐτὸς αἴρηται] *Vulgata lectio* ἔῤῥηται *per-ſpicuè mendoſa . Scidæ habent* ΕΡΗΤΑΙ*: Torna-ſianus* ΕΡΕΗΤΑΙ*: ſcripſi* αἴρηται*, hoc ſenſu , an verendum, ne qui tyranidem euertit, ipſe erigatur, & ſe ſe ſupra alios efferat , ſicque imperium & tyrannidem occupet . Mox ex iisdem libris edidi* τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον ἢ πολέμῳ. *illud* καιρῷ *explicat Cicero libro ſuperiori, vbi tra-dit ſeruiendum eſſe tempori, vt fecerunt Philippus, Flaccus , & Q. Mutius.*

IN EPISTOLAM V.

CVRTIVM in Curia] *M. Curtium intelligit, de quo ſic idem ſcribit epiſtola ſequenti ,* quouis potius certè quàm vt Curtium videat , quem ego patronus adſpicere non poſſum . *De hoc Curtio quædam dicemus ad epiſtolam* XLVII. *libri* XII. *&* IX. *libri* XIIII.

EGO igitur] *Lectioni Manutianæ,*ego igitur,

adstipulatur vetus manuscriptorum nostrorum. Quia verò post hæc duo verba Cicero multa interiecerat, erátque longum ὑπέρβατον, ideo primam vocem postea repetiit, & ego verò, *inquit*, hæc officia mercanda vita puto.

Mea consilia nascentur] *Veteres libri*, ea cōsilia. *Vulgatam lectionem retinui, quamquam in ea subolet mihi aliquid mendi.*

IN EPISTOLAM VI.

Ad curium via Minucia] *Abest à publicis codicibus vocabum*, via, *quod tamen extat in nostris antiquis, quibus auctoribus id reposui*. Miuncia *autem, non*, Numicia, *scripsi, ex eorumdē præscripto; sicque legitur apud Horatium libro primo epistolarum in meo perueteri libro,*

Brundisium Minuci meliùs via ducat, an Appi.

Sed & modulus ipse mediæ syllabæ ita scribendum esse clamat. nam secunda syllaba Numicij produci solet, cùm contra in voce Minucij corripi debeat: Virgilius libro VII, hæc fontis stagna Numici: *& Ouidius libro* III. *Fastorum*, placidi sum nympha Numici.

Epistolas à primo] *Quidam legendum censent*, à prima: *sed in omnibus nostris est*, à primo. *quod cùm scribit à primo tempore, hoc est, ab initio intelligit. sic epistola* XI. *libri* VIII. sed hoc à primo cogitauit, omnia maria mouere.

Volebam vti populari vita] *Edidi ex fide*

Decurtati, qua facta volebam vti populari vita solicitudine senectutē nostram liberanti. *Antea depranatè legebatur*; vt, *pro*, vti; *pro*, vita, vt ea; *& pro*, liberanti; liberari. *in nonnullis etiam libris excusum erat*, videbam, *pro*, volebam.

IN EPIST. CAESARIS AD CICER.

MEO commodo] *Rectè Lambinus, ex Tornæsiano, vt vidimus, reposuit*, neque audire meo commodo potuissem, properarem, atque essem in intinere: *quæ scriptura totidem litteris extat in Decurtato, & Crusellino.*

IN EPISTOLAM VII.

QVASI animulæ restillarunt] *Expressi scripturam Decurtati*, quasi animulæ restillarunt: *cuius lectionis vestigia quædam, sed obscura & perturbata, extant in Tornæsiano in hunc modum*, quæ mihi quiddam qua stant mutæ testiliarunt, *cùm ait*, restillarunt, *significat denuò instillarunt, quòd iam anima quodammodo effluxisset.*

VT DVM agamus] *Vt, inquit, interim dum agamus de triumpho, id est, dum petimus triumphum, nauigatio tempestiua sensim veniat*. Cicero *causam suæ in Italia moræ triumphi petitionem prætexebat. interea expectabat opportunum tempus nauigandi ad Pompeium. agebat autem de triumpho, non quòd eum valde concupisceret (eum*

enim libenter erat abiecturus) sed ne ociosus & sine caussa in Italia morari videretur. hanc Ciceroniani huius loci sententiam qui ignorarunt, nimis audacter, contra veterum librorum fidem, hîc reposuerunt, vt dum vagamur.

NOS non profectos] *Tornæsianus*, non profectos: *Decurtatus*, nos non profectos: *de qua lectione dubitarum puto neminem.*

IN EPISTOLAM VIII.

ALTER multos D.] *In nullo manuscripto lectionem vulgatam*, alij multi, *reperi. sed in Tornæsiano erat*, alter multos: *in Decurtato*, alter multos D; *qua nota* Ciceronem *significasse puto*, dies. *quasi alter Torquatorum, nempe Lucius, multos iam dies profectus fuerit.*

IN EPIST. I. BALBI AD CICER.

S. V. B. E.] *Scitè Riuius notas in præpositionem*, sub, *conflatas, addito* E, *ita distinxit* S. V. B. E. *quo modo perspicuè legitur in Decurtato. Sic Pompeius libro superiori exorsus est secundam epistolam ad* Ciceronem; *vbi tamen vulgò hæ notæ desiderantur.*

CONCESSIT voluntate] *Publicæ editiones*, bonitate: *manuscripti nostri, vt edidimus*, voluntate.

IN EPISTOLAM IX.

PALPABOQVE] *Expreßi scripturam Decurtati*, palpabóque, vt antea ad te scripsi, ecquonam modo poßim. *alij libri* οὐδὲν ὄφελος. palpabo, *significat blandiendo, adulandóque leuiter tentabo, & experiar.*

ΣΟΦΙΣΤΕΥΩ enim] *Fœdæ maculæ hunc locum occuparant. Ego primus hoc tempore mihi videor germanam & natiuam eius lectionem Ciceroni restituisse partim coniectura, partim ope Decurtati nostri, qui hæc verba sic refert*, Sofestiuo enim simul vt rus decurro, atque in decursu θέσεις meas commentari non desino. *conieci enim Ciceronem pro*, sofestiuo, *scripsisse* σοφιστεύω. *indicat enim hoc Græco verbo se ficta quædam argumēta, sophistarum more, tractare: quales sunt, quæ vulgò feruntur, veterum aliquot auctorum declamationes. In Tornæsiano, & Crusellino pro* σοφιστεύω *legebatur*, festiuo, *quæ scriptura perspicuè ex hac nostra deprauata est.*

DE optimatibus] *Quod ais optimates probare institutum meum, vt vitam priuatam agam, & nullam Reipublicæ partem attingam, sit sanè vt vis. tecum enim pugnare nolo; quamuis verear vt ita sit. Verumtamen nosti tritum illud prouerbium, Dionysius Corinthi. turpe est enim virum summis honoribus functum, & in Reipublicæ administratione versari solitum, hoc est*, πολιτικὸν *ad vitam*

priuatam cogi; quod accidit Dionyſio Syracuſis eiecto. nam ſic hoc prouerbium διονύσιος ἐν κορίνθῳ, *id eſt, Dionyſius Corinthi habitat, Demetrius Phalereus interpretatur in commentario* περὶ ἑρμηνείας, παράδειγμα δὲ βραχείας συνθέσεως, *inquit*, τὸ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΙ ΦΙΛΙΠΠΩι, ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΕΝ ΚΟΡΙΝΘΩι. πολὺ γὰρ δεινότερον φαίνεται ῥηθὲν οὕτω βραχέως, ἢ εἴπερ αὐτὸ μακρῶς ἐκτείναντες εἶπον ὅτι διονύσιος ποτὲ μέγας ὢν τύραννος ὥσπερ σὺ, ὅμως νῦν ἰδιωτεύων οἰκεῖ κόρινθον.

SCIEBAM enim te quoto] *Proximè ad Adriani Turnebi coniecturam hac verba ſic refert Decurtatus*: ſciebam enim te quoto anno, & quantũ in ſolo, ſolere quærere; neque ſolum Romæ, ſed etiam Deli tuum Digamma videram. *ſic etiam, paucis exceptis, in Tornæſiano & Cruſellino legebatur. itaque imperitè feciſſem, ſi aliter edendum curaſſem. Indicat autem* Cicero *his verbis ſummum ſtudium Attici in quæſtu faciendo, qui, quòd maiorem fructum perciperet ex fœtu pecuniæ, quam ex agrorum prouentu, malebat numos fœnori collocare, quàm iis prædia commparare. Eum porrò tradit mirè cautum fuiſſe in nominibus faciendis. primùm enim quæſiiſſe quoto anno ſortem redditurí eſſent qui fœnori pecunias ſumebant, id eſt, quamdiu eſſent fœnebribus numis vſuri; tum quantũ iidem in ſolo haberent, hoc eſt, quo precio cenſerentur eorum prædia, & res ſoli: ne ſcilicet ij diutius numos retinerent, quàm vt bonorum prædiorum æſtimatio ſatis eſſe poſſet omnibus vſuris cum ſorte perſol-*

uendis. Est ergo Digamma, vt rectè Turnebus explicat, fœnus, ita dictũ, à prima eius vocis littera, quæ est digamma AEolicum. sic libro XV. δάνειον τῷ Δ notauit. Ceterùm Atticus Romæ pecunias fœnori occupare consueuerat, vtebatúrque in ea re opera quorundam argentariorum, quos Cicero obscurè in his epistolis Oppios Velienses appellat. Deli etiã fœnebrem pecuniam habebat, vbi celeberrimus fuit mercatus, quemadmodum refert Strabo libro XIIII.

DEMENTIAS] Sumptus immensos factos in ædificando & exornando Lanuino, vnde impensius vænibat.

EXPECTO alias] Vt in codicibus Malaspinæ, sic in Scidis legebatur, sed expecto alias: in Crusellino, alias tuas; vt facile indicatu sit vocem, tuas, ex glossemate additam fuisse.

IN EPISTOLAM X.

SICVT ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς] Magno argumento est corruptos esse vulgatos codices, cùm y valde discrepant à manuscriptis. exemplo sit hic locus, qui sic in publicis editionibus legitur, sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienantur immundæ, insulsæ, indecoræ: in Decurtato verò hoc modo, sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienant ruri immundæ visu illis vnde decor sit: quæ lectio hoc vno tantùm mihi deminuta esse videtur, quòd vocem vnde, quæ geminanda fuit, semel dumtaxat refert. ea igitur repetita, hinc omne mendum sustulimus. Vtitur autem Cicero eleganti similitudine ab immundicia, & illuuie rusticanarũ

mulierum petita, vt doceat se deformitate fugæ Pompeianæ ab amore ipsius Pompeij alienatum esse. quemadmodum, inquit, in rebus amatoriis mulieres rusticanæ, vndecunque sibi decorem & ornatum adsciscant, quia ipso aspectu fœdæ sunt & immundæ, alienant à se amatores: sic Pompeius, quantacũque honesti specie facta sua prætexuerit, fuga tamen & negligentiæ deformitate, me ab amore suo auertit. Immũdi sunt rustici, quod in immundo opere faciendo plerũque versentur. ideo apud Plautum Grunio, seruus rusticus, illuuies appellatur à Tranione seruo vrbano, germana, *inquit*, illuuies, rusticus hircus, hara suis.

AVIS illa] τὸ illa, ἐπιρρηματικῶς *accipiendum, pro illac, id est, illa parte qua Pompeius transmisit.*

HAEC hæc me] *Geminatur pronomen*, hæc, *in Scidis, & Tornæsiano, qui libri mihi hîc fundi, vt alias, fuerunt. Iisdem etiam libris auctoribus scripsi*, alia res nunc tota est, alia mea: *& mox*, si vel periculosè experiundum erit.

QVOD quæris] *Cicero epistola* III. *libri* VIII. *quæsierat ab Attico, quid sibi faciendum esset, manendúmne in Italia, an cũ Põpeio fugiendũ; & cum in vtrãque partem ea de re disputaret, mansionem turpem, & viro forti indignam existimabat, vt declarant hæc eius verba*, Accedit illud: si maneo & illum comitatum optimorum & clarissimorum ciuium desero, cadendum est in vnius potestatem, qui, & si multis rebus significat se nobis esse amicum, &, vt esset, à me est (tute scis)

propter suspicionem huius impendentis tempestatis multò ante prouisum, tamen vtrumque considerandum est, &, quanta fides ei sit habenda, &, si maximè exploratum sit eum nobis amicum fore, sítne viri fortis, & boni ciuis esse in ea vrbe, in qua cùm summis honoribus imperiisque vsus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo præditus, non futurus sit sui iuris, subeundúmque periculum sit cum aliquo fortè decore, quandò Pompeius Rempublicam recuperarit. *fugam verò periculosam putabat, vt ibidem his verbis significat.* Itaque habui nihil omnino negotij, quòd ab initio vidi nihil quæri præter fugam. eam si nunc sequor, quo nam? cum illo non: ad quem cum essem profectus, cognoui in iis locis esse Cæsarẽ, vt tutò Luceriam venire non possem. infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima, nauigandum est. *Ei verò consultationi ita postea Atticus responderat, vt hoc loco refert Cicero,* Quod quæris fugam nec fidam, an moram defœdam vtiliorem putem. *sic enim hæc verba conceperat, vt partim declarant quæ modò ex ipsa Ciceronis cõsultatione adduximus, partim veterum optimorum librorum, hoc est, Decurtati & Crusellini testimonia.* Nec fidam, *autem dixerat pro*, non fidam, *qua forma veteres dicebant furtum nec manifestum, rem nec mancipi, nec opinato, & alia multa id genus.* defœdam, *autem, pro valde fœdam. nam* τὸ de *in cõpositione* αὐξητικὸν *est, vt pluribus docebimus libro* XIII. *in explicatione vocis*, deficti.

MORAM] *Mansionem in Italia.*

EGO vero nulla epistola] *Hæc videntur referenda ad eum locum epistolæ secundæ libri* VIII, Facio pluris omnium hominum neminem; sed non ita, VNO IN EO IVDICO SPEM DE SALVTE REIPVBLICAE. significas enim aliquanto secus, quàm solebas; vt etiam, Italia si ille cedat, putes cedendum.

SI M. Lepidus] *Hæc respondent illis epistolæ prima libri* VIII: nec me M. Lepidi, L. Volcatii. Ser. Sulpicij comitum pæniteret: quorum nemo nec stultior est, quàm L. Domitius; nec inconstantior, quàm App. Claudius.

ADVERSVS me nihil opus] *Hæc sic refert Decurtatus*, aduersus me nihil opus esset, consciis ego aliis. *emendaui*, aduersus me nihil opus est, sed consciis egeo aliis. *non me pœnitet, inquit, paruisse consilio tuo. ideo nihil opus est vt aduersus me ea deffendas, quorum mihi auctor fuisti. non enim ea improbo. sed quia ea fortasse poterunt ab aliis quibusdam reprehendi, quos mihi conscios esse opus est, me, quòd tuum consilium sequutus sim, nihil peccasse; idcirco illis, non mihi, auctoritatem tuam defendito.*

ID est XIII. KAL.] *Scriptum initio fuerat in Decurtato* XIII. KAL., *vt perspicuè adhuc apparet: postea alterius manu interpolatum est* XIIII. KAL. *Ego priorem lectionem, vt certiorem sequendam puto. nam dies* XIII. KAL. *Aprilis, & Quinquatrus, idem est dies. Etenim, antequam*

fastos Cæsar emendaret, cùm mensis Martij Nonæ, vt ait Macrobius, essent septimanæ, non, vt hodie, sextanæ, Idus Martiæ in XVI. *diem Martis incurrebant. itaque quinctus postea dies erat* XX. *Martij, hoc est,* XIII. KAL. *Aprilis, quo die tunc Quinquatrus celebrabantur. Cùm ergo Cicero primam partem huius epistolæ vsque ad illa verba,* venit etiam, *exarasset, ante quam Matius ad se venisset, qui Matij aduentus fuit eodem quidem die, sed ea hora qua Quinquatruum celebritas agebatur, postea cùm reliquam partem epistolæ ex internallo pertexeret, & aduentum Matij in ea narraret, potius scripsit Quinquatribus eum venisse, quam eodem die, nempe* XIII. KAL. *Aprilis supra adscripto, & paullo post,* pridie, *potius quàm,* heri, *quòd non modò diem aduentus Matiani, sed etiam partem eius diei, qua venerat, indicare vellet.*

CRASSIPES] *In Tornæsiano, & Crusellino,* Crassipus.

POTIS attendere] *Veteres libri,* potius: *scripsi,* potis, *id est,* δυνατὸς. *sic alibi in his epistolis* pote, *scriptum reperias, pro* δυνατὸν.

ET μεσοποταμίαν] *Post,* Arabiam ἀδαίμονα, *antiqui nostri subiiciunt,* &, μεσοποταμίαν: *quo modo edendum curaui.*

IN EPIST. CICERONIS AD CAESAREM.

FAVTOR dignitatis tuæ] *Alij libri,* auctor: *nostri*

nostri veteres, fautor, *omnino meliùs.*

ME è paucis] *Vulgo legebatur*, me & pacis: *correxi ex antiquiori nostro*, mè è paucis, *vt enim meliùs persuadeat Cæsari è Republica esse, vt ipse in primis conseruetur, paucos ait aptos esse ad sarciendam partium concordiam: in iis verò se quam accommodatissimum fore. sic officij & industriæ raritate se ipse commendat.*

IN EPISOLAM XII.

ECQVIDNAM est tui consilij] *Scribendum vno verbo*, ecquidnã, *& duobus*, ad finis. *nũquid nã tui consilij est ad fines, & terminos huius miserrimæ vitæ? id est, suppetit ne tibi aliquid consilij, quo perducar ad metas huius infœlicissimæ vitæ, & in aliam beatiorem migrem? Sic apud Catullum*, ecquidnam in tabulis patet lucelli expensum?

IN EPISTOLAM XIII.

FVIT, etiam valde:] *Auctore Decurtato reposui*, etiam, *pro*, & tam; *& mox*, ecquam, *pro*, & quam.

ἰλάπιζεν] *Quantumuis reclamet Victorius, legendum est* ἰλάπιζεν, *vt exaratum est in Scidis, Tornæsiano, & Crusellino.*

PEDITVM CCIↃↃ] *Deerat hîc numerus peditum, & equitum, quem ex Decurtato sic expressi*, peditum CCIↃↃ, equitum sex polliceri

sumptu suo, annos decem. *id est, peditum decem millia, equitum sex millia. In Tornæsiano pro,* sex, *legitur,* se.

NON vt ille vectigal] *Restitui particulam,* vt, *ante vocem,* ille, *ex Decurtato. ille Pompeium indicat; hic & ille Cæsarem.*

VT tu scribis, ludum] *Id est, certamen, & dimicationem partium in hoc bello ciuili. innuit bonos viros noluisse interesse certamini, quod futurum erat inter Cæsarem & Pompeium, sed quietos mansisse. sic libro* XIIII. *bellum ciuile vocat ἀγῶνα.*

SIGNIFICASSE te] *Rectè Scida,* significasse te, *vt edidi. petierat enim Atticus à Cicerone, vt sibi scriberet, quisnam Cæsar esset, gratus, an inuisus populo Romano.*

SEDET iste] *Scripsi vno verbo,* sedet: *id est, in honore est, auctoritate valet, ducta metaphora à magistratibus sedentibus.*

PLVS ostenderat] *Cæsar initio plus ostenderat quàm præstitit. minabatur enim se hostium loco habiturum eos omnes, qui contra se arma ferrent. sed eas minas postea in humanitatem vertit.*

TROIANVM somniabam] *Hinc perspici potest Lauuinos vocari solitos tam qui Lauinium incolerent, oppidum agri Laurentis ab AEnea conditum ad eum locum, qui Troia dicebatur, quàm qui Lanuuium, oppidum situm supra Aritiam, ad dexteram via Appia, vt refert Strabo. quinimo vtrumque oppidum ætate Ciceronis, Lanuuium fuisse nuncupatum.*

Téne hæc posse ferre?] *Abest à vulgatis vocula, te: In Decurtato sic hæc verba concipiuntur,* te nec hæc posse ferre. *lego cum interrogatione,* téne hæc posse ferre? *Quasi Atticus tranquillo animo legisset, quæ ipse de Lentulo modò scripserat, stomachatur in eius lentitudinem. ea enim prorsus ferri non posse videbantur. Puto librarios vulgò omisisse pronomen,* te, *propter similitudinem voculæ quæ proximè antecedebat. nam sæpe ex duobus vocabulis inter se similibus alterum omittebant.*

IN EPISTOLAM XIIII.

Fecisse ab ambitionem] *Multi hîc aliquid deesse putant: ego nihil. tantum pro,* fecisset, *lego,* fecisse, *& ita interpungo,* nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce: fecisse ad ambitionem quibus exilij pœna superioribus legibus non fuisset. *Cæsar dicebat Curionem nihil se duce facere, quod non Pompeius fecisset duce Sulla: immo multò grauiora patrasse Pompeium Sulla rerum potiente, quàm Curionem se imperante. nam quibus hominibus exilij pœna ad ambitionem in petendis magistratibus coercendam superioribus legibus constituta non esset, eis Pompeium illam irrogasse, noua lege lata de ambitu: ab illo verò, nempe Sulla, patriæ proditores reductos fuisse. ita Sullæ & Pompeij scelere eiectos in exilium fuisse plerosque egregios viros, & patriæ proditores vrbem occupasse. Cæsar ad maiorem inuidiam Pompeij ambitum vocabat ambitionem, quasi Pōpeius non*

modò ambitum, sed etiam ambitionem coercuisset. Tulerat Pompeius legem de ambitu, qua perpetuum exilium damnatis infligebatur. ideo tradit Dio libro XX. *eum ambitus pœnas hac lege multum auxisse. nam Tullia, quam* Cicero *Consul tulerat decennale tantum exilium irrogabat. sed nos fusiùs ea de re disseremus in libris de legibus Græcorum & Romanorum.*

HAC contra] *Legendum*, hâc, *vt est in Decurtato, non*, hæc, *vt referunt excusi. scribit enim Cicero Cæsarem dicere solitum se neminem violaturum, nisi qui arma aduersus se ferret hâc, id est, hac parte, nempe pro Pompeio. nam cùm* Cicero *Pompeij partes sequeretur, ad eas, tãquam ad suas, retulit vocem*, hac.

SED qui S. vlli] *Nihil hîc mutaui; tantùm notam* S. *à vocabulo*, QVI, *cui importunè adhæserat, separaui. indicat enim Bæbium illum, hominem non infantem, sed disertum, nulli* S. *id est, salutem dicere: quod tamen pueri faciunt, simulatque incipiunt fari. lubenter enim quos norunt salutant. sed Bæbius idcirco nulli salutẽ dicebat, quòd assereret neminẽ saluũ fore, qui à Cæsare non staret. Est ergo iocus ex ãbiguo in his verbis* Salutẽ dicat.

NE Anteros quidem] *Auxilio Decurtati sic hunc locum restitui*, ne Anteros quidem qui à te. *Ibi enim legitur*, ne ante post quidem qui à te. *Scripserat, vt opinor,* Cicero ΑΝΤΕΡΩΣ *Græcè, quod vocabulum cùm imperiti quidam librarij describerent putarunt τὸ* Ρ *esse* P *Latinum. inde*

primùm factum est ANTEPOS, *& postea* ANTE POST. *Anteros libertus fuit Attici, cuius mentio fit epistola prima libri* XI. *Sensus autẽ horũ verborum est, a te nihil attulit litterarum, ne Anteros quidem, qui à te venit.*

IN EPISTOLAM XVII.

SED si Sulla potuit] *Castigaui*, sed si Sulla potuit, *ex Tornæsiano, & Crusellino. Abscissa fuerat è Decurtato tota hac epistola, & quæ proximè sequitur.*

T. Rebillum quidem] *Tornæsianus, & Crusellinus* Trebillum; *quo modo in suis fuisse referunt Victorius, & Malaspina. Scripsi T. Rebillum. nam nota T. prænomen indicat Rebilli, qui Titus Caninius Rebillus dicebatur.*

QVAE Aegypta attulit] *Assentior Turnebo legenti*, quæ Aegypta attulit. *Aegypta liberti alibi meminit in his epistolis Cicero. Mox ex Tornæsiano, & Crusellino edidi;* illa leuia misi ad te ante.

PHILARGYRO bene curasti] *Verbum*, curasti, *addidi ex Tornæsiano, & Crusellino, cùm à vulgatis abesset. Quem autem hoc nomine intelligat, incertum est. puto alterum eorum duorum significari, quos a filio insciente se discessisse queritur epistola secunda libri sexti. Is verò Ciceronem, vt opinor, ideo reliquerat, quòd ei* Cicero *de mercede aliquid detersisset, quæ tamen postea, beneficio Attici, illi integra persoluta est; ne illum*

Cicero, sed ille Ciceronem, reliquisse videretur.

TREBATIVS Scæuola] *Trebatio non modò Testa, sed etiam Scæuola, a studio, vt opinor, iuris ciuilis, in quo Mutij Scæuolæ valde excellnerant, cognomen fuisse declarat locus hic epistolæ XXIII libri XIII, vbi Cicero de Trebatio loquitur*; quare da te in sermonem, & perseca, & confice; excita, compella, loquere, vt te cum illo Scæua loqui putes. *& locus alter epistolæ ad ipsum Trebatium, quæ extat libro x. ad familiares, vt quidem in duobus antiquissimis libris, qui apud me sunt, legitur*, Ego tamen Scæuolæ Testæ assentior. *vulgo mendosè copula interiicitur hoc modo*, Sceuolæ & testæ. *Verbum etiam*, antecedat, *ad ius pertinet. nam antecedere dicebantur iuris consulti, aut honoris ergò, aut quòd scriptis & responsis suis de iure Ciuili viam ad eius scientiæ cognitionem tyronibus prairent, indéque antecessores, id est, vt vetus glossarion interpretatur*, προηγηταὶ *vocabantur. Hesychius*, ἀντικήνσωρ ὁ τοὺς νόμους μεμαθηκώς. *Antecessorum meminit non semel Iustinianus. antecedebat ergo Trebatius cùm excelleret iuris cognitione, & prudentissimè de iure responderet.*

TRIVMPHO gaudio] *Victoriana editio*, triumpho & gaudeo: *liber Crusellinus*, triumpho gaudio, *quomodo idem auctor loquutus est in Cluentiana*: tum verò illa egregia & præclara mulier palam exultare lætitia, & triumphare gaudio cœpit. *Sed & in Tornasiano legitur*, triumpho gaudeo: *quòd perspicuè deprauatum est ex hac lectio-*

ne nostra.

IN EPISTOLAM XVIII.

QVID præripis?] *Lego ex Decurtato*, quid præripis? *id est, meum consilium anteuertis, petísque vt id tibi explicem, antequam Trebatium conueniam, ex cuius congressu id instituturus sum.*

ΚΙΝΔΥΝΩΔΩΣ nunciant] *Scripsi κιν-δυνωδῶς, ex Decurtato, non quod ita planè exaratum in eo sit, sed quia quamproximè ad hanc lectionem animaduerti priscam eius scripturam accedere. sic enim habet*, in dunodo: *Tornæsianus verò*, in id modo: *Crusellinus*, in dimodo. *periculosè ægrotare Tironem nunciabant, qui ab eo veniebant.*

EROS scelero] *Emendaui*, scelero, *ex fide Decurtati. A scelere fit scelero, vt à verberibus verbero, à flagris flagrio, à varis varo, & sexcenta huiusmodi. Indignè* ferebat Cicero *Erotē libertū suum in illis copiis fuisse: idcirco eum vocat sceleronem.*

QVID? quod Seruij filius?] *Hanc scripturam erui ex Scidis, Tornæsiano, & Crusellino, summo consensu, hæc verba ita referentibus*, Quid, quod Seruij filius? quòd Titinij? *Scribit filios Ser. Sulpicij, & Q. Titinij cum Cæsare fuisse, cùm Pompeius obsideretur, vt doceat non modò perditissimos homines tunc arma contra Pompeium tulisse, sed etiam iuuenes nobilissimos.*

TITINII] *Hunc Titinij filium epistola proximè sequenti vocat Pontium Titinianum, quòd à Pōtio adoptatus esset. sic Octauius dictus est Octauianus postquam in nomen, familiámque Cæsaris adoptatus est. De hoc Titinij filio idem Cicero sic scribit epistola* VI. *huius libri:* Furnius, vt quidem scias quos sequamur, Q. Titinij Filium cum Cæsare esse nunciat. *& epistola* XI, Titinij filius apud Cæsarem est.

QVOT in his castris] *Vt Attico minus mirū videretur filios Seruij Sulpicij, & Q. Titinij fuisse in castris Cæsarianis, addit sex ipsas legiones Cæsarem tum habuisse. itaque fieri non poterat, quin in tanto militum numero non extiterint præclari quidam viri.*

MVLTVM] *Subiungenda est* τελεία στιγμὴ *voci*, multum. *indicat enim ingentem fuisse hunc militum numerum.*

HOC fuerat extremum] *Extremum vocat, postrema verba quæ Cæsar ipsi dixerat, vt scilicet deliberaret. sic enim supra*, summa, *inquit*, fuit, vt ille quasi exitum quærens, vt deliberarem. *Ad eam deliberationem rogat Atticum vt sibi consilia expromat.*

ΚΑΤΑΚΛΕΙΣ] *Rectissimè Turnebus hic reposuit,* κατακλεὶς, *quo ferè modo legitur in Decurpato, & Tornæsiano. atque huius emendationis patet proximis ex verbis ratio. Quia enim extremū id vocarat, quod sibi dictum fuerat à Cæsare de consilio ad deliberandum capiendo, cùm tamen id*

extremum non fuisset (nam odiosis quibusdam & minacibus verbis Cæsar colloquium finierat) idcirco vltima ea verba, quæ ipse pæne præterierat, vocat καταπλεῖδα, quòd essent instar clausulæ priorum illorum extremorum. Hoc vocabulo Græci grammatici propriè significari aiunt pedem vltimum cũ syllaba versus καταληκτικοῦ. Hephæstionis interpres, κατακλεῖδα φησὶν ἠραισίαν τὸν περὶ τῆς καταληκτικῆς συλλαβῆς πόδα μετὰ καὶ αὐτῆς συλλαβῆς.

ΛΑΛΑΓΕΥΣΑΝ illam tuam] *Græcum hoc verbum mirum in modum deprauatum est in omnibus libris antiquis, qui meas in manus venerunt. alij enim habent,* ΜΑΤΕΛΣΑΝ: *alij* ΜΑΛΤΕΤΣΑΝ: *Decurtatus,* ΛΑΛΑΤΕΤΣΑΝ: *quæ scriptura minus mihi corrupta visa est, quam cetera. nam, expensa diligentissimè Ciceronis sententia, venit in mentem mihi eum hîc scripsisse λαλαγεῦσαν, & libro proximè sequenti λαλαγεῦσα. procliui enim lapsu librarios has litteras* Γ & Τ *inuicem commutasse, & alteram alterius loco finxisse. Suaserat Atticus Ciceroni ne prematurè mari se committeret, sed ὄρνιθα λαλαγεῦσαν, id est, χελιδόνα expectaret: quibus verbis indicabat ante ver adultũ nauigandum non esse ad Pompeium. nam clauduntur maria, vt tradit Vegetius libro* IIII. *ex die tertio Iduum Nouẽbris vsque ad diem sextum Idus Martias. itaque epistola secunda libri sequentis, quæ data est post Nonas Apriles, Cicero scribit λαλαγεῦσαν adesse. Hirundinũ aduentus indicium est verni temporis: vnde vulgatum hoc*

IN EPISTOLAM IX.

PALPABOQVE] *Expreßi scripturam Decurtati*, palpabóque, vt antea ad te scripsi, ecquonam modo poßim. *alij libri* οὐδὲν ὄφελος. palpabo, *significat blandiendo, adulandóque leuiter tentabo, & experiar.*

ΣΟΦΙΣΤΕΥΩ enim] *Fœdæ maculæ hunc locum occuparant. Ego primus hoc tempore mihi videor germanam & natiuam eius lectionem Ciceroni restituisse partim coniectura, partim ope Decurtati nostri, qui hæc verba sic refert*, Sofestiuo enim simul vt rus decurro, atque in decursu θέσεις meas commentari non desino. *conieci enim Ciceronem pro*, sofestiuo, *scripsisse* σοφιστεύω. *indicat enim hoc Græco verbo se ficta quædam argumẽta, sophistarum more, tractare: quales sunt, quæ vulgò feruntur, veterum aliquot auctorum declamationes. In Tornæsiano, & Crusellino pro* σοφιστεύω *legebatur*, festiuo, *quæ scriptura perspicuè ex hac nostra deprauata est.*

DE optimatibus] *Quod ais optimates probare institutum meum, vt vitam priuatam agam, & nullam Reipublicæ partem attingam, sit sanè vt vis. tecum enim pugnare nolo; quamuis verear vt ita sit. Verumtamen nosti tritum illud prouerbium, Dionysius Corinthi. turpe est enim virum summis honoribus functum, & in Reipublicæ administratione versari solitum, hoc est,* πολιτικὸν *ad vitam*

priuatam cogi; quod accidit Dionysio Syracusis eiecto. nam sic hoc prouerbium διονύσιος ἐν κορίνθῳ, *id est, Dionysius Corinthi habitat, Demetrius Phalereus interpretatur in commentario* περὶ ἑρμηνείας, παράδειγμα δὲ βραχείας συνθέσεως, *inquit,* τὸ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΙ ΦΙΛΙΠΠΩι, ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΕΝ ΚΟΡΙΝΘΩι. πολὺ γὰρ δεινότερον φαίνεται ῥηθὲν οὕτω βραχέως, ἢ εἴπερ αὐτὸ μακρῶς ἐκτείναντες εἶπον ὅτι διονύσιος πολὲ μέγας ὢν τύραννος ὥσπερ σὺ, ὅμως νῦν ἰδιωτεύων οἰκεῖ κόρινθον.

SCIEBAM enim te quoto] *Proximè ad Adriani Turnebi coniecturam hæc verba sic refert Decurtatus*: ſciebam enim te quoto anno, & quantũ in ſolo, ſolere quærere; neque ſolum Romæ, ſed etiam Deli tuum Digamma videram. *ſic etiam, paucis exceptis, in Tornæſiano & Cruſellino legebatur. itaque imperitè feciſſem, ſi aliter edendum curaſſem. Indicat autem Cicero his verbis ſummum ſtudium Attici in quæſtu faciendo, qui, quòd maiorem fructum perciperet ex fœtu pecuniæ, quam ex agrorum prouentu, malebat numos fœnori collocare, quàm iis prædia commparare. Eum porrò tradit mirè cautum fuiſſe in nominibus faciendis. primùm enim quæſiuſſe quoto anno ſortem reddituri eſſent qui fœnori pecunias ſumebant, id eſt, quamdiu eſſent fœnebribus numis vſuri; tum quantũ iidem in ſolo haberent, hoc eſt, quo precio cenſerentur eorum prædia, & res ſoli: ne ſcilicet ij diutius numos retinerent, quàm vt bonorum prædiorum æſtimatio ſatis eſſe poſſet omnibus vſuris cum ſorte perſol-*

uendis. Est ergo Digamma, vt rectè Turnebus explicat, fœnus, ita dictũ, à prima eius vocis littera, quæ est digamma AEolicum. sic libro XV. *δάνειον* τῷ *Δ notauit. Ceterùm Atticus Romæ pecunias fœnori occupare consueuerat, vtebatúrque in ea re opera quorundam argentariorum, quos* Cicero *obscurè in his epistolis Oppios Velienses appellat. Deli etiã fœnebrem pecuniam habebat, vbi celeberrimus fuit mercatus, quemadmodum refert Strabo libro* XIIII.

DEMENTIAS] *Sumptus immensos factos in ædificando & exornando Lanuino, vnde impensiùs vænibat.*

EXPECTO alias] *Vt in codicibus Malaspinæ, sic in Scidis legebatur*, sed expecto alias: *in Crusellino*, alias tuas; *vt facile indicatu sit vocem*, tuas, *ex glossemate additam fuisse.*

IN EPISTOLAM X.

SICVT ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς] *Magno argumento est corruptos esse vulgatos codices, cùm y valde discrepant à manuscriptis. exemplo sit hic locus, qui sic in publicis editionibus legitur*, sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienantur immundæ, insulsæ, indecoræ: *in Decurtato verò hoc modo*, sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienant ruri immundæ visu illis vnde decor sit: *quæ lectio hoc vno tantùm mihi deminuta esse videtur, quòd vocem vnde, quæ geminanda fuit, semel dumtaxat refert. ea igitur repetita, hinc omne mendum sustulimus. Vtitur autem* Cicero *eleganti similitudine ab immundicia, & illuuie rusticanarũ*

mulierum petita, vt doceat se deformitate fuga Pompeianæ ab amore ipsius Pompeij alienatum esse. quemadmodum, inquit, in rebus amatoriis mulieres rusticanæ, vndecunque sibi decorem & ornatum adsciscant, quia ipso aspectu fœdæ sunt & immundæ, alienant à se amatores: sic Pompeius, quantacũque honesti specie facta sua prætexuerit, fuga tamen & negligentiæ deformitate, me ab amore suo auertit. Immũdi sunt rustici, quod in immundo opere faciendo plerũque versentur. ideo apud Plautum Grunio, seruus rusticus, illuuies appellatur à Tranione seruo vrbano, germana, *inquit*, illuuies, rusticus hircus, hara suis.

AVIS illa] τὸ illa, ἐπιρρηματικῶς *accipiendum, pro illac, id est, illa parte qua Pompeius transmisit.*

HAEC hæc me] *Geminatur pronomen*, hæc, *in Scidis, & Tornæsiano, qui libri mihi hîc fundi, vt alias, fuerunt. Iisdem etiam libris auctoribus scripsi*, alia ros nunc tota est, alia mea: *& mox*, si vel periculosè experiundum erit.

QVOD quæris] *Cicero epistola* III. *libri* VIII. *quæsierat ab Attico, quid sibi faciendum esset, manendúmne in Italia, an cũ Põpeio fugiendũ; & cùm in vtrãque partem ea de re disputaret, mansionem turpem, & viro forti indignam existimabat, vt declarant hæc eius verbá*, Accedit illud: si maneo & illum comitatum optimorum & clarissimorum ciuium desero, cadendum est in vnius potestatem, qui, & si multis rebus significat se nobis esse amicum, &, vt esset, à me est (tute scis)

propter suspicionem huius impendentis tempestatis multò ante prouisum, tamen vtrumque considerandum est, &, quanta fides ei sit habenda, &, si maximè exploratum sit eum nobis amicum fore, sítne viri fortis, & boni ciuis esse in ea vrbe, in qua cùm summis honoribus imperiisque vsus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo præditus, non futurus sit sui iuris, subeundúmque periculum sit cum aliquo fortè decore, quandò Pompeius Rempublicam recuperarit. *fugam verò periculosam putabat, vt ibidem his verbis significat.* Itaque habui nihil omnino negotij, quòd ab initio vidi nihil quæri præter fugam. eam si nunc sequor, quo nam? cum illo non: ad quem cum essem profectus, cognoui in iis locis esse Cæsarē, vt tutò Luceriam venire non possem. infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima, nauigandum est. *Ei verò consultationi ita postea Atticus responderat, vt hoc loco refert Cicero*, Quod quæris fugam nec fidam, an moram defœdam vtiliorem putem. *sic enim hæc verba conceperat, vt partim declarant quæ modò ex ipsa Ciceronis cōsultatione adduximus, partim veterum optimorum librorum. hoc est, Decurtati & Crusellini testimonia.* Nec fidam, *autem dixerat pro*, non fidam, *qua forma veteres dicebant furtum nec manifestum, rem nec mancipi, nec opinato, & alia multa id genus.* defœdam, *autem, pro valde fœdam. nam τὸ de in cōpositione ἐπιτατικὸν est, vt pluribus docebimus libro* XIII. *in explicatione vocis*, defecti.

MORAM] *Mansionem in Italia.*

EGO vero nulla epistola] *Hæc videntur referenda ad eum locum epistolæ secundæ libri* VIII, Facio pluris omnium hominum neminem; sed non ita, VNO IN EO IVDICO SPEM DE SALVTE REIPVBLICAE. significas enim aliquanto secus, quàm solebas; vt etiam, Italia si ille cedat, putes cedendum.

SI M. Lepidus] *Hæc respondent illis epistolæ primæ libri* VIII: nec me M. Lepidi, L. Volcatii. Ser. Sulpicij comitum pæniteret: quorum nemo nec stultior est, quàm L. Domitius; nec inconstantior, quàm App. Claudius.

ADVERSVS me nihil opus] *Hæc sic refert Decurtatus*, aduersus me nihil opus esset, consciis ego aliis. *emendaui*, aduersus me nihil opus est, sed consciis egeo aliis. *non me pænitet, inquit, paruisse consilio tuo. ideo nihil opus est vt aduersus me ea deffendas, quorum mihi auctor fuisti. non enim ea improbo. sed quia ea fortasse poterunt ab aliis quibusdam reprehendi, quos mihi conscios esse opus est, me, quòd tuum consilium sequutus sim, nihil peccasse; idcirco illis, non mihi, auctoritatem tuam defendito.*

ID est XIII. KAL.] *Scriptum initio fuerat in Decurtato* XIII. KAL., *vt perspicuè adhuc apparet: postea alterius manu interpolatum est* XIIII. KAL. *Ego priorem lectionem, vt certiorem sequendam puto. nam dies* XIII. KAL. *Aprilis, & Quinquatrus, idem est dies. Etenim, antequam*

faſtos Cæſar emendaret, cùm menſis Martij Nonæ, vt ait Macrobius, eſſent ſeptimanæ, non, vt hodie, ſextanæ, Idus Martiæ in XVI. *diem Martis incurrebant. itaque quinctus poſtea dies erat* XX. *Martij, hoc eſt,* XIII. KAL. *Aprilis, quo die tunc Quinquatrus celebrabantur. Cùm ergo Cicero primam partem huius epiſtolæ vſque ad illa verba,* venit etiam, *exaraſſet, ante quam Matius ad ſe veniſſet, qui Matij aduentus fuit eodem quidem die, ſed ea hora qua Quinquatruum celebritas agebatur, poſtea cùm reliquam partem epiſtolæ ex interuallo pertexeret, & aduentum Matij in ea narraret, potius ſcripſit Quinquatribus eum veniſſe, quàm eodem die, nempe* XIII. KAL. *Aprilis ſupra adſcripto, & paullo poſt* ,pridie, *potiùs quàm,* heri, *quòd non modò diem aduentus Matiani, ſed etiam partem eius diei, qua venerat, indicare vellet.*

CRASSIPES] *In Tornæſiano, & Cruſellino,* Craſſipus.

POTIS attendere] *Veteres libri,* potius: *ſcripſi,* potis, *id eſt,* δυνατὸς. *ſic alibi in his epiſtolis* pote, *ſcriptum reperias, pro* δυνατὸν.

ET μεσοποταμίαν] *Poſt,* Arabiam εὐδαίμονα, *antiqui noſtri ſubiiciunt,* &, μεσοποταμίαν: *quo modo edendum curaui.*

IN EPIST. CICERONIS AD CAESAREM.

FAVTOR dignitatis tuæ] *Alij libri,* auctor:

nostri veteres, fautor, *omnino melius.*

ME è paucis] *Vulgo legebatur*, me & pacis: *correxi ex antiquiori nostro*, mè è paucis. *vt enim melius persuadeat Cæsari è Republica esse, vt ipse in primis conseruetur, paucos ait aptos esse ad sarciendam partium concordiam: in iis verò se quam accommodatissimum fore. sic officij & industria raritate se ipse commendat.*

IN EPISOLAM XII.

ECQVIDNAM est tui consilij] *Scribendum vno verbo*, ecquidnã, *& duobus*, ad finis. *nũquid nã tui consilij est ad fines, & terminos huius miserrima vita? id est, suppetit ne tibi aliquid consilij, quo perducar ad metas huius infœlicissima vita, & in aliam beatiorem migrem? Sic apud Catullum*, ecquidnam in tabulis patet lucelli expensum?

IN EPISTOLAM XIII.

FVIT, etiam valde:] *Auctore Decurtato reposui*, etiam, *pro*, & tam; *& mox*, ecquam, *pro*, & quam.

ἐκλάπτειν] *Quantumuis reclamet Victorius, legendum est* ἐκλάπτειν, *vt exaratum est in Scidis, Tornæsiano, & Crusellino.*

PEDITVM CCIↃↃ] *Deerat hîc numerus peditum, & equitum, quem ex Decurtato sic expressi*, peditum CCIↃↃ, equitum sex polliceri

sumptu suo, annos decem. *id est, peditum decem millia, equitum sex millia. In Tornesiano pro,* sex, *legitur*, se.

NON vt ille vectigal] *Restitui particulam,* vt, *ante vocem*, ille, *ex Decurtato. ille Pompeium indicat; hic & ille Cesarem.*

VT tu scribis, ludum] *Id est, certamen, & dimicationem partium in hoc bello ciuili. innuit bonos viros noluisse interesse certamini, quod futurum erat inter Cesarem & Pompeium, sed quietos mansisse. sic libro* XIIII. *bellum ciuile vocat* ἀγῶνα.

SIGNIFICASSE te] *Rectè Scida,* significasse te, *vt edidi. petierat enim Atticus à Cicerone, vt sibi scriberet, quisnam Cesar esset, gratus, an inuisus populo Romano.*

SEDET iste] *Scripsi vno verbo,* sedet: *id est, in honore est, auctoritate valet, ducta metaphora à magistratibus sedentibus.*

PLVS ostenderat] *Cesar initio plus ostenderat quàm prestitit. minabatur enim se hostium loco habiturum eos omnes, qui contra se arma ferrent. sed eas minas postea in humanitatem vertit.*

TROIANVM somniabam] *Hinc perspici potest Lanuinos vocari solitos tam qui Lauinium incolerent, oppidum agri Laurentis ab AEnea conditum ad eum locum, qui Troia dicebatur, quàm qui Lanuuium, oppidum situm supra Aritiam, ad dexteram via Appie, vt refert Strabo. quinimo vtrumque oppidum etate Ciceronis, Lanuuium fuisse nuncupatum.*

TE'NE hæc posse ferre?] *Abest à vulgatis vocula, te: In Decurtato sic hæc verba concipiuntur*, te nec hæc posse ferre. *lego cum interrogatione*, téne hæc posse ferre? *Quasi Atticus tranquillo animo legisset, quæ ipse de Lentulo modo scripserat, stomachatur in eius lentitudinem. ea enim prorsus ferri non posse videbantur. Puto librarios vulgò omisisse pronomen*, te, *propter similitudinem vocula quæ proximè antecedebat. nam sæpe ex duobus vocabulis inter se similibus alterum omittebant.*

IN EPISTOLAM XIIII.

FECISSE ab ambitionem] *Multi hîc aliquid deesse putant: ego nihil. tantum pro*, fecisset, *lego*, fecisse, *& ita interpungo*, nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce: fecisse ad ambitionem quibus exilij pœna superioribus legibus non fuisset. *Cæsar dicebat Curionem nihil se duce facere, quod non Pompeius fecisset duce Sulla: immo multò grauiora patrasse Pompeium Sulla rerum potiente, quàm Curionem se imperante. nam quibus hominibus exilij pœna ad ambitionem in petendis magistratibus coercendam superioribus legibus constituta non esset, eis Pompeium illam irrogasse, noua lege lata de ambitu: ab illo verò, nempe Sulla, patriæ proditores reductos fuisse. ita Sullæ & Pompeij scelere eiectos in exilium fuisse plærosque egregios viros, & patriæ proditores vrbem occupasse. Cæsar ad maiorem inuidiam Pompeij ambitum vocabat ambitionem, quasi Pōpeius non*

modo ambitum, sed etiam ambitionem coercuisset. Tulerat Pompeius legem de ambitu, qua perpetuum exilium damnatis infligebatur. ideo tradit Dio libro XXX. *eum ambitus pœnas hac lege multum auxisse. nam Tullia, quam* Cicero *Consul tulerat decennale tantum exilium irrogabat. sed nos fusiùs ea de re disseremus in libris de legibus Græcorum & Romanorum.*

HAC contra] *Legendum,* hâc, *vt est in Decurtato, non,* hæc, *vt referunt excusi. scribit enim Cicero Cæsarem dicere solitum se neminem violaturum, nisi qui arma aduersus se ferret hâc, id est, hac parte, nempe pro Pompeio. nam cùm* Cicero *Pompeij partes sequeretur, ad eas, tãquam ad suas, retulit vocem,* hac.

SED qui S. vlli] *Nihil hîc mutaui; tantùm notam* S. *a vocabulo,* QVI, *cui importunè adhæserat, separaui. indicat enim Babium illum, hominem non infantem, sed disertum, nulli* S. *id est, salutem dicere: quod tamen pueri faciunt, simulatque incipiunt fari. lubenter enim quos norunt salutant. sed Babius idcirco nulli salutẽ dicebat, quòd assereret neminẽ saluũ fore, qui à Cæsare non staret. Est ergo iocus ex ãbiguo in his verbis* Salutẽ dicat.

NE Anteros quidem] *Auxilio Decurtati sic hunc locum restitui,* ne Anteros quidem qui à te. *Ibi enim legitur,* ne ante post quidem qui à te. *Scripserat, vt opinor,* Cicero ΑΝΤΕΡΩΣ *Græcè, quod vocabulum cùm imperiti quidam librarij describerent putarunt τὸ* Ρ *esse* P *Latinum. inde*

primùm factum est ANTEPOS, *& postea* ANTE POST. *Anteros libertus fuit Attici, cuius mentio fit epistola prima libri* XI. *Sensus autē horū verbarum est, a te nihil attulit litterarum, ne Anteros quidem, qui à te venit.*

IN EPISTOLAM XVII.

SED si Sulla potuit] *Castigaui*, sed si Sulla potuit, *ex Tornesiano, & Crusellino. Abscissa fuerat è Decurtato tota hac epistola, & quæ proximè sequitur.*

T. Rebillum quidem] *Tornesianus, & Crusellinus* Trebillum; *quo modo in suis fuisse referunt Victorius, & Malaspina. Scripsi T. Rebillum. nam nota T. prænomen indicat Rebilli, qui Titus Caninius Rebillus dicebatur.*

QVAE Aegypta attulit] *Assentior Turnebo legenti*, quæ Aegypta attulit. *Aegyptæ liberti alibi meminit in his epistolis Cicero. Mox ex Tornesiano, & Crusellino edidi;* illa leuia misi ad te ante.

PHILARGYRO bene curasti] *Verbum*, curasti, *addidi ex Tornesiano, & Crusellino, cùm à vulgatis abesset. Quem autem hoc nomine intelligat, incertum est. puto alterum eorum duorum significari, quos a filio insciente se discessisse queritur epistola secunda libri sexti. Is verò Ciceronem, vt opinor, ideo reliquerat, quòd ei Cicero de mercede aliquid detersisset, quæ tamen postea, beneficio Attici, illi integra persòluta est; ne illum*

Cicero, sed ille Ciceronem, reliquisse videretur.

TREBATIVS Scæuola] *Trebatio non modò Testa, sed etiam Scæuola, a studio, vt opinor, iuris ciuilis, in quo Mutij Scæuolæ valde excelluerant, cognomen fuisse declarat locus hic epistolæ XXIII libri XIII, vbi Cicero de Trebatio loquitur;* quare da te in sermonem, & perseca, & confice; excita, compella, loquere, vt te cum illo Scæua loqui putes. *& locus alter epistolæ ad ipsumTrebatium, quæ extat libro x. ad familiares, vt quidem in duobus antiquissimis libris, qui apud me sunt, legitur,* Ego tamen Scæuolæ Testæ assentior. *vulgo mendosè copula interiicitur hoc modo,* Sceuolæ & testæ. *Verbum etiam,* antecedat, *ad ius pertinet. nam antecedere dicebantur iuris consulti, aut honoris ergò, aut quòd scriptis & responsis suis de iure Ciuili viam ad eius scientiæ cognitionem tyronibus præirent, indéque antecessores, id est, vt vetus glossarion interpretatur,* προηγῦνται *vocabantur. Hesychius,* ἀντικήνσωρ ὁ τοὺς νόμους μαθηταῖς. *Antecessorum meminit non semel Iustinianus. antecedebat ergo Trebatius cùm excelleret iuris cognitione, & prudentissimè de iure responderet.*

TRIVMPHO gaudio] *Victoriana editio,* triumpho & gaudeo: *liber Crusellinus,* triumpho gaudio, *quomodo idem auctor loquutus est in Cluentiana:* tum verò illa egregia & præclara mulier palam exultare lætitia, & triumphare gaudio cœpit. *Sed & in Tornæsiano legitur,* triumpho gaudeo: *quòd perspicuè deprauatum est ex hac lectio-*

ne nostra.

IN EPISTOLAM XVIII.

QVID præripis?] *Lego ex Decurtato*, quid præripis? *id est, meum consilium anteuertis, petísque vt id tibi explicem, antequam Trebatium conueniam, ex cuius congressu id instituturus sum.*

ΚΙΝΔΥΝΩΔΩΣ nunciant] *Scripsi κινδυνωδῶς, ex Decurtato, non quod ita planè exaratum in eo sit, sed quia quam proximè ad hanc lectionem animaduerti priscam eius scripturam accedere. sic enim habet*, in dunodo: *Tornæsianus verò*, in id modo: *Crusellinus*, in dimodo. *periculosè ægrotare Tironem nunciabant, qui ab eo veniebant.*

EROS scelero] *Emendaui*, scelero, *ex fide Decurtati. A scelere fit scelero, vt à verberibus verbero, à flagris flagrio, à varis varo, & sexcenta huiusmodi. Indignè ferebat Cicero Erotē libertū suum in illis copiis fuisse: idcirco eum vocat sceleronem.*

QVID? quod Seruij filius?] *Hanc scripturam erui ex Scidis, Tornæsiano, & Crusellino, summo consensu, hæc verba ita referentibus*, Quid, quod Seruij filius? quòd Titinij? *Scribit filios Ser. Sulpicij, & Q. Titinij cum Cæsare fuisse, cùm Pompeius obsideretur, vt doceat non modò perditissimos homines tunc arma contra Pompeium tulisse, sed etiam iuuenes nobilissimos.*

extremum non fuiſſet (nam odioſis quibuſdam & minacibus verbis Cæſar colloquium finierat) idcirco vltima ea verba, quæ ipſe pæne præterierat, vocat κατακλεῖδα, *quòd eſſent inſtar clauſulæ priorum illorum extremorum. Hoc vocabulo Græci grammatici propriè ſignificari aiunt pedem vltimum cũ ſyllaba verſus* καταληκτικοῦ. *Hephæſtionis interpres,* κατακλεῖδα φησὶν ἠραισίαν τὸν περὶ τῆς καταληκτικῆς συλλαβῆς πόδα μετὰ καὶ αὐτῆς συλλαβῆς.

ΛΑΛΑΓΕΥΣΑΝ illam tuam] *Græcum hoc verbum mirum in modum deprauatum eſt in omnibus libris antiquis, qui meas in manus venerunt. alij enim habent,* ΜΑΤΕΛΣΑΝ: *alij* ΜΑΛΤΕΥΣΑΝ: *Decurtatus,* ΛΑΛΑΤΕΥΣΑΝ: *quæ ſcriptura minus mihi corrupta viſa eſt, quam ceteræ. nam, expenſa diligentiſſimè Ciceronis ſententia, venit in mentem mihi eum hîc ſcripſiſſe* λαλαγεῦσαν, *& libro proximè ſequenti* λαλαγεῦσαι. *proclini enim lapſu librarios has litteras* Γ *&* Τ *inuicem commutaſſe, & alteram alterius loco finxiſſe. Suaſerat Atticus* Ciceroni *ne præmaturè mari ſe committeret, ſed* ὄρνιθα λαλαγεῦσαν, *id eſt,* χελιδόνα *expectaret: quibus verbis indicabat ante ver adultũ nauigandum non eſſe ad Pompeium. nam clauduntur maria, vt tradit Vegetius libro* IIII. *ex die tertio Iduum Nouẽbris vſque ad diem ſextum Idus Martias. itaque epiſtola ſecunda libri ſequentis, quæ data eſt poſt Nonas Aprilis, Cicero ſcribit* λαλαγεῦσαν *adeſſe. Hirundinũ aduentus indicium eſt verni temporis: unde vulgatum hoc*

prouerbiũ μιὰ χελιδὼν οὐκ ἔαρ ποιεῖ. hæc autem auis valde est obstrepera: ideo ab Hesiodo dicitur κωτίλη, & ab Anacreonte λαλὴ: & hîc λαλαγεῦσα, id est, κράζουσα. inde etiam Aristophanes homines odiosè garrulos vocat χελιδόνων μουσεῖα. Hoc porro ἐπίθετον λαλαγεῦσα ex quodam Dorico poëta Atticus deprompserat. nam Dores dicunt λαλαγεῦσα, pro λαλαγοῦσα. Cicero verò non addidit ἄφνιδα, ut hæc res minùs intelligeretur, si fortè interciperentur litteræ. discessum enim suum celari volebat. Iulius Pollux ait hirundinem propriè ψιθυρίζειν, quod auctor poematij de Philomela interpretatur trinsare. Iam hirundines trinsare non solent initio veris, sed vere iam adulto, hoc est, incalescente iam aëre. ideo scribit Philemon Comicus ἡ μὲν χελιδὼν θέρος ὦ γυναῖ λέγει.

ACTVM ne agas] *Actum agere apud hunc auctorem est ea de re facienda cogitare, quam antea factam oportuit, & cuius gerendæ tempus iam præteriit. Idem auctor in Lælio,* Præposteris enim vtimur consiliis, & acta agimus, quod vetamur prouerbio. *& supra hoc ipso libro epistola* IIII. Me miserum quòd tu non valuisti. vna fuissemus, consilium certè non defuisset. σύν τε δύ' ἐρχομένω. sed acta ne agamus. reliqua paremus. *Sensus ergo horum verborum est, ne amplius cogites de nauigatione ad Pompeium, cuius instituendæ tempus elapsum est. oportuit enim cum ipso Pompeio nauigare.*

ETIAM illum ipsum] *Hæc quoque ex persona*

Attici dicuntur. non modo te fefellit præceps, & nec opinatus Pompeij discessus, adeo vt ei te comitem adiungere non potueris: verùm illum ipsum, quem ambo sequimur, Pompeium inquam, multa quoque fefellerunt. itaque actum ne agas.

IN EPISTOLAM XIX.

VIDERE non potero] *Vulgati,* non potero: *manuscripti nostri,* non possum: *idque rectius. veruntamen operæ, nobis inuitis, ediderunt,* potero.

IN LIBRVM X.

IN EPISTOLAM I.

PAVLVLVM lectis respiraui] *Ante verbum,* respiraui, *legitur in Tornesiano, Decurtato, & Crusellino,* lectis. *quam lectionem sinceram puto. Ait enim se respirasse, postea quam eas litteras legit.*

EMPTVM pacificatorem] *Curionem, vt opinor, indicat,* qui primo, *inquit Paterculus,* pro Pompeij partibus, id est, vt tunc habebatur, pro Republica: mox simulatione contra Pompeium & Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit; id gratis, an accepto centies H S. fecerit, vt accepimus, in medio relinquimus.

SENATVM non enim puto] *Statim post hac verba,* in consessu Senatorum, *subiicitur in Decurtato,* Senatum non enim puto, *& ita edidi.*

detersimus ope Decurtati, qui sic hæc verba referebat, hominis hoc ipsum probi est & magium. est *τῶν πολιτικῶν σχημάτων* &c. *Nos haud inscitè, opinor, pro*, & magium, *reposuimus ἐκμαγεῖον, qua voce significatur expressum alicuius rei simulacrũ, vt norunt omnes, qui Græcè sciunt. Scribit* Cicero *conatum illum Curionis de rebus componendis ἐκμαγεῖον esse viri probi. hac enim re Curio specimen quoddam edebat probitatis, cùm ceteroqui vir esset nequam.*

M. Antonij] *Hic locus non vacat suspicione mendi. Nam in Tornæsiano pro*, M. Antonij, *scriptum est*, Macum. *In Scidis totum hoc erasum est. Puto Græcum aliquod verbum sub cortice harum vocum latêre.*

IN EPISTOLAM II.

ΛΑΛΑΓΕΥΣΑ iam adest] *Superiori libro docuimus hîc legendum esse λαλαγεῦσα. ideo nunc plura non addam.*

IN EPISTOLAM III.

Cum igitur hæc scire] *Repetendum est verbum*, cuperem, *è superioribus.*

IN EPISTOLAM IIII.

Non enim iam] *Deerat hîc in libris excusis,*

iam, *quod ex nostris repositum est.*

NISI diuinè] *Tornæsianus*, die. *fortasse* Ciciro *scripsit*, piè. *quamquam veteres etiam*, dium, *dicebant pro*, diuinum. *vnde illud*, sententia dia Catonis.

QVORVM vt vt iam acta ætas] *Hæ duæ voculæ*, vt vt, *leguntur, vt edidi, in Scidis. in Tornæsiano, Crusellino, & Huraltino alterum*, vt, *omissum fuerat librariorum negligentia*. vt vt, *significat quocumque modo, seu bene, seu malè. Plautus Mostellaria*, verùm, vt vt res se se habet, pergam turbare porro. *Idem Mercatore*, amens amánsque vt vt animum offirmo meum. *Terentius Heauton timorumeno*, pater, vt vt erat, mansum tamen oportuit.

CVM eo de meo animo] *Victorius syllabis malè cohærentibus legit*, cum eodem eo, *cùm scribi debeat, vt est in nostris*, cum eo de meo animo. *Ait Quinctum filium cum Cæsare colloquutum fuisse, de suo consilio à Cæsaris rationibus alienissimo.*

VITA & fuga] *Mei omnes*, vita & fuga, *vt edidi.*

PROPIVS factum esse nihil] *Non discrepat lectio Decurtati à vulgata. ideo nihil hîc mutandum censeo. Ait* Cicero *propius nihil factum fuisse, quàm vt Cæsar voluerit Metellum occidi: qua in re desciscebat ab instituta sua clementia, qua populi studia captare consueuerat. itaque mutata tandem sententia animum à cæde reuocauit.*

In codice Tornæsiano pro, eum *, mendosè exaratum est,* ei; *& post,* voluisse, *ex glossemate additum,* Cæsarem.

Ex s. c. subrupto] *Antiquè,* subrupto, *pro,* subrepto. *Plautus Rudente,* Hæc Athenis parua fuit virgo subrupta. *Idem Persa,* qui sibi parentes fuerint, vnde subrupta sit.

A me inquit] *Hic nonnulla inculcata fuerant in codice Tornæsiano, quæ à ceteris nostris absunt, neq; sunt* Ciceronis. *sic enim ibi legitur,* ad Senatū à me inquit omnia proficiscentur. *Hæc duo,* ad Senatum, *notæ sunt adulterina.*

Ad quæ ego] *Lego,* ad quæ ego, *vt est in Scidis: & paullo post,* quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella? *non vt quidam codices referūt,* quid enim vnquam,

Qvid quæris? acquieui] *Huius loci restitutio debetur Decurtato nostro, ex quo ita edidi:* quid quæris? acquieui. leuata est enim suspicio. *In Tornæsiano sic erat,* quid quæris atque vi lebata est.

Qva pro illo] *reposui, vt erat in Scidis,* qua pro illo sit supplicandum. qua, *est, qua parte, nempe apud Pompeium, si quando is victoria potitus fuerit. Optabat Cicero Pompeium vincere, vt Q. Ciceroni filio delicti veniam impetraret. deliquisse enim videbatur, quòd Cæsarem sequutus esset.*

Sed velim quamminimo] *Nihil muto. velim inquit, quamminimo opus esse.*

Simvl &] *Nostri omnes,* simul &, *vt edidi.*

Sic epistola XVIII. *huius libri*, simul & in Cumanum veni.

IN EPISTOLAM V.

QVOD mihi mandas] *Liquidò exaratum est in Scidis*, quòd mihi mandas de Q. regendo, *& rectè quidem. vulgata lectio*, de quodam regendo, *ferri non potest. nota Q. Quinctum filium hîc indicat.*

MODESTIOR] *In meis omnibus est*, modestior, *non, vt Victorius legit*, molestior.

IN EPISTOLAM VI.

ET tamen reticenter] *Codex Tornæsianus*, recitet &: *Crusellizus*, recitent &: *Decurtatus*, reticet &. *Emendaui*, reticenter: *quod aduerbium eiusdem est notæ, quæ lubenter, reuerenter, nocenter, valenter, ardenter, dolenter, & patenter. ait se nihil acturum astutè, sed tamen reticenter, id est, tacitè.*

ET tamen quia festinabam] *Quamuis hæ litteræ ideo potissimum breues sint, quia omnes meas cogitationes superioribus litteris explicaui tibi, tamen ea etiam de causa eas in pauca contraxi, quia festinabam, & eram occupatior.*

DE QVINCTO filio] *In Scidis est De Q. F. vnde natus est error eorum qui has notas ita interpretati sunt*, de Quincto fratre. *Ego sanè verissimam*

verissimam existimo hanc scripturam, De Quincto filio; *quam diserte refert Crusellinus*.

FIT à me quidem sedulo] *In omnibus excusis deprauatè est*, ita me, *pro*, fit à me, *vt est in Decurtato. Videtur Cicero allusisse ad eum locum Terentij ex Adelphis*: fit sedulo; nihil prætermitto, consuefacio: denique inspicere, tanquam in speculum, vitas omnium iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi. *verba sunt Demeæ narrantis Syro qua ratione Ctesiphoni moderetur, & eum ad bonam frugem perducat. Satis vero fuit* Ciceroni *locum primis verbis indicasse. ideo subiicit*, sed nosti reliqua. *Sic antea cùm ageret de eodē Quincto fratris filio*, tamen, *inquit*, nihil prætermittā. *quæ verba sumpta sunt ex illis Terentianis*, nihil prætermitto.

IN EPISTOLAM VII.

PVLSVS est admodestior] *Codices formis impressi*, modestior; *Decurtatus, Tornæsianus, & Crusellinus*, admodestior; *quos sequuti sumus. admodestior est longè modestior, vt adnouitius apud hunc ipsum auctorem est admodum nouitius. Eiusdem formæ sunt apprimus, & approbus.*

SIMILI oppidulo] *qui similis sit Melitæ, quod ad oppidum attinet. Melita enim opportunum erat oppidulum Ciceroni.*

FRETENSI Curio] *Noluí veterum librorum auctoritati refragari, in quibus constanter*

sumptu suo, annos decem. *id est, peditum decem millia, equitum sex millia. In Tornæsiano pro,* sex, *legitur*, se.

NON vt ille vectigal] *Restitui particulam,* vt, *ante vocem*, ille, *ex Decurtato. ille Pompeium indicat; hic & ille Cesarem.*

VT tu scribis, ludum] *Id est, certamen, & dimicationem partium in hoc bello ciuili. innuit bonos viros noluisse interesse certamini, quod futurum erat inter Cesarem & Pompeium, sed quietos mansisse. sic libro* XIIII. *bellum ciuile vocat* ἀγῶνα.

SIGNIFICASSE te] *Rectè Scidæ,* significasse te, *vt edidi. petierat enim Atticus à Cicerone, vt sibi scriberet, quisnam Cesar esset, gratus, an inuisus populo Romano.*

SEDET iste] *Scripsi vno verbo,* sedet: *id est, in honore est, auctoritate valet, ducta metaphora à magistratibus sedentibus.*

PLVS ostenderat] *Cesar initio plus ostenderat quàm præstitit. minabatur enim se hostium loco habiturum eos omnes, qui contra se arma ferrent. sed eas minas postea in humanitatem vertit.*

TROIANVM somniabam] *Hinc perspici potest Lanuinos vocari solitos tam qui Lauinium incolerent, oppidum agri Laurentis ab AEnea conditum ad eum locum, qui Troia dicebatur, quàm qui Lanuuium, oppidum situm supra Aritiam, ad dexteram viæ Appiæ, vt refert Strabo. quinimo vtrumque oppidum ætate Ciceronis, Lanuuium fuisse nuncupatum.*

TE'NE hæc posse ferre?] *Abest à vulgatis vocula, te: In Decurtato sic hæc verba concipiuntur,* te nec hæc posse ferre. *lego cum interrogatione,* téne hæc posse ferre? *Quasi Atticus tranquillo animo legisset, quæ ipse de Lentulo modò scripserat, stomachatur in eius lentitudinem. ea enim prorsus ferri non posse videbantur. Puto librarios vulgò omisisse pronomen,* te, *propter similitudinem voculæ quæ proximè antecedebat. nam sæpe ex duobus vocabulis inter se similibus alterum omittebant.*

IN EPISTOLAM XIIII.

FECISSE ab ambitionem] *Multi hîc aliquid deesse putant: ego nihil. tantum pro,* fecisset, *lego,* fecisse, *& ita interpungo,* nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce: fecisse ad ambitionem quibus exilij pœna superioribus legibus non fuisset. *Cæsar dicebat Curionem nihil se duce facere, quod non Pompeius fecisset duce Sulla: immo multò grauiora patrasse Pompeium Sulla rerum potiente, quàm Curionem se imperante. nam quibus hominibus exilij pœna ad ambitionem in petendis magistratibus coercendam superioribus legibus constituta non esset, eis Pompeium illam irrogasse, noua lege lata de ambitu: ab illo verò, nempe Sulla, patriæ proditores reductos fuisse. ita Sullæ & Pompeij scelere eiectos in exilium fuisse plerosque egregios viros, & patriæ proditores vrbem occupasse. Cæsar ad maiorem inuidiam Pompeij ambitum vocabat ambitionem, quasi Pōpeius non*

modò ambitum, sed etiam ambitionem coercuisset. Tulerat Pompeius legem de ambitu, qua perpetuum exilium damnatis infligebatur. ideo tradit Dio libro X X X. *eum ambitus pœnas hac lege multum auxisse. nam Tullia, quam* Cicero *Consul tulerat decennale tantum exilium irrogabat. sed nos fusiùs ea de re disseremus in libris de legibus Græcorum & Romanorum.*

HAC contra] *Legendum*, hâc, *vt est in Decurtato, non*, hæc, *vt referunt excusi. scribit enim* Cicero *Cæsarem dicere solitum se neminem violaturum, nisi qui arma aduersus se ferret hâc, id est, hac parte, nempe pro Pompeio. nam cùm* Cicero *Pompeij partes sequeretur, ad eas, tãquam ad suas, retulit vocem*, hac.

SED qui S. vlli] *Nihil hîc mutaui; tantùm notam* S. *à uocabula*, QVI, *cui importunè adhæserat, separaui. indicat enim Bæbium illum, hominem non infantem, sed disertum, nulli* S. *id est, salutem dicere: quod tamen pueri faciunt, simulatque incipiunt fari. lubenter enim quos norunt salutant. sed Bæbius idcirco nulli salutẽ dicebat, quòd assereret neminẽ saluũ fore, qui à Cæsare non staret. Est ergo iocus ex ãbiguo in his verbis* Salutẽ dicat.

NE Anteros quidem] *Auxilio Decurtati sic hunc locum restitui*, ne Anteros quidem qui à te. *Ibi enim legitur*, ne ante post quidem qui à te. *Scripserat, vt opinor*, Cicero ΑΝΤΕΡΩΣ *Græcè, quod vocabulum cùm imperiti quidam librarij describerent putarunt τὸ* Ρ *esse* P *Latinum, inde*

primùm factum est ANTEPOS, *& postea* ANTE POST. *Anteros libertus fuit Attici, cuius mentio fit epistola prima libri* XI. *Sensus autē horū verbōrum est, a te nihil attulit litterarum, ne Anteros quidem, qui à te venit.*

IN EPISTOLAM XVII.

SED si Sulla potuit] *Castigaui,* sed si Sulla potuit, *ex Tornæsiano, & Crusellino. Abscissa fuerat è Decurtato tota hac epistola, & quæ proximè sequitur.*

T. Rebillum quidem] *Tornæsianus, & Crusellinus* Trebillum; *quo modo in suis fuisse referunt Victorius, & Malaspina. Scripsi T. Rebillum. nam nota T. prænomen indicat Rebilli, qui Titus Caninius Rebillus dicebatur.*

QVAE Aegypta attulit] *Assentior Turnebo legenti,* quæ Aegypta attulit. *Aegyptæ liberti alibi meminit in his epistolis Cicero. Mox ex Tornæsiano, & Crusellino edidi;* illa leuia misi ad te ante.

PHILARGYRO bene curasti] *Verbum,* curasti, *addidi ex Tornæsiano, & Crusellino, cùm à vulgatis abesset. Quem autem hoc nomine intelligat, incertum est. puto alterum eorum duorum significari, quos a filio insciente se discessisse queritur epistola secunda libri sexti. Is verò* Ciceronem, *vt opinor, ideo reliquerat, quòd ei* Cicero *de mercede aliquid detersisset, quæ tamen postea, beneficio Attici, illi integra persoluta est; ne illum*

Cicero, sed ille Ciceronem, reliquisse videretur.

TREBATIVS Scæuola] *Trebatio non modò Testæ, sed etiam Scæuolæ, a studio, vt opinor, iuris ciuilis, in quo Mutij Scæuolæ valde excelluerant, cognomen fuisse declarat locus hic epistolæ* XXIII *libri* XIII, *vbi Cicero de Trebatio loquitur*; quare da te in sermonem, & perseca, & confice; excita, compella, loquere, vt te cum illo Scæua loqui putes. *& locus alter epistolæ ad ipsum Trebatium, quæ extat libro* X. *ad familiares, vt quidem in duobus antiquissimis libris, qui apud me sunt, legitur*, Ego tamen Scæuolæ Testæ assentior. *vulgo mendosè copula interiicitur hoc modo*, Sceuolæ & testæ. *Verbum etiam*, antecedat, *ad ius pertinet. nam antecedere dicebantur iuris consulti, aut honoris ergò, aut quòd scriptis & responsis suis de iure Ciuili viam ad eius scientiæ cognitionem tyronibus præirent, indéque antecessores, id est, vt vetus glossarion interpretatur, προηγῆται vocabantur. Hesychius, ἀντικένσωρ ὁ τοὺς νόμους μαθηταῖς. Antecessorum meminit non semel Iustinianus. antecedebat ergo Trebatius cùm excelleret iuris cognitione, & prudentissimè de iure responderet.*

TRIVMPHO gaudio] *Victoriana editio*, triumpho & gaudeo: *liber Crusellinus*, triumpho gaudio, *quomodo idem auctor loquutus est in Cluentiana*: tum verò illa egregia & præclara mulier palam exultare lætitia, & triumphare gaudio cœpit. *Sed & in Tornæsiano legitur*, triumpho gaudeo: *quòd perspicuè deprauatum est ex hac lectio-*

me nostra.

IN EPISTOLAM XVIII.

QVID præripis?] *Lego ex Decurtato*, quid præripis? *id est, meum consilium anteuertis, petísque vt id tibi explicem, antequam Trebatium conueniam, ex cuius congressu id institurus sum.*

ΚΙΝΔΥΝΩΔΩΣ nunciant] *Scripsi κινδυνωδῶς, ex Decurtato, non quod ita planè exaratum in eo sit, sed quia quam proximè ad hanc lectionem animaduerti priscam eius scripturam accedere. sic enim habet*, in dunodo: *Tornæsianus verò*, in id modo: *Crusellinus*, in dimodo. *periculosè ægrotare Tironem nunciabant, qui ab eo veniebant.*

EROS scelero] *Emendaui*, scelero, *ex fide Decurtati. A scelere fit scelero, vt à verberibus verbero, à flagris flagrio, à varis varo, & sexcenta huiusmodi. Indignè ferebat* Cicero *Erotē libertū suum in illis copiis fuisse: idcirco eum vocat sceleronem.*

QVID? quod Seruij filius?] *Hanc scripturam erui ex Scidis, Tornæsiano, & Crusellino, summo consensu, hæc verba ita referentibus*, Quid, quod Seruij filius? quòd Titinii? *Scribit filios Ser. Sulpicij, & Q. Titinij cum Cæsare fuisse, cùm Pompeius obsideretur, vt doceat non modò perditissimos homines tunc arma contra Pompeium tulisse, sed etiam iuuenes nobilissimos.*

extremum non fuisset (nam odiosis quibusdam & minacibus verbis Cæsar colloquium finierat) idcirco vltima ea verba, quæ ipse pæne præterierat, vocat κατακλεῖδα, *quòd essent instar clausulæ priorum illorum extremorum. Hoc vocabulo Græci grammatici propriè significari aiunt pedem vltimum cũ syllaba versus* καταληκτικῶ. *Hephæstionis interpres,* κατακλεῖδα φησὶν ἠραισίων τὸν περὶ τῆς καταληκτικῆς συλλαβῆς πόδα μετὰ καὶ αὐτῆς συλλαβῆς.

ΛΑΛΑΓΕΥΣΑΝ illam tuam] *Græcum hoc verbum mirum in modum deprauatum est in omnibus libris antiquis, qui meas in manus venerunt. alij enim habent,* ΜΑΤΕΛΣΑΝ: *alij* ΜΑΛΤΕΥΣΑΝ: *Decurtatus,* ΛΑΛΑΤΕΥΣΑΝ: *quæ scriptura minus mihi corrupta visa est, quam ceteræ. nam, expensa diligentissimè Ciceronis sententia, venit in mentem mihi eum hîc scripsisse* λαλαγεῦσαν, *& libro proximè sequenti* λαλαγεῦσα. *proclini enim lapsu librarios has litteras* Γ *&* Τ *inuicem commutasse, & alteram alterius loco finxisse. Suaserat Atticus Ciceroni ne præmaturè mari se committeret, sed* ὄρνιθα λαλαγεῦσαν, *id est,* χελιδόνα *expectaret: quibus verbis indicabat ante ver adultũ nauigandum non esse ad Pompeium. nam clauduntur maria, vt tradit Vegetius libro* IIII. *ex die tertio Iduum Nouẽbris vsque ad diem sextum Idus Martias. itaque epistola secunda libri sequentis, quæ data est post Nonas Aprilis, Cicero scribit* λαλαγεῦσαν *adesse. Hirundinũ aduentus indicium est verni temporis: vnde vulgatum hoc*

prouerbiũ μιὰ χελιδὼν οὐκ ἔαρ ποιεῖ. hæc autem auis valde est obstrepera: ideo ab Hesiodo dicitur κωτίλη, & ab Anacreonte λαλὴ: & hîc λαλαγεῦσα, id est, κράζουσα. inde etiam Aristophanes homines odiosè garrulos vocat χελιδόνων μουσεῖα. Hoc porro ἐπίθετον λαλαγεῦσα ex quodam Dorico poëta Atticus deprompserat. nam Dores dicunt λαλαγεῦσα, pro λαλαγοῦσα. Cicero verò non addidit ὄρνιθα, ut hæc res minùs intelligeretur, si fortè interciperentur litteræ. discessum enim suum celari volebat. Iulius Pollux ait hirundinem propriè ψιθυρίζειν, quod auctor poematij de Philomela interpretatur trinsare. Iam hirundines trinsare non solent initio veris, sed vere iam adulto, hoc est, incalescente iam aëre. ideo scribit Philemon Comicus ἡ μὲν χελιδὼν θέρος ὦ γύναι λέγει.

ACTVM ne agas] *Actum agere apud hunc auctorem est ea de re facienda cogitare, quam antea factam oportuit, & cuius gerendæ tempus iam præteriit. Idem auctor in Lælio,* Præposteris enim vtimur consiliis, & acta agimus, quod vetamur prouerbio. *& supra hoc ipso libro epistola* IIII. Me miserum quòd tu non valuisti. vna fuissemus, consilium certè non defuisset. σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω. sed acta ne agamus. reliqua paremus. *Sensus ergo horum verborum est, ne amplius cogites de nauigatione ad Pompeium, cuius instituendæ tempus elapsum est. oportuit enim cum ipso Pompeio nauigare.*

ETIAM illum ipsum] *Hæc quoque ex persona*

Attici dicuntur. non modo te fefellit praeceps, & nec opinatus Pompeij discessus, adeo vt ei te comitem adiungere non potueris: verùm illum ipsum, quem ambo sequimur, Pompeium inquam, multa quoque fefellerunt. itaque actum ne agas.

IN EPISTOLAM XIX.

VIDERE non potero] *Vulgati,* non potero: *manuscripti nostri,* non possum: *idque rectius. veruntamen operae, nobis inuitis, ediderunt,* potero.

IN LIBRVM X.

IN EPISTOLAM I.

PAVLVLVM lectis respiraui] *Ante verbum,* respiraui, *legitur in Tornæsiano, Decurtato, & Crusellino,* lectis. *quam lectionem sinceram puto. Ait enim se respirasse, postea quam eas litteras legit.*

EMPTVM pacificatorem] *Curionem, vt opinor, indicat,* qui primo, *inquit Paterculus,* pro Pompeij partibus, id est, vt tunc habebatur, pro Republica: mox simulatione contra Pompeium & Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit; id gratis, an accepto centies H S. fecerit, vt accepimus, in medio relinquimus.

SENATVM non enim puto] *Statim post hæc verba,* in consessu Senatorum, *subiicitur in Decurtato,* Senatum non enim puto, *& ita edidi.*

detersimus ope Decurtati, qui sic hæc verba referebat, hominis hoc ipsum probi est & magium. est τῶν πολιτικῶν σχημάτων &c. *Nos haud inscitè, opinor, pro*, & magium, *reposuimus* ἐκμαγεῖον, *qua voce significatur expressum alicuius rei simulacrũ, vt norunt omnes, qui Græcè sciunt. Scribit* Cicero *conatum illum Curionis de rebus componendis* ἐκμαγεῖον *esse viri probi. hac enim re Curio specimen quoddam edebat probitatis, cùm ceteroqui vir esset nequam.*

M. Antonij] *Hic locus non vacat suspicione mendi. Nam in Tornæsiano pro*, M. Antonij, *scriptum est*, Macum. *In Scidis totum hoc erasum est. Puto Græcum aliquod verbum sub cortice harum vocum latêre.*

IN EPISTOLAM II.

ΔΑΛΛΑΓΕΤΣΑ iam adest] *Superiori libro docuimus hîc legendum esse* λαλαγεῦσα. *ideo nunc plura non addam.*

IN EPISTOLAM III.

Cvm igitur hæc scire] *Repetendum est verbum*, cuperem, *è superioribus.*

IN EPISTOLAM IIII.

Non enim iam] *Deerat hîc in libris excusis,*

iam, *quod ex nostris repositum est.*

NISI diuinè] *Tornæsianus*, die. *fortasse Cicero scripsit*, piè. *quamquam veteres etiam*, dium, *dicebant pro*, diuinum. *vnde illud*, sententia dia Catonis.

QVORVM vt vt iam acta ætas] *Hæ duæ voculæ*, vt vt, *leguntur, vt edidi, in Scidis. in Tornæsiano, Crusellino, & Huraltino alterum*, vt, *omissum fuerat librariorum negligentia*. vt vt, *significat quocumque modo, seu bene, seu malè. Plautus Mostellaria*, verùm, vt vt res se se habet, pergam turbare porro. *Idem Mercatore*, amens amánsque vt vt animum offirmio meum. *Terentius Heauton timorumeno*, pater, vt vt erat, mansum tamen oportuit.

CVM eo de meo animo] *Victorius syllabis malè cohærentibus legit*, cum eodem eo, *cùm scribi debeat, vt est in nostris*, cum eo de meo animo. *Ait Quinctum filium cum Cæsare colloquutum fuisse, de suo consilio à Cæsaris rationibus alienissimo.*

VITA & fuga] *Mei omnes*, vita & fuga, *vt edidi.*

PROPIVS factum esse nihil] *Non discrepat lectio Decurtati à vulgata. ideo nihil hîc mutantandum censeo. Ait Cicero propius nihil factum fuisse, quàm vt Cæsar voluerit Metellum occidi: qua in re desciscebat ab instituta sua clementia, qua populi studia captare consueuerat. itaque mutata tandem sententia animum à cæde reuocauit.*

In codice Tornæsiano pro, eum, *mendosè exaratum est,* ei; *& post,* voluisse, *ex glossemate additum,* Cæsarem.

Ex s. c. subrupto] *Antiquè,* subrupto, *pro,* subrepto. *Plautus Rudente,* Hæc Atheuis parua fuit virgo subrupta. *Idem Persa,* qui sibi parentes fuerint, vnde subrupta sit.

A me inquit] *Hic nonnulla inculcata fuerant in codice Tornæsiano, quæ à ceteris nostris absunt, neq; sunt Ciceronis. sic enim ibi legitur,* ad Senatũ à me inquit omnia proficiscentur. *Hæc duo,* ad Senatum, *notæ sunt adulterinæ.*

Ad quæ ego] *Lego,* ad quæ ego, *vt est in Scidis: & paullo post,* quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella? *non vt quidam codices referũt,* quid enim vnquam,

Qvid quæris? acquieui] *Huius loci restitutio debetur Decurtato nostro, ex quo ita edidi:* quid quæris? acquieui. leuata est enim suspicio. *In Tornæsiano sic erat,* quid quæris atque vi lebata est.

Qva pro illo] *reposui, vt erat in Scidis,* qua pro illo sit supplicandum. qua, *est, qua parte, nempe apud Pompeium, si quando is victoria potitus fuerit. Optabat Cicero Pompeium vincere, vt Q. Ciceroni filio delicti veniam impetraret. deliquisse enim videbatur, quòd Cæsarem sequutus esset.*

Sed velim quamminimo] *Nihil muto. velim inquit, quamminimo opus esse.*

Simvl &] *Nostri omnes,* simul &, *vt edidi.*

verissimam existimo hanc scripturam, De Quincto filio; *quam disertè refert Crusellinus*.

FIT à me quidem sedulo] *In omnibus excusis deprauatè est*, ita me, *pro*, fit à me, *vt est in Decurtato. Videtur Cicero allusisse ad eum locum Terentij ex Adelphis*: fit sedulo; nihil prætermitto, consuefacio: denique inspicere, tanquam in speculum, vitas omnium iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi. *verba sunt Demeæ narrantis Syro qua ratione Ctesiphoni moderetur, & eum ad bonam frugem perducat. Satis verò fuit Ciceroni locum primis verbis indicasse. ideo subiicit*, sed nosti reliqua. *Sic antea cùm ageret de eodẽ Quincto fratris filio*, tamen, *inquit*, nihil prætermittã. *quæ verba sumpta sunt ex illis Terentianis*, nihil prætermitto.

IN EPISTOLAM VII.

PVLSVS est admodestior] *Codices formis impressi*, modestior; *Decurtatus, Tornæsianus, & Crusellinus*, admodestior; *quos sequuti sumus. admodestior est longè modestior, vt adnouitius apud hunc ipsum auctorem est admodum nouitius. Eiusdem formæ sunt apprimus, & approbus.*

SIMILI oppidulo] *qui similis sit Melitæ, quod ad oppidum attinet. Melitæ enim opportunum erat oppidulum Ciceroni.*

FRETENSI Curio] *Nolui veterum librorum auctoritati refragari, in quibus constanter*

legitur Fretensi. quam vocem recte explicat Turnebus in aduersariis.

IN EPISTOLAM VIII.

ISTVM enim victorem] *Nihil muto. Sensus enim est, puto Cæsarem potius relinquendum cum vincet, quam cùm victus erit, & in eo discrimine versabitur, vt magis incertus sit, quàm certus, de rerum suarum exitu.*

PRAESTO esse] *Patroni clientibus dicebantur præsto esse, cùm aderant in iudiciis, vt eos defenderent. Nunc contrà futurum scribit Cicero, vt clientes præsto sint patronis. quod clientes gratia multum possent apud Cæsarem, cuius partes sequunti fuerant: patroni verò ei hostium loco forent.*

C. ATEII Plaguleium] *Vulgò hic legitur,* Catulli, *refragantibus libris antiquis, qui partim referunt,* Cateli, *partim,* Cateij. *Puto Ciceronem scripsisse,* C. Ateij, *significasseque C. Ateium Capitonem, iurisconsconsultum, Seruij Sulpicij discipulum, aut eius patrem.*

QVOD Mallius scilicet] *Cùm in omnibus meis manuscriptis legissem,* Quod malus scilicet tantum? *eò coniectura ductus sum, vt crediderim Ciceronem ita scripsisse:* Quod Mallius scilicet tantum? *hoc sensu, Quod Mallius Capitolinus patrauit, tantúmne fuit, & tanta animaduersione dignum, quàm hoc, vt scilicet classi Pompeianæ aduersemur? quasi dicat, minimè. multo enim leuius*

fuit facinus Mally, quamuis indicatũ sit id ad opprimendam populi libertatem spectasse. numquam enim ille ciues aditu vrbis arcuit: quin contra, vt vrbem tueretur, primus in Capitolium se recepit, Gallósque eò ascendentes summa vi repulit: & tamen capite tandem pœnas dedit, ob affectati regni suspicionem. optimorum vero ciuium patriæque liberatorum classem appusu patriæ prohibere, nónne manifestissimum est crimen maiestatis? denique quid turpius quàm ciuem Romanum patriæ amantissimum cum iis pugnare, qui eam à tyrannide vindicare conantur? Mallius quandoque per duplex L. L. scribitur etiam in veteribus lapidibus: vnde Græci μάλλιον scribunt: quandoque verò per N L. Manlius, vt in tabulis Capitolinis. Hic duplici L. hoc nomen primùm exaratum fuisse, declarat error inde natus veteris scripturæ, malus.

AN inualidè] *Partim ex coniectura, partim ex fide Decurtati hunc locum emendaui, hactenus fœdissimis maculis conspurcatum. Scriptura optimi eius libri hæc est,* An ni valde hinc abcentis solus tuli scelus? *Inde suspicatus sum Ciceronem scripsisse,* An inualidè hinc arcentis solus tuli scelus? *Id est, an parum fortiter tuli scelus Cæsaris hinc, id est, Italia arcentis, & prohibentis me? quasi dicat minimè. itaque eiusdem scelus multò fortius cum Pompeio, & ceteris præclaris viris feram, si omnes hinc ab eo arceamur. Ex iis omnibus, qui Catilinæ coniurationem oppresserant, Clodius ope*

Cæsaris vnum Ciceronem in exilio solum vertere coegit. ideo eam Clodij iniuriam hîc Cicero Cæsari acceptam refert; aitque se solum non inualide sed fortissimè eam tulisse. Hic opera alia omnia potiùs sequuti sunt, quam eam lectionẽ quã eis praiueram.

NON; si simul] *Edidi, vt erat in Scidis,* non; si simul &c. *hoc sensu, non fugerimus cũ periculo, aut turpiter, si transierimus cum Pompeio.*

QVOD est, ne condamus] *His verbis,* ne cõdamus quidem, *explicat illud prius,* fateamur. *itaque,* quod est, *hîc vim habet* ἐξηγητικὴν.

FEFELLIT ea me res] *Codex Tornæsianus,* fefellit eam res: *lego,* fefellit ea me res. *& ita est in Decurtato.*

QVI florentissimus] *Coniecturam Manutij iuuat Decurtatus hæc verba ita referens,* qui florentiss. ac nouus VI. VII. diebus &c. *illud,* florentiss. *compẽdio scriptum est pro,* florentissimus.

IN suo lectulo] *Græcorum more dixit in suo lectulo, pro,* in meo. *sic enim illi,* ἐν τῷ ἑαυτοῦ κλινιδίῳ, *pro,* ἐν τῷ ἐμαυτοῦ. *Demosthenes pro Ctesiphone,* ἴσε ἡμᾶς παρεληλυθότας εἴσω πυλῶν, καὶ τὰ κατὰ τὴν φωκίδα ὑφ᾽ ἑαυτοὺς πεποιημένους. *& Isocrates in Busiride,* ἵνα δὲ μὴ δοκῶ τὸ ῥᾳστον καὶ ἐγγυτάτον ποιεῖν, ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν εἰρημένων μηδὲν ἐπιδεικνὺς τῶν ἑαυτοῦ, πειράσομαί σοι διὰ βραχέων δηλῶσαι. *quem locum notauit etiam Budæus*

MALLE censueris] *Nihil muto. in Tornæsiano tamen est,* censuerint, *&* vicem.

ΤΩΝ ΔΕ μελλόντων] *Expressi scripturam*

veterum, licet ea aliquantulum variet ab illa quæ vulgo extat in codicibus excusis Thucydidis.

SIT στοργὴ] *Edidi ex Decurtato & Crusellino,* sit στοργὴ, sit summa *συνήτηξις. sensus est, ponamus summum esse, vt certe est, amorem Tulliæ erga me, arctissimámque vtriusque animorum coniunctionē, vt ambo videamur in vnum cōcreti, & coagmētati; illa tamen me rectè facere, & bene audire vult; ideo minus molestè fert à se auelli, vt Pompeium sequar.* συνήτηξιν Cicero *hîc appellat firmissimam, & tenacissimam animorum conglutinationem. sic verbum* συντήκειν *vsurpat Plato in Conuiuio,* ἐθέλω ἡμᾶς συντῆξαι καὶ συμφῦσαι εἰς τὸ αὐτὸ, ὥστε δύο ὄντας ἕνα γεγονέναι. *& Synesius in epistola quadam,* συντήξας τῇ τέχνῃ καὶ ἕνα ἄμφω ποιήσας τοὺς ἀντερῶντας.

ΣΥΜΠΑΘΕΙΑΝ iam euocem] *Aberat à vulgatis particula* iam. *eam nos in veteribus nostris repertam repræsentauimus.*

QVAMVIS sit falsa] *Decurtatus non aliter hæc refert, quàm vulgati codices. nolui tamen lectorem latêre sic in Tornæsiano & Crusellino legi,* quamuis sit falsa, falsam agnoscere magni esse.

PHILOTIMVS attulit] *Aberat ab antiquis nostris vox litteras.*

IN EPISTOLAM IX.

VBI ergo tuus ille animus] *Hoc ordine hæc legebantur in* Decurtato *& Tornæsiano,* vbi ergo tuus ille animus? *atque ita reposui. & mox ex*

eodem Decurtato, deinde quo videbitur, *vt legendum censet Malaspina.*

Et adigit ita Postumia] *Decurtatus*, & adicit ita Postumia & Ser. F. *scripsi*, & adigit ita Postumia, & Seruius filius. *Cicero precibus Postumiæ vxoris Seruij Sulpicij, & Seruij eius filij, adigebatur, vt Seruiũ Sulpicium patrẽ exspectaret. Idem epistola* XIII. *huius libri:* hic ego Seruiũ exspecto. rogor enim ab eius vxore, & filio.

IN EPISTOLAM X.

Ei cùm ego] *Pro*, ei, *vulgo mendosè legitur*, &. *Nos*, ei, *castigauimus, auctoribus Scidis.*

ΠΑΡΟΙΝΙΚΩΣ] *Rectè coniecit Lambinus ex deprauata Tornæsiani lectione legendum hîc esse* παροινικῶς. *quò ferre quoque videntur vestigia hæc veteris scripturæ, quæ extant in Decurtato*, ΠΑΡΟΝΙΚΩΣ.

Clamabo me] *Vitiosè vulgati*, clamabam. *verè & syncere Decurtatus*, clamabo me.

Carris hinc istis] *Deprauatè Tornæsianus*, cati: *deprauatè etiam Scidæ & Crusellinus*, cartis. *emendaui*, carris. *Impedimenta vocat carros, vt contra impedimentorum nomine intelliguntur carri, apud Cæsarem, & alios veteres auctores.*

Alteram vxorẽ] *Edidi*, alterã vxorẽ, *vt erat in Scidis. Cytheris enim Antonio vxoris erat loco: ideo hîc eam Cicero vocat alterã illius vxorẽ.*

Svnt, an amicorum] *Quia Antonius exoletis*

pueris æquè ac scortis vtebatur, dubitat Cicero an septem his lecticis veherentur amicæ, hoc est ἑταῖραι (sic enim Græci vocant meretrices) an verò amici, id est, ἐρώμενοι, &, vt Thessali loquebantur, ἀΐται. vtrumque turpe, sed hoc turpius. Vt autem Cicero hîc amicos & amicas dixit, sic apud Demetrium Phalereum Theopompus ἑταίρους, & ἑταίρας. ἐκαλοῦντο μὲν, inquit, ἑταῖροι, ἦσαν δὲ ἑταῖραι.

IN EPISTOLAM XI.

ΔΕΙ πθλώνης ἔτι] *Consentiunt Tornæsianus, Huraltinus, & Crusellinus, cum Victorianis manuscriptis. sic enim hæc referunt,* DE ITINE ET. *Vnde Victorius primùm reposuit,* De iuuene*: & postea, mutata sententia,* De itinere. *quæ lectio si vera est, mirum est profectò omnes veteres librarios ad tam apertũ & planum locum pariter offendisse. Verùm hîc de Quincto filio nõ agi, sed de eius patre declarant ea quæ paullo post Cicero subiicit,* De fratre satis; de eius filio, indulsit illi quidem suus pater semper &c. *Præterea ex scriptura Decurtati coniicere licet, loco horum verborum,* Ciceronem *nescio quid Græcè scripsisse. sic enim legitur in eo libro,* ΔΕΙ TINE ETI. *Itaque, re diligenter excussa, venit tandem in mentem mihi legendum esse, δεῖ πθλώνης ἔτι. His enim verbis rationem reddi puto, cur Quinctus Cicero pater ad Atticũ de Q. puero aliter quã ad matrẽ de filio scripsisset:*

nempe quòd matrem celare voluerit filij facinora. nam si ea palam illi fecisset, periculum erat, ne illa pessimè filium acciperet, & ille ea re offensus multò atrociora, quàm adhuc fecerat, moliretur. continebatur enim obsequio materno aliquantulum in officio. Itaque prudenter Q. pater ad vxorem ita de filio scripsit, vt nullo modo eius animum ab amore filij alienauerit. Sciebat enim Q. puero adhuc opus esse nutrice, id est, matre, quæ ei moderaretur. atque id sonant hæc verba δεῖ τιθήνης ἔτι. *Attico verò rem omnem verè narrauit, vt, si posset, ei malo mederetur.* τιθήνη, *vt ait Pollux, est quæ puerum educat,* τίτθη *quæ ei mammas præbet. matrem idcirco* τιθήνην *vocauit, vt studium eius indicaret in educando puero, & pueri obsequium erga illam. nã pueri libentiùs parent nutricibus, quàm alij cuiquam. Porro* δεῖ *cum gignendi casu iungi solet: Demosthenes,* δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων.

ET in eo laborat] *Lego,* laborat, *vt est in Decurtato. ait enim Q. Ciceronem in eo laborare, vt satisfaciat Attico. itaque falsò Atticum putare Quinctum nolle ipsi satisfacere.*

NON; suas radices habent] *Quamuis vulgatam lectionem probem, lectorem tamen monitum volui, in Scidis, & Tornæsiano legi,* nam suas radices habent.

SED ea tempora sunt] *Plenior & integior hic mihi visa est lectio Tornæsiani, & Decurtati, quàm excusorum. ideo sic ex eorum fide edidi:* sed ea

tempora ſunt, vt omnia ſint patienda.

CERTIOREM vult eſſe] *id eſt, conſtantiorem. Sic libro* VIII. *ſupra,* & ſi ſolet eum, cùm aliquid furioſè fecit, pœnitere. numquam autem certior fuit, quàm in hoc negotio,

RECORDOR enim] *Inepti quidam interpolatores, quos operæ me inuito ſequutæ ſunt, hunc locũ corrupêre, cùm rectè in libris antea excuſis, & in omnibus manuſcriptis legeretur*, recordor enim æſtate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ nauigans, quàm fuerim ſollicitus. *etenim*, nauigans cum *ἀφράκτῳ dictum eſt Græcorum more, qui ſæpe addunt præpoſitionem σὺν. Homerus libro* II. *Iliadis*, καὶ φεύγειν σὺν νηυσὶ πολυκληῗσι κελεύσω. *&*, φεύγωμεν σὺν νηυσὶ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν. *Contrà Thucydides abſque præpoſitione*, δέκα ναυσὶν ἐς τὸν πόντον ἐσπεπλεύκει. *&* Cicero *in Verrem*, nauigare myoparonibus, *& alibi in his epiſtolis*, nauigare claſſibus maximis.

ERAM iocatus] *Repoſui, vt erat in Scidis*, eram iocatus. *nam alij libri mendoſè habebant*, erat iocatus.

ΠΑΡΩΡΑ ὀτλητέον] *Victorius repoſuit* παραπλευστέον, *quam rectè, iudicabunt lectores ex veterum codicum ſcriptura, quam ſubiiciam. Torneſianus & Cruſellinus ſic habebant*, ΠΑΡΑ ΟΤΛΕΙΤΕΟΝ. *Decurtatus*, ΠΑΡΟΡΑ ΟΤΛΙΤΕΟΝ. *Hæc ſanè veteris lectionis veſtigia eò non ferunt, quò duxit Victorius. Sed & perſuaderi mihi non poteſt* Ciceronẽ *vſum hic eſſe Græco vllo verbo nauigãdi*,

cùm mox subiecerit, & occulte in aliquam onerariam corrependum, nisi fateamur illum voluisse Græca interpretari Latinis verbis, quod non puto. quinimo aliud est occultè correpere in onerariam nauim, aliud παραπλεῖν. Nos ergo cubilia germanæ lectionis his vestigiis sagaciùs odorati, eam permultos iam annos latitantem ex densissimis latebris extrusimus, in mediumque produximus, vt possent studiosi omnes eam citra negotium consequi. ea vero est huiusmodi, πάρωρα ὀτλήτεον. πάρωρα hîc dicuntur τὰ παρὰ καιρὸν· (sic enim πάρωρον Hesychius interpretatur) id est, tempora ad aliquid agendum, ob cœli intemperiem, parum idonea, quæ a Plinio appellantur intempestates. Eas Cicero cùm vitare in nauigatione suscipienda decreuisset, quòd periculosam esse sciret cùm omnẽ nauigationẽ, tũ eam potissimùm, quæ intẽpestiuè fit, profectionẽ suam ad Pompeium in vernum tempus distulerat. sed cùm interim animaduerteret se vndique obseruari & custodiri, mutata sentẽtia, ne fortè existimaretur de compacto prohibitus, in Italiáque retentus, ait se malle quaslibet cœli iniurias nauigando perferre, quàm in Italia cum dedecore remanere. ὀτλητέον ergo est, μετὰ πόνου καὶ κακοπαθείας ὑπομενετέον. Incertus auctor apud Suidam,

Ἔνδικον ὀτλήσαντες ἀεὶ πόνον. ἐξ ὑμέων γὰρ
φῶς πυρὸς ἐς τόσην ἤλθομεν ἐργασίην.

SCIES quicquid erit] Auctoribus Scidis edẽdũ iussi, quicquid erit, vt legendũ suspiciatur Malaspina. Paulo post etiã pro, iubes enim profectionẽ

meam prouidere, *ex eodem libro, & Tornæsiano reposui*, iubes enim de mea profectione prouidere.

VIETI & δειλοὶ gente sunt] *Dixeram olim Lambino hîc legendum videri*, vieti & δειλοὶ gente sunt, *huiúsque meæ suspicionis adstipulatorem codicem Tornæsianum protuleram, vbi sic erat exaratum*, & victi & diligentes sunt. *postea liquidò scriptum in Decurtato reperi*, vieti. *quæ lectio ita meam coniecturam confirmauit, vt eam tanquam certam & indubitatam in hanc nostram editionem non veritus sim referre. Cur autem vietos & gente* δειλοὺς *Cicero Massilienses appellet, norunt quibus ignotum non est Massiliam coloniam fuisse Phocæensium; quæ gens fuit Ionica ex vrbe Phocæa; Iones verò malè audiisse molliciæ lasciuiéque nomine. qua de caussa molles & lasciuas saltationes Horatius motus vocat Ionicos. Inde Plautus, cùm mores impudicos significaret, mores Massilienses dixit in Casina:* vbi tu es, *inquit*, qui colere mores Massilienses postulas? *atque eò hæc spectãt Athenæi verba,* μασσαλιῶται δ' ἐθηλυνώθησαν οἱ τὴν αὐτὴν ἴβηρσιν τῆς ἐσθῆτος φοροῦντες κόσμον. ἀσχημονοῦσι γοῦν διὰ τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς μαλακίαν, διὰ τρυφὴν γυναικοπαθοῦντες, ὅθεν καὶ παροιμία παρῆλθεν, πλεύσαι εἰς μασσαλίαν. *Ceterùm gẽtẽ hic Cicero appellat generis originẽ. nam ad Phocæenses tanquam ad gẽtiles suos genus suum Massilienses referre consueuerant. Sensus igitur horum verborum est, Massilienses, in quorum animis insita est gentilium suorum Phocæensium mollicia atque ignauia, non auderent aditu vrbis suæ Cæsarem*

eiúsue legatos arcere, si intelligerent in Hispaniis, à quibus non longè absunt, Pompeium malè rem gerere. vererentur enim ne victor Cæsar pœnas à se reposceret.

ΗΘΟΣ διδαχῇ ἁλωτὸν] *Nihil deprauatius veteri scriptura huius loci. In Tornæsiano & Cruselli no erat* ΑΚΙ ΑΛΛΟΛΟΝ: *in Scidis* ΔΑΧΙΑΛΟΛΟΝ: *emẽdaui*, διδαχῇ ἁλωτὸν, *idq; ex his verbis sequentibus*, esse tamen potest, aut ἀρετὴ non est διδακτὸν. *scribit enim disciplina subigi & domari posse procax & proteruum ingenium Q. Ciceronis filij, aut virtutem ipsam non esse disciplinabilem.* ἁλωτὸν *dicitur quod capi & expugnari potest. Menander apud Stobæum*, ἁλωτὰ γίνεται ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα. *quæ verba Virgilius ita Latinè extulit*, labor omnia vincit improbus.

IN EPISTOLAM XIII.

SEMPER secum aliqua mi] *Manuscripti nostri*, secum aliquam afferunt; *emendaui*, secum aliqua mi afferunt. mi *enim* μονοσυλλάβως, *pro*, mihi, *vt sæpè in his epistolis.*

ΚΕΛΗΤΑ ἄοκνον] *Falsum est quod scribit Lambinus, me hic legendum putasse* κέλητα ὄνον. *numquã enim id ei dixi, aut scripsi. aut igitur id somniauit; aut, quod puto, aliter mea verba accepit, quàm ego dixeram. Ei enim aliquando indicaram suspicionem meam de hoc loco, & paucis demonstrarã hîc reponendum videri* κέλητα ἄοκνον: *vnde*

ille nescio quem asinum veredum commentus est. sed meminisse debuit horum Horatij versuum,
Infelix operam perdas, vt siquis asellum
In campum doceat parentem currere freno.
Verùm vt ad coniecturam meam redeam, eam postea quodammodo confirmatam deprendi deprauata hac scriptura Decurtati ΚΛΗΤΑΟΚΝΟΝ. *κέλης equus est qui ab vno sessore agitatur, nec currui iungitur. Eustathius sellarium interpretatur. huius generis fuerunt equi veredi, ad cursum publicum disponi soliti. itaque ἄοκνος κέλης hìc appellatur veredus impiger, quique ocissimo cursu sessorem ferat, quales erant equi illi publici, quorum vsus olim non patebat nisi ex diplomatibus. qua de causa cùm Cicero significaret Atticum diploma obtinuisse, quo ipsi liceret cursu publico ex Italia exire, scribit eum habere κέλητα ἄοκνον. Hunc enim locum de diplomate intelligendum esse declarant hæc verba ex epistola penultima huius libri,* De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitij insimularem. negas enim te reperire qui mihi id in mentem venerit. Ego autem, quia scripseras te proficisci cogitare (etenim audieram nemini aliter licere) eò te habere censebam; & quia pueris diploma sumpseras. *Diplomata autem erant codicilli, quibus potestas dabatur cursu publico aliquo proficiscēdi. Venuleius libro primo stipulationum,* vt qui Ephesi daturum se spoponderit, neque diplomate diebus ac noctibus, & omni tempestate contempta, iter continuare cogantur: *&*

paullo post, quòd si diplomate vsus, aut felici nauigatione, maturiùs quàm quisque peruenerit Ephesum, confestim obligatus est. *& Modestinus libro octauo Regularum*, qui se pro milite gessit, vel illicitis insignibus vsus est, vel falso diplomate vias commeauit, pro admissi qualitate grauissimè puniendus est.

IN EPISTOLAM XIIII.

O VITAM miseram] *Hinc initium epistolæ ducit Decurtatus, quem sequutus sum.*

QVA erui nusquam] *Libri vulgati*, qua frui, *inepte, & contra* Ciceronis *sententiam. nam difficultate pecuniaria cuiuis licebat frui, etiam intactis ciuium bonis. sed ea difficultate liberari neuter horum poterat, nisi ex ciu um bonis. Legendum ergo*, erui, *pro*, frui.

IN EPISTOLAM XV.

CVI expensos tulerit] *Hunc locum ita edebat Decurtatus*, nunc ait se daturum cui expensus tulerit. moram in tabellariis. *quibus è verbis id tantùm mutaui, quòd pro*, expensus, *reposui*, expensos, *& post verbum*, tulerit, *addidi* τελείαν στιγμὴν. *Dare cui numi expensi sint, hìc significat, edere tabulas, quibus pateat cui nummi soluti sint. Funisulanus multos nummos debebat Ciceroni, quos cùm non solueret, dicebat se cuidam Ciceronis creditori, ad eum liberandum, illos numerasse: nec tamen dabat qua satisfecisset, id est, non ostendebat qua parte, & cui, Ciceronis nomine, eos dissoluisset, sed pollicebatur se daturum, id est, prolatis tabulis de-*

monstraturum, cui expensos eos tulisset. moram autem eius rei sibi non esse adscribendam, sed tabellariorum aut inopiæ, aut cunctationi.

Si apud te esset] *Si apud te essent tabulæ, quibus docere posses, qua parte, aut qua ratione pro aliquo, qui te appellaret, satisfecisses, sanè non grauatè eas proferres, nec ita cunctareris, vt Funisulanus.*

De XII millibus pudens] *Qui præter eam pecuniæ summam, quam Gallio credidi, me dare iubeat eidem* XII. *millia* HS.

Sed tantum voluit cito] *Tantam summam nempe* XII. *millia* HS. *Axius voluit vt cito numerarem Gallio, quod fieri non potest hoc tempore, quo summa est caritas nummorum.*

Sed Dij istos.] *Dij istos perdant, qui nobis potiùs incommodant, quàm vsui sunt.*

IN EPISTOLAM XVI.

Opto vt beatus sis] *Beatus hic diuitem & fortunatum significat, vt sæpe apud auctores Latinos. Dionysius iis tantum amicus esse solebat, qui rebus secundis vtebantur. ideo cùm optabat Cicero vt is amicus esset Attico, simul id optabat, vt Atticus beatus esset. nam ille tandiu ei futurus erat amicus, quandiu is beatus.*

Me velle postridie] *In Tornæsiano est*, me velle postridie conuenire. *Puto verbum*, conuenire, *additum fuisse ex glossemate. nam in aliis libris*

manuſcriptis non comparebat.

NEDVM morbum] *Perſpicuè legitur in Torneſiano & Decurtato,* nedum morbum, *vt in libris Malæſpinæ, cuius hic iudicium ſequor.*

IN EPISTOLAM XVII.

ID SI ἀκραὲς erit] *Scripſimus* ἀκραὲς, *emendata veteri ſcriptura Decurtati,* acras. *nam quod in vulgatis legitur,* cras, *omnino mendoſum eſt. Contraria ſunt æquinoctium* ἀκραὲς, *& perturbatum. num* ἀκραὲς, *ſignificat liquidum, purum, nulliſque nubibus obductum. ſic* ἀκραὴς ἄνεμος *Homero eſt* ἀμιγὴς καὶ καθαρός.

IN EPISTOLAM XVIII.

TA ὄνεια] *Has Græcas voces ita refert Torneſianus,* ITA ONIA: *Decurtatus ſic,* TA ONIA. *emẽdaui,* τὰ ὄνεια: *quo nomine ea ſignificãtur quæ ſunt ex vſu.*

SPISSA] *Spiſſum, eſt lentum & tardum: vnde apud Plautum pro ſpiſſo ſignificat rarenter; & ſpiſſigradiſſimus is dicitur, quem idem Comicus ait formicinum gradum mouere.*

VT MALE poſuimus initia] *In eandem ſententiam ſic ſcribit Ariſtoteles libro* V. *de Republica,* λέγει δ' αἴτιον, ὅτι ἀδύνατον ἀπὸ τοῦ πρώτου καὶ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἡμαρτημένου μὴ ἀπαντᾶν εἰς τὸ τέλος κακόν τι.

FORS μίας] *Omnes priſci noſtri,* Formias, *ex quo feci,* Fors μίας. Fors *ſignificat fortaſſe. Chari-*

ſius,

sius, nec minùs fors pro aduerbio ponitur, vt, & fors æquatis cæpissent præmia rostris. *μίας autem Hesychio est μίασμα: quo vocabulo idem hic auctor vtitur libro* XIII. *harum epistolarum cùm scribit*, eia tu: *μίας χόρδυ. sic enim ibi legendum, vt suo loco docebimus. Est ergo μίας scelus; & piaculum. ideo mox subiicit*, eâdem nos Furiæ fortasse persequentur. *nam Furiæ nefarios homines, qui se aliquo piaculo obstrinxerãt, persequi solebant. Porro*, eâdem, *aduerbium est*: idem Charisius, Veteres eâdem soliti sunt dicere, non addentes viâ, vt sit κατ' ἔλλειψιν: vt Plautus inquit, eâdem bibes, eâdem tibi dedero suauium.

IN LIBRVM XI.

IN EPISTOLAM I.

VNA leuata] *Et in Tornæsiano, & in Decurtato, & Crusellino perspicuè exaratum est*, vna leuata. *quæ lectio ita certa est, vt de ea dubitare ne Cicero quidem ipse possit.*

DE dote quod scribis] *Soluto matrimonio Crassipedis & Tulliæ, cùm Dolabellæ Tullia nupsisset, Cicero valde æstuabat in dote illi persoluenda. non enim eam integram ipsi tempore nuptiarum numerarat, cùm à Crassipede nondum eam exegisset, expectandáque dies esset legibus præstituta ad dotem repetendam, quæ aut pondere, aut numero, aut mensura constabat. huiusmodi enim dos citiùs*

exigi non poterat quam annua, bima, trima die. itaque totidem pensionibus, hoc est, tribus se eam Dolabella soluturum promiserat. ac prima soluta, cùm adforet dies secundæ proximis Kalendis Quinctilibus, & interim Dolabella perditissimo nepotatu rem omnem familiarem absumpsisset, uxorémque Tulliam omni ope destitutam Romæ reliquisset, incerto animo Cicero fluctuabat illíne reliquum dotis numeraret, an id Tullia, facto diuortio, conseruaret. nam & Tulliæ cautum volebat, & dirempto matrimonio, verebatur ne, incerto adhuc rerum exitu, Dolabellæ animum, qui gratia plurimum valebat apud Cæsarem, à se abalienaret. Interim ergo, dum certo constitueret quid facturus esset, cupiebat Tulliam sustentari suis opibus, & facultatibus Attici. Hunc locum hactenus ab interpretibus malè explicatum, in eam partem, in quam interpretati sumus, accipi debere, hoc est, de solutione dotis Tulliæ intelligendũ esse, declarat ipse Cicero proximis duabus epistolis, quarum altera ita scribit, De pensione altera, oro te, omni cura considera, quid faciendum sit, vt scripsi iis litteris, quas Pollex tulit. *altera hoc modo*, Quod ad Kalendas Quinctiles attinet, quid vellem, vtrumque graue est, & tam graui tempore periculum tantæ pecuniæ, &, dubio rerum exitu, ista, quam scribis, abruptio.

DETRACTA] *Terentia ex prima dotis Tulliæ pensione* HS. LX. *detraxerat, quæ Dolabella sibi solui cum secunda pensione postulabat. eam*

verò primæ pensionis imminutionem Cicero *ægrè ferebat. ideo infra epistola* XXIIII. *de alia quadam detractione loquens*, cùm hoc, *inquit*, tam paruum de parua re detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit.

IN EPISTOLAM III.

QVOD ad KAL. Quinctil.] *Quo die secunda pensio dotis Tulliæ numeranda est Dolabellæ.*

ET dubio rerum exitu] *Cicero non audebat auctor esse Tulliæ diuortij faciendi cum Dolabella, quia dubium rerum exitum metuebat, hoc est, verebatur ne Cæsar victoria potiretur: itaq; Dolabella diuortio illo tanquam graui quadam iniuria lacessitus, Cæsaris odium in se concitaret. nam Cæsar plurimum cupiebat Dolabellæ caussa.*

SI tecum] *Si de Tulliæ matrimonio potiùs Romæ tecum deliberauissem, quàm per litteras, partim cum irem in Ciliciam, partim cùm eò peruenissem. si enim Romæ tunc fuissem, cùm ea de re actum est, fortasse detexissem quàm tenuis esset res familiaris Dolabellæ, cognitáque eius inopia, ei Tulliam vxorem non dedissem. Itaque melius consultum esset Tulliæ. Hoc de matrimonio egerat cum Attico epistola* IIII. XIII. *& vltima libri quincti, & prima libri sexti.*

DE salute nostra] *Salutem suam vocat matrimonium Dolabellæ & Tulliæ, quòd salus ipsius pendere videretur ex retenta amicitia, & affinitate.*

Dolabellæ, si Cæsar rerum potiretur, cui ille carissimus erat. qua de caussa verebatur matrimonium illud, incerto adhuc rerum exitu, dirimere; ne Dolabella, nuncij remissione, tamquam graui contumelia lacessitus, odium Cæsaris in eum conflaret. Fortunas autem idem matrimonium appellat, quod in eo de maxima parte eius facultatum ageretur. nam Dolabellæ, qui omnia sua bona luxu & nepotatu profligarat, pendenda erat reliqua dotis nomine (nam partem iam acceperat) ingens pecuniæ vis, periculúmque erat eius amittendæ.

VIDES, vt sunt] *Sequutus sum Tornæsianum, & Crusellinum hæc ita referentes,* quæ tu profecto vides, vt sunt, & grauissima esse &c. *nam in vulgatis hæ duæ voces,* vt sunt, *non leguntur.*

IN EPISTOLAM V.

NIHIL omnino ad vos] *Tornæsianus & Crusellinus,* nihil omnino ad vos scriptis litteris. *sed illud,* scriptis litteris, *abest à Decurtato, & puto ex aliquo glossemate profectum esse.*

OFFICIVM deesset] *In Crusellino erat,* deet, *quæ scripturæ contractio sic debet explicari,* deesset, *vt edidi.*

IN EPISTOLAM VI.

ΔΡΟΜΟΘΕΝ nunc ad Oppium] *Fœdissima macula hîc inquinati sunt omnes nostri codices*

calamo exarati. Tornæsianus habet, domo te: *Crusellinus*, dromo te. *correxi*, δρομόθεν, *id est, ex cursu. nam profectionem suam ad Pompeium vocat cursum, quia in Italia non remanserat, vbi tamē ita quiescere potuerat, vt nullam Reipublicæ partem attingeret. Præterea pro*, quoniam, *existimaui Ciceronem scripsisse*, Cornelium. *nam pronomen*, iis, *quod sequitur, manifestò indicat de pluribus quàm de vno Oppio hîc fieri mentionem. & solebant hæc duo nomina*. Oppius, Cornelius, *plærumque sine copula simul iungi. eóque modo scripsit Cæsar supra libro nono in inscriptione epistolæ ad vtrumque. Nihil hîc me iuuerunt Scidæ, in quibus non modò maxima pars huius epistolæ deerat, sed etiam tres proximè antecedentes.*

Placeret modo] *Id est, vtinam saltem. Idem epistola quæ vltimam præcedit huius libri*, te certiorem factum non esse? modò valeres.

Is dicitur vidisse] *Post verbum* vidisse, *Tornæsianus & Crusellinus addūt notam Q. quæ Q uinctum significat. sed ea abest à Decurtato: & puto ex interpretatione fluxisse. nam hæc ad Q. filium referri debent, cuius proximè meminerat.*

IN EPISTOLAM VII.

Fac tu igitur] *Ex codice Decurtato scripsi*, fac tu, *duabus vocibus. Tu, inquit, facito vt vtar iisdem istis lictoribus, quemadmodum scribis istis placere.*

QVOD scribis te flagitari] *Victorius, repugnantibus libris antiquis, edidit*, Terentiam flagitare, *cùm in manuscriptis sit*, te flagitari, *quo modo prorsus legendum est. hoc enim libro Cicero non de Terentia, sed de Tullia miseriis queritur, quam Dolabella omni ope rei familiaris destitutam Romæ reliquerat. ea verò egestate pressa Atticū flagitarat, vt sibi, nomine patris Ciceronis, opē ferret.*

TIBI obesse aliquid possit] *Hîc quoque Victorius refragantibus veteribus libris reposuit*, Terentiæ, *pro*, tibi. *Sed potior est mihi antiquorum exemplarium auctoritas, quàm eius opinio. Vult autem Cicero Atticum ita facultatibus suis Tulliam iuuare, vt id beneficium ipsi damnosum non sit.*

IN EPISTOLAM VIII.

VALE VI. KAL.] *Perspicuè erat in Decurtato* VI. KAL. *vt in quibusdam suis se legisse testatur Malaspina. itaque cùm hanc lectionem multorum veterum codicum auctoritate niti viderē, eam potiùs quàm vulgatam in exemplar nostrum retuli.*

QVIERAM (quid facerem?)] *In quibusdam nostris legebatur*, sciueram: *in aliis, puta in Decurtato*, ciueram. *arbitratus sum litteram* C. *hîc locum τοῦ* Q. *occupasse, scriptúmque initio fuisse*, ciieram, *pro*, quieram; *húncque pusillum errorem, si error vocandus est, longe latéque postea vitio interpolatorū fuisse propagatum. sic veteres*

cocus, *pro*, coquus, *&*, cotidie, *pro*, quotidie, *& alia multa id genus scribebant. Porrò*, quieram, *κατὰ συγκοπὴν dictum est pro*, quieueram. *Ait verò se quieuisse, id est, omnem motum & tumultum bellicũ deuitasse, dũ in Italia mãsit, vocátq; cõsiliũ hoc manendi in Italia non forte, quod illi timidi & ignaui haberentur, qui cum Pompeio non cederent.*

CESSI meis] *Emendaui*, cessi meis, *cùm scriptum reperissem in Scidis*, cessim iis: *in Tornæsiano*, cessim his. *Suos appellat necessarios, amicos, & familiares, qui ei auctores fuerant vt Italia relicta Pompeium sequeretur.*

IN EPISOLAM XII.

NILO meo his verbis] *Edidi*, Nilo meo, *vt referebat Decurtatus. nam alij libri hic miserè corrupti sunt*. Nilo meo, *est per Nilum meum. Hic Nilus libertus fuit Ciceronis, cuius mentio fit epistola* XXIII. *huius libri.*

CRETIONEM simplicem] *Cretio simplex dicitur, cùm, è pluribus heredibus scriptis, vnus cum cretione instituitur, reliqui sine cretione. Itaque cùm nulla alia cretio ad Ciceronem perlata esset, ex eo coniiciebat, neminem alium cum cretione institutum fuisse, & cretionem simplicem, id est, sui vnius extitisse*. Sine cretione, *inquit Vlpianus Titulo* XXII. *Regularum*, heres iustitutus, si cõstituerit, nolle se heredem esse, statim excluditur ab hereditate, & amplius eam adire non potest.

IN EPISTOLAM XIII.

NEQVE tam mihi] *Scripsi, ut erat in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino*, neque tam mihi desperatum iri videbantur.

IN EPISTOLAM XIIII.

AD Minutium pariantem] *Mei omnes manuscripti, præter Decurtatum, hic habent*, Ad Minutium parentem; *quo modo in vulgatis legitur. At in Decurtato pro*, parentem, *exaratum est*, parãtem. *unde conieci Ciceronem scripsisse*, pariantem: *id est, pares facientem rationes accepti & expensi; ut quod is Attico creditori, aliisue eius iussu curaret, id Atticus sibi expensum latum agnosceret, eúmque pari obligatione, æquatis rationibus, liberaret. Atticus Minutio argentario multum pecuniæ crediderat: de qua pecunia* Cicero *certam quandam summam sibi curari volebat, ea lege, ut eam summam Atticus reciperet ex quarundam ipsius rerum venditione, quarum alienandarum curã susceperat. Proinde, cùm ex ea venditione plus Atticus redegisset, quàm* Cicero *putarat, hoc est, ad* XXX. HS. *mandarat Minutio, ut de sua pecunia tantumdem, nempe* XXX. HS. Ciceroni *curaret. eam enim summam se ipsi Minucio acceptam laturum. quas Attici litteras hîc* Cicero *se ad Minucium missurum scribit, addítque se rescri-*

pturum Attico numquid ille egerit, id est, mandatisne satisfecerit, sibique curauerit illa XXX. HS. *Itaque cùm Minutius de illa summa* XII. HS. *tantùm ipsi postea curasset, coactus est Atticum appellare epistola proximè sequenti, vt sibi reliquum eius pecuniæ curari iuberet. Pariandi verbo vtitur Vlpianus, & pariationis, pariatorúmque Scæuola, & Paullus Iurisconsulti. Est autem pariare æquare rationes expensi, & accepti.*

SI vllo modo pote] *Legebatur in Tornæsiano, Crusellino, & Decurtato,* quem videre si vllo modo potest enim res peruellem: *emendaui,* quem videre, si vllo modo pote (est enim res) peruellem. pote *est* δυνατὸν. Res *autem negotium & difficultatem hîc notat. sic libro* VII. *harum epistolarum,* his ille rebus, *inquit,* ita conualuit, vt nunc, ni vno ciui, res ad resistendum sit. *Paullo post ex iisdem veteribus libris edidi,* ibi facile est quid; quale sit, grauius existimare.

IN EPISTOLAM XV.

ACHAEI, ij item ex Asia] *Edidi ex fide Decurtati,* Achæi, ij item ex Asia. *dictum est ij ex Asia, vt paullo post ij ex Africa.*

GENVS conditionis] *Vt qui licitatione vinceret, is optionem haberet partium hereditariarum.*

CVM ea pars] *In hereditate diuidenda partes ita æquabiliter secari non possunt, quin alia aliis*

aliquantulum præpolleant. proinde multum refert cui è consortibus deferatur optio. quo fit vt ea de re sæpe inter illos grauis oriatur controuersia, quam hîc Cicero scribit dirimi licitatione. nam pecunia in optionẽ dicta minoribus partibus adcrescit. itaque expletur quod in eis deesse videbatur: iuréque ei defertur optio, qui licitatione vicit. atque hoc ex loco patet quid seruatũ fuerit tempore Ciceronis in controuersiis de optione partium hereditariarum. & sanè Ciceronis hac in re sententiam potiorem duco, quàm eorum qui hanc contentionem officio iudicis, aut sorte diiudicandam censent; aut Guidonis Papiensis, & Aemily Ferreti, qui existimant optionem minoribus natu dari debere. Verùm quærat hîc aliquis, cur Vlpianus licitationi subiici nolit asseruationem chirographorum, & instrumentorum hereditariorum, quæ communia sunt inter consortes. nimirũ quia licitatio genus est emptionis. emptione verò res desinit esse communis. itaque ne cõmunium syngrapharum dominium omne in eum transferri videatur, qui plurimo licitus fuerit, non placuit Vlpiano, neque Pomponio eam rem ad licitationem deduci. Vlpiani verba sunt ex libro XIX. *ad Edictum,* Nam ad licitationem rem deducere, vt qui licitatione vicit, hic habeat instrumenta hereditaria, non placet neque mihi, neque Pomponio.

ITAQVE matri eam] *Inportuna repetitione vltima litteræ vocis,* itaque, *primùm huic loco leuis aspersa est macula, quæ postea vitio impurorum*

quorundam interpolatorum aucta ita hîc insedit, vt totam sententiam corruperit, nullóque alio smegmate elui potuerit, quam veterum librorum. Iis igitur adhibitis, vt has sordes abstergerem, ita exaratum in Decurtato reperi, Itaque Ematriam: *quā scripturā hoc modo purgari posse existimaui:* Itaque matri eam. *nam ex epistolis ad Terentiam, & aliis huius auctoris locis intelligitur, eum Tulliam matri remisisse, cùm eam aliquot dies secum habuisset.*

QVAM ad modum consolantis] *Valde hoc loco deprauata erant omnia quæ habui exemplaria. sed in Scidis supererant adhuc obscura quædam vestigia germanæ lectionis. itaque vt videant lectores quam recto tramite iis insliterim, in reponendis natiuis Ciceronis verbis, apposui scripturam eius libri:* Pro ea quam ad modum consolantis scripsisti pro tanta tato mē scripsisse quæ tu ipse intelligis respōderi potuisse. *emēdaui,* Pro ea quam ad modum consolantis scripsisti πεχόττα, putato me scripsisse, quæ tu ipse intelligis responderi potuisse. *Eius, inquit, epistolæ loco, quam instar consolantis ad me scripsisti lenissimè, putato ea me tibi rescripsisse, quæ tu intelligis potuisse responderi. Cùm* Cicero *graui mœrore conficeretur quà de suis, quà de Tullia miseriis, Atticus eum lenissimis litteris consolatus fuerat, quibus cùm* Cicero *non rescriberet, mandauit Attico, vt ipse sibi ita responsum putaret, vt in ea responsione desiderari nihil posset. Ceterùm* πεχόττα *Atticè dictum est pro* πεχοτάτως.

ſic epiſtola XXII. *libri* XIII. *ἀσμενέσατα, pro, ἀσμενεσάτως. Sed id vel pueris tritum.*

IN EPISTOLAM XX.

SELEVCEA Pieria] *Non potui non probare hanc lectionem Decurtati*, Seleucia Pieria C. Trebonius, *vt iam dudum emendauit Manutius.*

IN EPISTOLAM XXII.

SED vt malis] *Noſtri omnes*, ſed vt malis: *rectè.* malis, *verbum eſt à malo mauis. ſed, inquit, iuua me conſilio, & ſcribe quomodo malis, an vt hîc maneam, an vt propiùs accedam.*

IN EPISTOLAM XXIII.

SE tecum loquutum] *Cruſellinus codex*, te ſecum loquutum: *Decurtatus*, ſe tecum loquutũ, *vt edidi.*

Tuas litteras exſpectabam] *Cùm hæc, inquit, ſcriberem, tuas litteras exſpectabam. nam præteritum hoc imperfectum ad id tempus refertur, quo Cicero hanc epiſtolam ſcribebat. Idem indicandum de verbis*, putabam, venerat, &, nunciabat, *quæ mox ſequuntur.*

NI ſic illud quidem] *Pro*, niſi, *repoſui*, ni ſic, *vt erat in Scidis. Reprehenderat Atticus neſcio quid in epiſtola Ciceronis, ſuaſerátque vt id mu-*

taret. Ei reprehensioni respondet Cicero, *aitque se non videre quo modo id, quod ille notarat, mutari possit, nisi sic:* sed cùm à Nilo accepissem litteras, desideraui tuas. *sunt enim verba quæ Atticus reprehenderat, vt quidem correcta fuerant à Cicerone.*

ET sic putabam] *Et ita putabam illud mutari & corrigi posse. Hic quoque,* sic, *pro* si, *ex fide Decurtati & Crusellini reposui.*

TE certiorem factum non esse?] *Certior hic est validior & cõfirmatior, refertúrque ad corpus, vt lib.* X. *ad animi constantiam,* & quo ille me certiorẽ vult esse, eo magis timeo ne in illum existam crudelior. *sed fortasse scripsit* Cicero, erectiorem. *Quidam etiam legendum putant,* fortiorem. *sed ego vix ausim tam longè à vetere scriptura recedere. Hæc autem cum interrogatione legi debent.*

ACVSIVS quidam] *Vulgati libri partim,* Agusius, *partim,* Augusius, *referunt. At melius, vt opinor, Decurtatus noster,* Acusius quidam. *nomen* Acusius *Græcam originem redolet. est enim Græcè ἀκύσιος, quod inuitum significat.*

PRIDIE eum diem] *Perspicuè exaratum erat in Decurtato & Tornæsiano,* pridie eum diem, *vt edidi. Sic Latini dicebant pridie Kalendas, & pride Nonas.*

EO feci] *Tornæsianus,* eo feci vt eo: *Decurtatus,* eo feci vt ego, *planè rectè.*

ALIQVID fecissemus, vt vini] *In vulgatis*

est, vt viui: *correxi ex Decurtato*, vt vini. *fecissemus, inquit, aliquid, puta vini, hoc est, vinolentiæ, aut tabularum nouarum nomine. Enumerat* Cicero *caussas quibus Tullia potuerit nuncium remittere Dolabellæ: in quibus refert ipsius Dolabellæ vinolentiam, quam paullo post vocat vini abusionem. Nam hæc de diuortio Terentiæ accipi non debent, sed de Tulliæ: quam cùm intelligeret ad summam inopiam redactam esse, mox ait se pœnitere, quòd priùs non diremerit eius matrimonium, quàm secundam pensionem Dolabella solueret.* Nec enim, *inquit*, res periisset, & videremur aliquid doloris virilis habuisse. *Ad hanc nuncij remissionem referenda sunt quæ idem* Cicero *in hunc modum Terentiæ scribit libro* XIIII. *epistolarum ad familiares.* Quod scripsi ad te proximis litteris de nuncio remittendo; quæ sit istius vis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. si metuendus iratus est, quies tamen ab illo nascetur. totum iudicabis quale sit, &, quod in miserrimis rebus minimè miserum putabis, id facies. *Vim istius, vocat vim Dolabellæ, qui spe nouarum tabullarum multitudinem obrutam ære alieno concitabat.*

VEL tabularum nouarum] *Dio lib.* XLII. *tradit Dolabellam, cùm obæratorum caussam foueret, promulgasse legem de nouis tabulis.* οὗτος μὲν γὰρ (*de Dolabella loquitur*) τοῖς ὀφείλουσιν, ἐξ ὧν καὶ αὐτὸς ἦν, καὶ διὸ καὶ ἐκ τῶν εὐπατριδῶν ἐς τὸ πλῆθος ἐπὶ τῇ δημαρχίᾳ μετέστη, συνηγωνίζετο. *& postea eodē libro*, ὁ γὰρ Δολαβέλλας ἀπογνοὺς συγγνώμης τινὸς παρὰ τοῦ

καίσαρος τεύξεσθαι, μέγα τι κακὸν ἐπεθύμει δράσας ἀπολέσθαι, ὡς καὶ ὄνομα ἐκ τούτου ἀεὶ σχήσων (ἤδη γάρ τινες καὶ τῶν κακίστων ἔργων ἐρασταὶ ἐπὶ τῇ φήμῃ γίγνονται) ὑφ' οὗπερ καὶ ἐκεῖνος τά τε ἄλλα ἐτάραττε, καὶ τοὺς νόμους τόν τε περὶ χρεῶν καὶ τὸν περὶ τῶν ἐνοικίων ἐν ῥητῇ τινι ἡμέρᾳ θήσειν ὑπέσχετο. *eandem legem antea promulgarat M. Cælius Pretor, vt eodem libro refert Dio, & Cæsar libro tertio commentariorum de bello ciuili.*

VEL nocturnarum expugnationum] *Dolabella multa Romæ scelerate fecerat, adeo vt aliquando desperarit de venia à Cæsare impetranda, quemadmodum scibit Dio libro* XLII. *atque eo referendum puto quod hic Cicero tradit de nocturnis expugnationibus.*

VEL Metellæ] *Videtur hæc pellex fuisse Tulliæ. In Tornæsiano est,* velim Metellæ.

MEMINI omnino tuas litteras] *Quibus ad me scribebas de Tullia nuptui danda Dolabellæ.*

SED & tempus illud] *Quo accisis adhuc, propter recentem exilij cladem, meis rebus, difficile erat, qualem vellem, generum inuenire, præsertim cùm abessem Roma. itaque cogebar contentus esse Dolabella. vide epistolam* IIII. *libri* V. *Actū est de nuptiis Tulliæ & Dolabellæ, cùm Cicero in Ciliciam proficisceretur.*

ESTI quiduis præstitit] *Quàm Tulliam tum nuptui dare Dolabellæ. Nihil enim mihi peius accidere potuit.*

IPSE videtur denunciare] *Sequutus sum manuscriptos nostros, in quibus perspicuè exaratum*

est, ipſe *: quo modo etiam legitur in prima editione Victoriana. hoc autem pronomine indicatur Dolabella, qui abſumpto omni patrimonio ſuo, profligatáque maiori parte dotis Tulliæ, credebatur ei velle nuncium remittere, quaſi de nouis tabulis faciendis etiam in eius dote cogitaret.*

AVDIMVS enim deteſtatu iri] *Notarum ignoratio hunc locum deprauauit. In Tornaſiano erat*, Audimus enim deſtaturi Clodi generumne noſtrum potiſſimum &c. *In Decurtato*, Audimus enim deteſtaturi Elodi generumne noſtrum potiſſimum &c. *Legendum exiſtimaui*, Audimus enim deteſtatu iri E. L. ô Dij generúmne noſtrum potiſſimùm, vt vt hoc, vel nouas tabulas? *Hic*, deteſtatu iri, *eſt*, deteſtatum iri. *ſic apud Iuriſcontos noſtros legas*, redditu iri, traditu iri, datu iri, debitu iri, *& alia ſexcenta. ſignificat autem*, deteſtatu iri, *cum teſtatione denunciatum iri*. Deteſtari, *inquit Paullus libro* LIII. *ad Edictum*, eſt abſenti denunciare. *& Vlpianus libro* LVI. *ad idem Edictum*, Deteſtatio eſt denunciatio facta cum teſtatione. *quæ duo verba Iuriſconſultos illos retuliſſe puto ad repudiorum, & diuortiorum denunciationes*. nam, *inquit idem Paullus*, nullum diuortiorum ratum eſt, niſi ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis, præter libertum eius, qui diuortium facit. *renunciabatur autem diuortiũ non modo præſenti, ſed etiam abſenti. Caius libro* XI. *ad Edictum prouinciale*, Siue autem ipſi præſenti renuncietur, ſiue abſenti per eum qui in poteſtate

potestate eius sit, cuiúsue is, eáue in potestate sit, nihil interest. *Quia ergo Cicero audierat diuortium Tulliæ absenti denunciatum iri, idcirco vtitur verbo detestandi, idque παθητικῶς, quo modo verbum testari veteres sæpe vsurpabant, vt refert Gellius libro* XI. *Iam hæ notæ* R. L. *quæ mox sequuntur significant ex lege. nam Dolabella nuncium Tulliæ remissurus erat ex lege, hoc est, ex præscripto, & formula legis* XII. *Tabularum. Caius libro* III. *ad legem* XII *Tabularum*, si ex lege repudiũ missum non sit, & idcirco mulier adhuc nupta esse videatur, tamẽ si quis eam vxorem duxerit adulter nó erit. *Auctor hic noster Philippica secunda, cùm idẽ significaret*, ex XII. Tabulis *dixit*: frugi, *inquit*, factus est; mimã illã suã suas res sibi habere iussit ex XII. Tabulis, claues ademit, exegit. *Sensus ergo horum verborum est, nunc Dolabella videtur repudium denunciare. audimus enim denunciatum iri Tulliæ, testibus præsentibus, ex lege* XII. *Tabularũ, vt ea suas res sibi habeat. Quæ sequũtur*, ô Dij &c. *ab his separari debẽt, cùm non sint eiusdem periodi.*

O Dij generúmne nostrum] *Exclamatio indignationis plena. nam Cicero iniquissimo animo ferebat generum suum, hoc est, eius qui optimè de Republica meritus esset, eo impudentiæ erupisse, vt cogitaret de lege nouarum Tabularum ferenda. qua lege, præter quàm quod ingens clades, atque adeo interitus præstantissimæ parti ciuitatis adferebatur, ipsa etiam Tullia solutam illi ipsi Dolabellæ, eius legis auctori, dotem erat amissura. ita-*

que Cicero putabat Dolabellam ea de caussa velle Tulliæ nuncium remittere, vt eam dotis repetitione fraudaret. O dy, inquit, id ne ferendum est, generum nostrum potissimùm, qualecunque hoc sit, vel nouas tabulas inducere?

VT vt hoc] *qualecumque hoc sit; siue plurimi faciendum, siue minini, quòd nobis affinitate deuinctus sit.*

VINI abusio] *Abusionem vini vocat vinolentiam, quæ caussa olim legitima fuit viris vxores dimittendi. nam si mulier vinum biberat, non modò eam repudiare eius vir poterat, sed etiam æquè plectere, ac si aliquid probri cum alieno viro fecisset, vt refert Gellius libro* x. *Verùm an ex eadem caussa, hoc est, propter vinolentiam, mulieres viris nuncium remittere potuerint, id verò non æquè constat. Sanè puto postremis Reipublicæ temporibus, cùm ex hominum libidine leges fingerentur, licuisse etiam mulieribus leuissimis de caussis à viris diuertere. Vt verò ita credam adducor Constantini imperatoris auctoritate, qui id malum, quod ante sua tempora diu grassatum fuerat, hac constitutione coercuit:* Placet mulieri non licere propter suas prauas cupiditates marito repudium mittere, exquisita caussa, velut ebrioso, aut aleatori. *Cùm huius de loci sententia aliquando cum doctissimo iurisconsulto Guilelmo Fornerio Aureliæ dissererem, is opinionem meam prolatis huius constitutionis verbis confirmauit.*

ABVSIO] *Vt hîc Cicero abusionem dixit*

pro abusu, sic Varro ταῖς μενίππεαις *vsionem pro vsu*, Dionysium, *inquiens*, litteras scisse dum vsioni quod satis esset. *Sic etiam Alphenus iurisconsultus*, nam & si vina diffudisset habiturus vsioni ipse & heres eius, tamen in penu existimari. *sed & ipse Cicero abusionem vocat tropum illum, quem Graeci appellant* κατάχρησιν. *Vulgò corruptissimè hîc legitur*, abuso, *pro*, abusio.

NASCETVR] *Idest, túmne obiicienda erit, ad diuortium faciendum, Dolabellæ vinolentia, cùm is petet tertiam pensionem, an verò prius nuncium remittere oportebit.* nascetur, *dixit, quia ex vinolentiæ criminatione nasciturum erat diuortium.*

IN EPISTOLAM XXIIII.

ET, quæ etiam ad me] *Lego ex Decurtato Tornæsiano & Crusellino*, &, quæ etiam ad me, bis ad Tulliã de me scripsisti: *hoc sensu; & quæ bis ad Tulliam de me scripsisti, quæ etiam ad me scripsisti. nam quæ ad Tulliam Atticus scripserat, ea Cicero ad se scripta existimabat.*

AD meam manum redi. dehinc enim] *Hæc* μυστικώτερα *Cicero sua manu scribebat. ideo iubet Atticum ad eam redire. Hîc ego pro*, reddiderint, *reposui ex Decurtato*, redi. dehinc.

CVM illa quærere cœperat] *Cùm Tullia cœperat opem quærere, & te flagitare.*

NON credo te commorit] *Hunc locum sic ex Scidis emendaui*, non, credo, te commorit.

nequè enim rogarit. *quæ verba intelligi debent de Terentia, quæ nec Atticum, nec ipsum Ciceronem, vllis præcibus erat commotura; quippe quos rogatura non esset, vt testamentum suum adseruauarent.*

SI idem illa] *Si idem Tullia vellet.*

QVAM quidem celo miseram] *Hæc verba ita leguntur, & interpunguntur in Decurtato,* quam quidem celo miseram me in hoc timere de illo altero. *quid autem sit illud alterum, declarat epistola sequenti:* te oro, vt in perditis rebus, si quid cogi, confici potest, quod sit in tuto; ex argento, neque satis multa supellectile, des operam. *Dum ergo timebat in hoc, id est, in testamento Terentiæ eo loco, vbi tunc erat, relinquendo, ne fortè ibi intercciperetur à Dolabella, simul etiam timebat ne argentum & supellex inde ab eodē, aut alio quodam Cæsarianarum partium surriperetur: quod Tulliam celabat. Itaque tam testamentum, quàm argentum & supellectilem tuto aliquo loco deponi volebat, nisi forte argentum cum pecunia mutari, & supellex vænire posset.*

ET tua Terentiæ] *Facilè iis assentirem, qui putant hîc,* Terentiæ, *vitiosè legi pro,* Tulliæ, *si id veteris alicuius libri testimonio probarent. verùm repugnantibus codicibus manuscriptis nihil ausim mutare.*

APVD ἄπιστον illas velim] *Proferam scripturā veterum codicum, vt videant lectores nimiúmne mihi indulserim in lectione nostra inde procudenda.*

Tornæsianus hæc ita referebat, Quod ad te iampridem de testamẽto scripsi apud epistolas velim, vt possim aduersas: *Decurtatus sic*, Quod ad te iampridem de testamento scripsi apud epistonilas velim, vt possim aduertas. *emendaui*, Quod ad te iampridem de testamento scripsi, apud ἄπιστον illas velim; vt possint aduertas. *velim, inquit, Terentiam & Tulliam deponere testamentum ipsius Terentiæ apud aliquem, cui tuto cõmitti queat. vt verò id facere possint, ipse aduertas rogo. ἄπιστον vocat hominem exploratæ fidei, & cui tuto credi possit. Huc spectant verba illa epistolæ superioris*, poteris eam monere, vt alicui committat, cuius extra periculum belli fortuna sit. equidem tibi potissimũ velim, si idem illa vellet.

HVIVS miserrima facultate] *Miserrimam facultatem hîc vocat inopiam, & egestatem Tulliæ.*

IN LIBRVM XII.

IN EPISTOLAM I.

ID est II. Kalend.] *Manutium optimum hic fuisse coniectorem probat hæc lectio Decurtati* II. Kalend. *nam veteres sæpe significabant pridie hac nota* II., *vt multis locis obseruaui in his epistolis.*

IN EPISTOLAM II.

*H*IC rumores tamen] *Huius libri epistolas*

multi variè distinxerunt, quòd nullum ferè sit in veteribus libris earum discrimen, sed perpetuo orationis contextu scripta legantur. itaque pro animi arbitrio eas separarunt. Nos ferè vbique Decurtatum hic sequuti sumus, in quo epistolæ huius libri hac nota Z alia ab aliis discernuntur, hísque verbis, Hîc rumores tamen, secunda epistola inchoatur. quæ lectio Manutio placet.

TAMEN] vtitur aduersatiua particula, vt Atticum falli doceat, dum scriberet, se putare nihil noui Romam allatum esse, ex quo inde discessisset. contrà enim nouos ait rumores spargi.

IN EPISTOLAM III.

SED ludis factis] Castigaui ex præscripto Decurtati, κλύπῳ subsidio currat. κλύπος hîc κρότον significat, id est, plausum, qui ludis factis dari solebat, cùm ij spectatoribus placuerant. Cicero cùm suo more hic iocaretur, ludos facere scripsit pro ludificare, cuius significatus passim apud Plautum obuia sunt exempla; aitque se vereri, ne de illa actione sibi ludi fierent, illo ipso qui se ludificasset gaudente, & aliorum plausum, qui se pariter irriderent, adiuuante.

IN EPISTOLAM IIII.

SI à seriis eius dictis] Vulgati libri, si à sententiis eius dictis: quæ lectio eò mihi non placet, quòd vox, dictis, videtur quodammodo iacere. Re-

Etè verò Decurtatus, si à seriis eius dictis : *cui scripturæ adstipulatur grauitas, seueritas, & maiestas ipsius* Catonis. *Paullò post pro*, iis odiosum, *reposui ex eodem Decurtato*, istis odiosum.

QVOD Aledio] *Variant prisca exemplaria in hoc nomine referendo. nam partim ibi scriptum legas*, Aledio, *partim*, Atedio. *Ego*, Aledio, *edidi, quòd ita exaratum frequentius reperi.*

IN EPISTOLAM V.

QVOD autem os] *Scitè Turnebus hæc verba sic distinxit*, quod autē os, in hanc rem ἔρανον à te? *& interpretatus est, quæ impudentia est petere à te ἔρανον, hoc est, munus aliquod, tanquam stipem, id est, emendicare à te pecuniam, ad eam rem obeundam?*

SED ἀμπνὸμα] *Ex Decurtato, ante Græcam vocem ἀμπνὸμα, addidi particulam*, sed, *quæ in vulgatis deerat.*

IN te κρήνην] *Auctorem habui Decurtatum in hac lectione edenda*, in te κρήνην, vt scribis haurirè. *Horum autem verborum sententia hæc est: fac Quinctum fratrem, cùm à te ἔρανον petiit, non ad διψῶσαν κρήνην venisse, sed ad πειρήνην; fac etiam eundem summis angustiis rei familiaris pressum in te haurire κρήνην, id est, fontem vberrimum, nempe ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ, hoc est, Arethusam: quo tandem hæc euadent?*

DE COELIO] *De hoc Cælio quædā dicemus*

ad epiſtolam III. *libri ſequentis. Hic nummularius erat, cũ eóque Cicero agebat de argento auróue facto, aut infecto cum alio ſignato commutando.*

Non facultas modò] *Sequor Manutij distinctionem, collocato puncto poſt vocem,* modò. *Naturam vocat auri qualitatem & temperaturam; bonúmne an malum ſit, purum putum & obryſum, an argentoſum orichalcóue permixtum: facultatem verò, æſtimationem, & precium. hæc ex pecuniæ ſignatæ nota facile peſpicitur: nam, vt ait Ariſtoteles, χαρακτὴρ ἐςὶ τοῦ ποσοῦ σημεῖον. illa longè difficilior eſt cognitu, cuius ignoratione plærique magno afficiuntur detrimento, acceptis ſubæratis numis pro puris putis aureis. quod cùm Cicero timeret ſcribit noſcendam eſſe non modò facultatem & æſtimationem auri, ſed etiam naturam. Ceterùm quod hic naturam appellat, id Paullus Iuriſconſultus ſubſtantiam libro* XXXIII. *ad Edictum*; eáque materia forma publica percuſſa vſum dominiúmque non tam ex ſubſtantia præbet, quàm ex quantitate. *Quod porro hic facultatem, illi qui codicẽ Iuſtinianeum conſarcinarunt, poteſtatem. ſic enim Titulum conceperunt*, De veteris numi poteſtate.

Ad Auium ſcripſi] *Scidæ & Cruſellinus,* Auiũ, *quo modo legitur epiſtola* III. *libri* XIII. Auius enim videtur in officio futurus.

Pisoni demonſtrarim] *Fuerunt Piſo & Auius κολλυβισταὶ, vt opinor, quemadmodum & Cœlius, cuius paullo ante meminit. Piſoni verò* Cicero *demõſtrarat quæ bene norat de auro, vt is Auio*

id renunciaret, & vterque huiusmodi aureos nummos conquireret. Ait autem, quæ bene nossem, *quia nõ omnia in ea re norat: quinimo ea ignorabat, quorum cognitio maximi erat momenti, nempe quæ ad auri naturam pertinebant. Itaque epistola sequenti mandat Attico, vt videat, ne qua lacuna sit in auro. Ceterùm legendum est,* demonstrarim, *vt est in Decurtato, non, vt vulgati libri vitiosè referunt,* demonstrarem.

PVTO proximis] *Addidi,* proximis, *post verbum,* puto, *quòd ita legerim in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino. & certè L. Metelli & Q. Maximi Consulatum proximè subsequutus est Consulatus Cn. Seruilij Cæpionis, & Q. Pompeij Nepotis.*

CENSORINO ne] *Edidi* Censorinóne, & Manilio, *vt in Scidis & Tornæsiano scriptum reperi: & mox, iisdem libris auctoribus,* T. Quinctio, M. Acilio.

CONTVRBAT enim me] *Protuli lectionem Decurtati, vt veram & certam, ab omníque macula repurgatam, & ita scripsi,* conturbat enim me epitome Bruti Fanniana, an Bruti epitoma Fannianorum? *sic etiam exaratum est in Tornæsiano, nisi quòd vitiosè librarius scripsit,* in Bruti epitoma, *pro,* an Bruti epitoma. *Hic Bruti liber variè inscribebatur. quandoque enim appellabatur* Bruti epitome Fanniana; *quandoque,* Bruti epitoma Fannianorũ. *itaque incertus* Cicero *vtro modo nuncupare deberet vtrũque nomẽ apposuit, addita*

particula dubitandi, qua vti solet cum aliqua de re ambigit, vt epistola prima libri septimi, id & ostēdisti quibusdam litteris ex Epiro, an Athenis datis? *& epistola sexta libri vndecimi,* is dicitur vidisse an euntem, an iam in Asia?

CALENDAE vitandæ] *Quibus fœneratores pecunias à debitoribus exigunt, vt notum est ex Horatio, & aliis priscis auctoribus.*

NEOEICASIONVM] *Libri vulgati,* nicasionum: *olim excusi,* incessionum: *Tornæsianus,* ne occasionum: *Crusellinus,* nec ecasionum: *Decurtatus,* Neoecasionum. *emendaui,* Neoeicasionum, *vel si malis,* Neeicasionum. *fictum est nomen ἐκ τοῦ νέος καὶ τοῦ εἰκάζειν, quasi dicas nouos priscarum tabularum refectores; cuius modi sunt pictores, qui ἀρχέτυπα, id est primigenias tabulas renouant, aliis instar illarum expressis. Hoc autem vocabulo notat argentarios & fœneratores, qui ad similitudinem earum tabularum, quibus sors continetur, alias cōcinnant, in quas debitas vsuras, tanquam nouum aliquod nomen, è priori tamen, hoc est, è sorte deriuatum, referant. Itaque scitè primas eas tabulas, è quibus aliæ effinguntur, vocat ἀρχέτυπα. Sed & forsitan allusit ad nomen Græcum ἀρχαῖον, quo sors significatur.*

CONFICIENDAE que tabulæ] *Quia scripserat sibi fugienda esse ἀρχέτυπα Neoeicasionum, cùm indicaret sibi latitandum fuisse, quod ea nomina, quæ apud argentarios fecerat, explicare non posset; ideo mox addit priscarum illarum tabu-*

larum loco conficiendas fuisse nouas: quod iocula-riter dictum est, cùm partim alluderet ad nouas pictorum tabulas, partim ad nouas tabulas obæratorum. nam debitores nouas tabulas facere dicebantur, cùm beneficio legis alicuius de prioribus tabulis, quibus obligati erant, sua nomina, fraudatis creditoribus, expungebant.

IN EPISTOLAM VI.

HABES Hegesiæ genus] *Quia proxima verba minutatim inciderat, scribit se id fecisse exẽplo Hegesiæ, cuius dicendi genus fractum erat, & veluti in particulas incisum, vt idem refert in Oratore. Habes, inquit, hoc exemplo genus dicendi Hegesiæ.*

EX ISTA acuta & graui] *Acutam & grauem θεωρίαν ideo vocat argumentum libri Tyrannionis, quòd is liber, vt opinor, περὶ προσῳδιῶν, id est, de accentibus conscriptus esset, qui sunt aut acuti, aut graues. nam circumflexi ex vtrisque illis conflantur. itaque eam θεωρίαν ea de causa valde tenuem fuisse scribit.*

IN meo quidem] *Aberat à vulgatis particula,* quidem, *quam nos e manuscriptis codicibus in exẽplar nostrum transtulimus.*

IN EPISTOLAM VII.

QVANTVM Publilius] *Vulgata editiones,*

Publius : *manuscripti mei, in iis Decurtatus, &* *Crusellinus,* Publilius, *rectè meo quidem iudicio. Puto autem significari eum Publilium, cuius filia postea Ciceroni nupsit. ea enim fratrem habuit, vt perspicitur ex epistola* XXX. *itaque epistola etiam* XXII, *&* XXVI *huius libri reposui,* Publilius, *vbi vulgo legebatur,* Publius.

IN EIPSTOLAM XI.

Ὦ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς] *Græca hæc verba hactenus deprauatè edita sunt. nos ea sic è Decurtato restituimus,* ὢ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς. *cuius lectionis extant in Tornæsiano huiusmodi vestigia,* Ω ΑΠΕΡΑΝΤΟΛΟΓΙΑ ΗΔΟΥΣ. τὸ ὢ *iunxit cum gignendi casu. sic libro sexto scripsit* ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων, *& libro* X. ὢ πολλῆς ἀγεννείας.

IN EPISTOLAM X.

Cvm Tisameno] *Scripsi,* cum Tisameno, *vt exaratum inueni in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino. fuit autem Tisamenus, quantū coniicio, libertus Attici.*

IN EPISTOLAM XI.

Balbi regia condicio] *Sæpenumero apud Ciceronem* regium *in malam partem accipitur. significat enim non ferēdum, quasi tyrannicum; ducta translatione ab odio Romanorum in Reges suos.*

vt prima in Catilinam, si in hũc animaduertissem, crudeliter & regiè factum dicerent: *& in Verrem*, vt hoc tempore ea quæ regiè, seu potiùs tyrannicè statuit in aratores Apronius prætermittam. *Condicio ergo regia delegandi Balbi, est dura & iniqua condicio delegandi Balbum. nam dicebat Dolabella se paratum esse dotem Tulliæ* Ciceroni *restituere, modò is vellet eam exigere à Balbo, quem ipse debitorem delegabat. At cùm Balbus familiarissimus esset Cæsaris, Romæque plurimum auctoritatè posset, difficillimè ab eo pecuniæ exigi poterant.*

ΕΚΤΡΟΠΟΘΙΜΟΣ *est*] *In Tornæsiano & Crusellino erat* ΕΚΤΟΠΙΜΟΣ: *in Decurtato*, ΕΚΤΡΟΠΙΜΟΣ: *emendaui* ΕΚΤΡΟΠΟΙΜΟΣ: *quod nomen* Cicero *iunxit ἐκ τοῦ ἐκτρέπεσθαι καὶ τοῦ οἴμου, quòd insula Arpinas nimis à via deflecteret & declinaret. ἐκτρέπεσθαι est diuertere de via; vnde ἐκτροπαὶ apud Aristophanẽ, diuerticula. οἶμοι autem Græci appellant viam. Quia vero monumenta secundum vias publicas extrui solebant, à quibus aliquantulum remota erat insula Arpinas, idcirco nolebat Cicero in ea fanum ædificare. nam locorum, quæ hominum frequentia parum trita sunt minor est τιμὴ, quàm publicorum.*

IN EPISTOLAM XIII.

ILLE idem vrget] *Abest ab excusis vox*, idem, *quam ex meis reposui.*

LATIBVLVM & perfugium] *Victorius*

sine copula edidit, latibulum perfugium. *Ego ex meis manuscriptis copulam*, &, *interieci.*

IN EPISTOLAM XIIII.

OMNIA que nitor] *Vt in codicibus Malaspinæ, sic in nostris manuscriptis erat*, omniáque nitor.

PILIAM angi veta] *Ex fide veteris nostri Decurtati sic edidi*, Piliam angi veta; satis solitus es mœrere pro omnibus. *nihil opus erat Piliam Atticæ morbo torqueri, cùm Atticus vnus vice omnium doleret.*

IN EPISTOLAM XVI.

NEC domi tuæ probabatur] *Scripsi*, probabatur, *cuius modi est quod mox sequitur*, poteram.

IN EPISTOLAM XVIII.

CVI CVI MODI est] *Victorius*, cuiusmodi, *diminutè pro*, cuius cuius modi. *Nos ex nostris reposuimus*, cui çui modi: *de quo loquendi genere videndus est Priscianus.*

DE SORTE mea] *Quasi de publico iudicio ageretur, sortē suam vocauit munus suum iudicandi in causa priuata Egnatij, & Q. Ciceronis. nam in publicis iudiciis sortitio fieri solebat iudicum: nisi fortè respexit ad iudicia Atheniensium, ad quæ*

exercēda iudices & arbitri sortitò legebantur. itaque cùm ad eum scriberet, qui peritissimus erat rerum Atticarum, more Atheniensium sortem vocauit iudicatum, vt idem explicat epistola proximè sequenti.

ET Egnatio scilicet] *Hoc postremum,* & Egnatio scililicet, εἰρωνικῶς *scripsit, quia Egnatius pecunia quadam fraudare conabatur Q. Ciceronem, cui multos nummos debebat, vt intelligitur ex plerisque locis harum epistolarum. Itaque eius controuersiæ arbitri erant M. Cicero, & ruius Sulpicius.*

DE Nepote] *De Lentulo filio Dolabellæ & Tulliæ, de quo sic epistola* XXVI *huius libri,* & velim aliquando, cùm erit tuum commodum, Lentulum puerum visas, eíque de mancipiis quæ tibi videbitur, attribuas. *Ceterùm ei puero Cicero summum honorem habuerat, quòd eum heredem aliqua ex parte instituerat in primis tabulis, aut certè in ima cera. nam honori ducebatur aliquid accipere ex alterius testamento. Idem Cicero pro Quinctio,* heredem testamento reliquit hunc P. Quinctium, vt ad quem summus mœror morte sua veniebat, ad eundem summus honos quoque perueniret.

ADVOCAVI ad obsignandum] *Mirum videtur potuisse Terentiam obsignare testamentum Ciceronis, cùm mulieres in testamentis testes aduocari nequeant, vt ait Vlpianus, & post eum Iustinianus. sed aduocationem huiusmodi honoris*

caussa tantũ factã fuisse existimo, non quod ratio vlla haberetur muliebrium sigillorum ad stabiliendas, & confirmandas tabulas testamenti. itaque opinor mulieres quasdã, puta vxores testatorum, aut filias, aliásue propinquas ad obsignanda testamenta honoris ergo, vltra numerum testium legibus præstitutum, admitti consueuisse.

MAXIME quod de iudicatu] *Maximè & potissimum probo quod scribis de iudicatu meo, vt controuersiam dirimam Quincti fratris, & Egnatij. Epistola superiori iudicatum appellauit sortẽ, vt declarauimus.*

DE sponsu, si quid perspexeris] *Emendaui,* De sponsu, si quid perspexeris, *auctoribus libris antiquis, cùm antea vitiosè legeretur,* responsum si quid perspexeris. *Sponsum vocat sponsionẽ, vt etiam Varro libro v. de lingua Latina,* Non spondet, *inquit*, ille statim qui dixit spondeo, si iocandi caussa dixit, neque agi potest cum eo ex sponsu. *Spoponderat autem Cicero pro Cornificio, vt intelligitur ex epistola* XVII. *huius libri. ideo nunc scribit se velle scire quid procuratores eius dicant.*

IN EPISOLAM XXI.

AERARIO adnouitius] *Hæc ita referebat Decurtatus*, etiam si à rario ad noui tuis esset: *reposui*, etiam si Aerario adnouitius esset. *Notum est publicas tabulas in Aerario adseruari consueuisse, ibique*

ibique reposita etiam fuisse Senatus consulta: unde lex illa Ciceronis, qui agent, auspicia seruanto, auguri publico parento, promulgata, proposita in ærario, cognita habento. *Publicis autem tabulis describendis præficiebantur serui publici. Liuius libro* XLIII. Censores extemplo in atrium Libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausóque tabulario, & dimissis seruis publicis negarunt se prius quidquam negocij gesturos, quàm iudicium populi de se factum esset. *Tandem verò id munus tabulas describendi à seruis ad liberos homines Arcadius & Honorius transtulerunt. qua de re extat eorum sanctio in hac verba*, Sancimus vt siue solidis prouinciis, siue singulis necessitatibus, necessarij fuerint tabularij, liberi homines ordinẽtur, neque vlli deinceps ad hoc officiũ pateat aditus qui sit obnoxius seruituti. *Cùm ergo Brutus operi suo, quod de laudibus Catonis scribebat, Senatuscõsultum illud vellet intexere, quod Cicerone Consule factum fuerat aduersus Catilinam & ceteros coniuratos, nec id describendum ex Aerario curasset, sed ex ingenio, quantum meminisse poterat, id perscripsisset, ideoque vereretur ne in eo diuersi quippiam ab illo germano inseruisset, rogarat Atticum, penes quem exemplum illius veri extare putabat, vt id suum corrigeret. quod quidem valde imprudenter facere videbatur, cùm ipse posset id emendare ex illo, quod in Aerario asseruabatur. quæ potestas etiam erat illorum seruorũ, qui destinati erant Senatusconsultis, & aliis publicis tabulis descri-*

bendis .itaque etiam si non plus versatus, & exercitatus esset in veteribus tabulis legendis, & describendis, quam vnus de illis seruis publicis, quantumuis nouitius in iis rebus, quæ ad Aerarij tabulas pertinerent, id tamen nullo negocio ex Aerario correxisset. Plus est adnouitium esse, quàm nouitium, nam præpositio ad significationem hic auget. sic apprimus, & appotus apud Plautum, & supra admodestior maiorem habent vim, quàm primus, potus, & modestior.

A Faberio aliquid recedit] *Sequutus fidem Decurtati & Tornæsiani reposui,* à Faberio aliquid recedit, *cùm in vulgatis deesset vox*, aliquid. *Recedere ab aliquo pecunia dicitur, cùm à debitore ad creditorem retrocedit & reuertitur.*

ACCIPIENDA aliqua sit] *Dare & accipere æstimationem, est quod nostri iurisconsulti dicunt, dare acciperéue in solutum. C. Cæsar cùm à creditoribus valde premi videret reos debendi, in eorum gratiam lege sanxerat, vt creditores res & possessiones æstimatas, quanti quæque esset ante bellum ciuile, in solutum acciperent. quæ æstimationes per abitros fiebant. Idem Cæsar libro* III. *de bello ciuili.* His rebus constitutis, cùm fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ soluerentur, constituit, vt arbitri darentur; per eos fierent æstimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuisset; atque eæ creditoribus traderentur. *& aliquanto post eodem libro de M. Cœlio Rufo loquens*, si quis appel-

lässet de æstimatione & de solutionibus, quæ per arbitrium fierent, vt Cæsar præsens constituerat, fore auxilio pollicebatur. *Alioqui, nisi lex Iulia interuenisset, cogi non poterant creditores ad æstimationem accipiendam. nam, vt aiunt Iurisconsulti, aliud pro alio, inuito creditore, solui nõ potest.*

IN EPISTOLAM XXII.

TE ROGO] *Addidi voculam,* te, *ex Scidis, Tornæsiano, & Crusellino: iisdémque auctoribus vltima verba huius epistolæ sic edidi,* sed quid velim, & cur velim, existima.

IN EPISTOLAM XXIII.

SOLITVDINES sequor] *Lego, vt est in nostris antiquis,* solitudines, *numero multitudinis. Idē in epistola ad Cœlium,* quod est igitur meum triste consilium? vt discederem fortasse in aliquas solitudines. *& epistola* XVI. *libri sequentis,* nos cùm flumina & solitudines sequeremur.

ACCESSIONE nunc maxima] *Vulgati libri,* accessione non maxima, *mendosè. ideo putat Corradus expungendam esse negationem. Ego pro,* non, *reposui,* nunc, *vt legebatur in Crusellino.*

QVAE te] *Auctoribus libris manuscriptis excudi iussi,* quæ te: *& mox,* inuenire.

DE Gamala] *Emendatiúsne legatur,* Gamala, *vt referunt Tornæsianus & Decurtatus, an, vt*

ita edidi.

IN EPISTOLAM XXVII.

COTTAE quod negas] *Victorius edidit,* Cottæ quidem negas te nosse. sed vltra Silianam villam est &c. *Nos ita, non ex coniectura, sed ex fide Decurtati, Tornæsiani, & Crusellini,* Cottæ quod negas te nosse; vltra Silianam villam est (quam puto tibi notã esse) villula sordida. *Quoniam Atticus scripserat se ignorare quo loco sita esset villa Cottæ, quam Cicero emere cogitabat, vt ibi fanum Tulliæ ædificaret, quæsierátque qualis ea esset, idcirco nunc ei Cicero respondet, eam sitam esse vltra Silianam villam, esséque pusillam, & sordidam.*

AD suillam rem] *Liber Tornæsianus,* ad vllam rem: *Scidæ,* ac si vllam rem: *lego,* ad suillã rem, *id est, ad rem suariam, & porcorum nutricationem. nam antea dixerat villam esse sordidam. Sic igitur hunc locum interpungo,* nihil agri; ad suillam rem loci satis, nihil ad eam quam quæro.

IN EPISTOLAM XXVIII.

EX litteris eius] *Vt supra epistola* XXVI. *huius libri auctoribus libris antiquis edidi,* tuis, *pro,* eius; *sic contrà hoc loco ex eorumdem fide pro,* tuis, *reposui,* eius, *& pro,* scripseras, scripserat.

AD consuetudinem] *Ad solitum munus ca-*

pessendæ Reipublicæ, in qua iam pridem ita versabar, vt assiduè miseram eius cōditionē lugerē. Suadebat Atticus Ciceroni, *vt, si constituisset quod supererat aui in luctu transigere, rediret ad solita munia Reipublicæ. eam enim amplissimũ ipsi fore luctus argumentum, quo honestè prætexere, tegereque posset mœrorem domesticum. & sanè multi honestiorē & tollerabiliorē existimaturi erāt in eo perpetuum luctum de Reipublicæ miseriis, quàm illum quem susciperet de rebus priuatis.*

MEVM fuit] *Nam grauiorem, quàm ceteri, animo dolorem accipiebam de miserrimo Reipublicæ statu, quòd quam ipse ob interitu seruassem, eam aliorum flagitiis, sceleréque præcipitem ferri ad exitium viderem.*

REMPVBLICAM lugere] *Emendaui,* lugere*; vt erat in omnibus meis antiquis.*

SED mitius] *Tornæsianus,* intus: *Decurtatus;* mitiùs, *optimè. Ait se non ita acerbè luxisse Reipublicæ calamitatem, vt obitum Tulliæ. nam mœrorē de Republica iucundissima Tulliæ cōsuetudine lenire solebat. quod genus solatij ipsi tūc deerat.*

VT nunc soluitur] *Lege Iulia, rebus æstimatis datis in solutum.*

LENTVLVM puerum] *Cornelio Dolabellæ duo fuerunt cognomina; alterum Lentuli, alterũ Dolabellæ. ideo scribit Plutarchus Tulliā apud Lentulum virum ex partu decessisse. Erat ergo hic Lentulus filius Dolabellæ & Tulliæ, qui matri superstes fuerat, quem supra Cicero nepotem appellat.*

IN EPISTOLAM XXIX.

SIT. cum iis communices] *Abest verbum, sit, à vulgatis. sed in omnibus manuscriptis legitur, aut certè eius loco, si, vel, sic. Esto, inquit, quod putas, vt ab Oppio, & Balbo valde diligar.*

SINT NE igitur auctores] *Debebat Faberius pecuniam Ciceroni, vt ex multis locis huius libri perspicitur. Ei vt satisfaceret, aut æstimationem lege Iulia dare volebat, hoc est, prædium aliquod in solutum (quo fit vt de prædio Faberiano quædã hoc libro scripta reperias) aut delegare debitores. Hinc epistola* XIIII. reliquæ, *inquit,* pecuniæ vel vsuram Silio pendemus, dum à Faberio, vel ab aliquo, qui Faberio debeat, repræsentabimus. *Porro fuisse in nominibus Faberij Oppium & Balbum coniici potest ex hoc loco. nam eos Faberius Ciceroni volebat delegare. Quærit ergo Cicero, nũ ij futuri sint auctores, vt hortos emat, hoc est, nũ soluturi sint Faberij nomine preciũ hortorũ: &, si pecuniã repræsentare nequeant, ideoque opus sit aliunde eam sub vsuris, eius rei caussa, sumere, quam iacturam vsurarum illarum nomine facere velint. nam desperatum erat, vt omnẽ ipsi iacturam susciperent. id enim se facturos negabant. denique an propensi essent ad suum consilium de emptione hortorum adiuuandum. Ceterùm expressi scripturam veteris Decurcati, quòd ea nequaquam illa mendorum illuuie inquinata esset, qua ceteri hic contami-*

nati sunt. Ea verò est huiusmodi, Síntne igitur auctores futuri, si qua etiam iactura facienda sit in repræsentando, quoad possunt adduci; (totum enim illud desperatum) denique intelliges ecquid inclinent ad hoc meum consilium adiuuādū.

IN EPISTOLAM XXXI.

VTRIVIS istorum] *Correxi,* vtriuis, *approbantibus Scidis, & Tornæsiano, cùm in editionibus legeretur,* vtrius. *Sic etiam emendauit Lambinus.* vtriuis *autem, siue horti Drusiani, siue Coponiani.*

SI modò adduceretur] *Nescio quid in mentẽ venerit Lambino, vt,* non, *pro,* modò, *reponendum putarit. Est enim plana sententia. Si tantũmodo, inquit, Silius adduci posset, vt hortos venderet, de ijs vel repræsentatione explicare non dubitarem, modò prædium Faberianum, quod à Faberio lege Iulia in solutũ accepturus sum, venderẽ.*

AT tu concede] *Vulgata exemplaria,* aut cócede: *membranæ nostræ veteres,* at tu: *quam lectionem sequutus sum.*

IN EPISTOLAM XXXII.

PVBLILIA] *Variè hoc nomen scribitur. nam Popiliam vocant Quinctilianus; & Plutarchus; Publiliam Cicero, cui potiùs, præsertim in nomine vxoris referendo, credendũ, quàm aliis auctoribus.*

itaque puto apud Quinctilianum legendum Poplilia, & apud Plutarchum ποπλιλία. nam vt Publicola dicebatur pro Poplicola, sic Publilia pro Puplilia, siue Poplilia. Diuersæ vero gentes fuerunt Publilia, & Popilia, nam huius fuerunt Lænates, illius Philones & Vulsci.

CVM Publilio loqui retur] *Pro*, loqueretur, *quod est est in excusis, edidi ex Decurtato*, loqui retur. *Publilia, inquit, ita familiariter me per litteras alloquitur, vt se loqui putet cum fratre Publilio, itaque scribit matrem suam cum fratre ad me esse venturam.*

NON esse ipsius] *Antiquior noster, & Tornæsianus*, non esse ipsius, *vt reposui. Vulgati*, non illius esse.

IN EPISTOLAM XXXVI.

A TE proximè discessi] *Restitui ex Scidis & Tornæsiano has duas voculas*, à te, *quæ exulabant à vulgatis.*

QVOD lege conceditur] *Hoc, ni fallor, de lege Iulia sũptuaria debet intelligi; qua verissimile est C. Cæsarem aliquid sanxisse de sumptu funerum minuendo: vt scilicet qui sumptus modum ea lege præstitutum egrederetur, is tantum populo daret, quanto plus insumptum esset, quàm liceret. Dio libro* XLIII. *scribit Cæsarem generatim omnes sumptus minuisse*, τὰ ἀναλώματα τῶν τι ἐχόντων ἐπὶ πλεῖστον ὑπ' ἀσωτίας ἐξηγμένα οὐκ ἐν νόμῳ μόνον

ἐμεβίασεν, ἀλλὰ τῷ ἔργῳ ἰσχυρῶς ἐν φυλακῇ ἐποιήσατο. *sumptus, inquit, locupletium, qui nepotatu omnem modum excesserant, non modò lege coercuit, atque temperauit, sed etiam re ipsa ne quid contrà fieret summa attentione cauit. eodem referenda puto, quæ Suetonius tradit eum statuisse de lecticis, vestibus conchiliatis, & margaritis.*

IN EPISOLAM XXXVI.

SVADA erui] *Receptam lectionem correxi, adiutus aliquantulum ope veterum librorum; in quibus cùm liquidò scriptum reperissem,* suaderi, *reposui,* suada erui. *Suada est* πειθώ. *Significat autem sibi nulla persuasione eripi ex animo posse, quin fanum faciendum curet.*

QVAM tibi dixit] *Legendum,* dixit, *vt est in Decurtato. nam dixerat Brutus Attico, cur esse nollet in Cumano.*

IN EPSTOLAM XXXVII.

DVAS epistolas accepi] *Vulgati,* recepi: *Veteres nostri,* accepi; *idque melius: & mox,* ab Aegypta liberto: *deinde etiam,* hæ litteræ. *nam in excusis deprauatè legitur,* tuæ litteræ.

PROPINQVITAS præterea] *Est præterea propinquitas loci vbi sis. nam ij horti prope Romam sunt, vbi fere semper solemus esse. Mox pro* vt mihi stomachere, *quæ lectio est editionũ, reposui*

ex priscis nostris, vti stomachere, *omisso pronomine*, mihi, *& paullo post ex iisdem libris edidi*, gratia opus est nobis tua, tuáque auctoritate.

IN EPISTOLAM XXXVIII.

QVAMQVAM mihi quidem] *ἀποσιώπησις. explicate dixisset, quamquam mihi quidem iam pridem satis ab illo cautum est, ita vt nunc obesse mihi nequeat.*

OPORTERE peruideri] *Rectius veteres libri*, peruideri, *quam vulgati*, prouideri.

LOCVS Publicianus] *Fretus auctoritate Decurtati, & Tornæsiani scripsi*, Publicianus. *Locum Publicianum, ni fallor, vocat, qui esset ad viam Publiciam, de qua sic Ouidius libro quincto Fastorum.*

Parte locant cliui, qui tunc erat ardua rupes,
Vtile nunc iter est, Publiciumque vocant.

ΚΥΡΟΣ δ, ε.] *Tornæsianus* ΚΥΡCAC: *Decurtatus* ΚΥΡΟCAC: *lego κῦρος, δ, ε. Docui alio loco librarios Latinos sæpe has litteras* Δ, Α, *Græci sermonis imperitia, inuicem commutasse. quod hic accidit. iidem etiam τὸ* Ε, *in* Σ; *siue, vt veteres id fingebant*, C, *deprauarunt; quod erratum perquam tritum est in codicibus manuscriptis. Hanc autem lectionem nostram confirmat Diogenes Laertius, qui Antisthenem refert duos libros Cyri nomine inscripsisse, quorum vnus quarto tomo operum Antisthenis continebatur, alter quincto. Itaque*

vtrumque tomum Cicero *Gracis litteris, more Græcorum, notauit; apud quos numerus quaternarius* τῷ Δ *designatur, & quinarius* τῷ E. *Scribit ergo Cyrum quarti & quincti tomi ita sibi placuisse, vt cetera Antisthenis.*

IN EIPSTOLAM XXXIX.

SED nimium] *Quidam legunt*, sed nimirum. *sed ego magis probo*, sed nimium: *nec aliter est in manuscriptis nostris.*

IN EPISTOLAM XL.

QVI potest] *Cum apostropho legitur*, pot' est, *tam in Tornæsiano quàm Decurtato. quæ apostrophus extrita vocalis loco apponi solet. Itaque*, pot' est, *hic est*, pote est. *pote autem est* δυνατὸν.

QVI offenderetur] *Nolui mutare vulgatam lectionem*, offenderetur, *quamquam erat in Tornæsiano*, offenderet, *& paullo post*, in horto, *pro*, in hortis.

DE Lentulo scribis] *Verendum ne is hortos mihi eripiat, cùm eos valde appetat; non est in eo positum, vt auctione vincere me possit. noui enim eius facultates.*

IN EPISTOLAM XLI.

FACIES igitur me certiorem] *Plerique libri,*

facias. *Ego ſequutus manuſcriptos meos ſcripſi*, facies: *& mox*, poſtridie Idus, *pro*, poſtridie Iduum; *quod tamen non improbo.*

IN EPISOLAM XLII.

NIHIL aliud] *Ita ſcripſerat Atticus*, nihil aliud. ſcis enim noui me nihil habere. *quæ verba paullum imminutata hîc refert Cicero, aitque ſibi fuiſſe non moleſta.*

IN EPISTOLAM XLIII.

QVOD ſiles] *Hic locus integer extabat in Decurtato, unde vulgatam ſcripturam hoc modo correxi*, Quod ſiles rectè mi illã rem fore leuamento, bene facis. *Quod, inquit, non ſcribis, ſed taces illam fani ædificationem rectè fore leuamento dolori meo, bene facis; quia ſatis exiſtimare non poſſes, nedum oratione conſequi, quantum illa res hanc meam moleſtiam leuatura eſſet. Ceterùm veteres noſtri fere paſſim in his epiſtolis edunt*, quanto opere, *&*, magno opere, *pro*, quantopere, *&*, magnopere. *itaque iis auctoribus ſcripſi*, quanto opere.

IN EPISTOLAM XLIIII.

QVID enim ſedere] *Ita interpungendum*, quid enim ſedere todos dies in villa? *nam ſequitur*, iſta igitur malim; primùm Othonis, deinde Clodiæ. *Quid enim, inquit, an* οἰκοδεσποτικὸν *videtur*

sedere totos dies in villa? minimè profectò. Villæ Silij & Drusi adeo pusillæ erant, vt bono patrisfamilias deesset, in quo posset occupari. itaque earum domini cogebantur totos dies sedere, quod non est boni, & diligentis patrisfamilias.

NEC arctim] *Vulgati libri*, nec Cartini. *sed Cartinum vbi sit, non faciliùs opinor, quis inueniat, quàm Aristophanis* νεφελοκοκκυγίας. *Lego igitur ex Decurtato*, nec arctim. *scribit enim Cicero Philotimum dicere Sextum Pompeium arcta obsidione, vt ferebatur, nō premi. arctim pro arctè dictum est, vt cautim & disertim, pro cautè & disertè.*

IN EPISTOLAM XLV.

ΣΥΝΝΑΟΝ Quirino] *Sequutus sum Tornæsianum & Decurtatum, in quibus exaratum est* Quirino, & Saluti, *tertio casu.*

IN EPISTOLAM XLVII.

ΞΕΣΤΩΙ enim animo] *Priscam lectionem manuscriptorum nostrorum* EXTO, *ita emendaui,* ξεστῷ: *quo nomine Græci quod politum est significant. Latino vocabulo vsus est noster hic auctor libro* IIII. *Academicarum. Ibi enim Antiochum politissimum, & acutissimum suæ memoriæ philosophum appellat.*

IN EPISTOLAM XLVIII.

EGO ad te totus] *cum tota mea familia.*

QVOD licebit] *In quibusdam antiquis est,* quot licebit*: in aliis,* quod licebit, *quod sincerius puto.* Quod, *hic significat,* quoad. *Terentius,* munus nostrum ornato quod potes*: & alio loco,* istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito. *Ergo,* quod licebit, *est,* quoad licebit, *id est, quam maximo tuorũ comitatu venire ad me poteris. nam quoad sæpe quantitatem notat. Idem* Cicero *hoc libro,* quoad possunt adduci, vt iacturam faciant.

IN EPISTOLAM XLIX.

DVBITET Curtius] *Quasi incertum esset, posset nécne Consulatum petere. At Republica bene constituta non dubitasset, sed pro certo & explorato habuisset, sibi ad petitionem Consulatus nullum aditum patêre. miserrima igitur erant tẽpora, quibus homines flagitiosissimi spem quandam haberent summorum honorum adipiscendorum. nam qui dubitant, partim sunt in spe, partim in metu.*

CVRTIVS] *Hunc Curtium* Cicero *indignissimè ferebat ad Reipublicæ administrationem vocari. ideo libro* IX. *scribit se non posse eum adspicere.*

IN EPISTOLAM LI.

Hoc idem] *Non improbo vulgatam lectionẽ,* hodie. *eam tamen sequutus sum, quam referebat Decurtatus, quo auctore edidi,* hoc idem.

Ita nobis esse visum] *Particulam,* ita, *addidi ex fide Decurtati & Tornæsiani.*

ΤΟΥΤΟ δὲ μυῖα ὅσον?] *Antiqui nostri,* ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΜΥΙΛΟCΗ. *quæ ita correximus, & distinximus,* τοῦτο δὲ μυῖα ὅσον? *aliâs lectorem monui Latinos librarios in Græcis vocibus describendis sæpe* τὸ Λ, ἀντὶ τοῦ Α, *finxisse. quo ex fonte manauit error huius loci Videtur autem esse prouerbium, quo summus contemptus alicuius rei significatur. nam muscam pro re minima vulgo vsurpabant. inde illud alterum* ἐκ μυίας τὸν ἐλέφαντα. *Parum verò Cicero curabat, vellent ne illi, de quibus hîc agitur, epistolam, quam ad Cæsarem scripserat, ad eum mitti; an verò se velle simularẽt, cùm tamen id nollent: Ideo scribit eorum simulationem sibi esse pro repudiatione & denegatione; séque ea repudiatione, non magis quàm muscæ obluctatione, à consilio, & proposito dimotum iri.*

IN EPISTOLAM LII.

HS. XXV.] *Scidæ & Cusellinus,* HS. XXV, *quæ summa etiam refertur epistola* XV. *libri* XVI. *quamquam fortasse in diuersa caussa.*

IN

IN LIBRVM XIII.

IN EPISTOLAM I.

VLLI vt neque seuerius] *Tornæsianus & Scidæ*, vllius neque seuerius: *correxi*, vlli vt neque seuerius. *mox iisdem libris auctoribus scripsi*, temperatius.

QVOD si efficis] *Iussi excudi, vt erat in nostris manuscriptis*, quod si efficis.

NAM & quanti] *Sensus est, quanti patrem Peducci feci, id totum in hunc contuli, id est, tanti Peduceum facio caussa patris, quanti vnquam patrem feci. ipsum verò Peduceum per se, & suo merito, non minùs amo quàm patrem. eum ergo alterum tantum amo, quàm vnquam patrem amaui.*

IN EPISTOLAM II.

PAROCHVS publicus] *Parochus erat qui lautia præbebat legatis exterarũ nationum, vt intelligitur ex interpretatione Græca vocis lautiorũ, in Senatusconsulto facto, Q. Lutatio, M. Aemilio Consulibus, in gratiam Asclepiadis Clazomenij, Polystrati Carystij, & Menisci Milesii. quod Senatusconsultum Græcis verbis explicatum cũ fragmẽto quodã Latinorũ, quibus primùm cõceptũ fuerat, Victorius publicauit in postrema editione harum epistolarum. hæc enim verba*, munúsque eis ex formula, locum, lautiáque Quæstorem

vrbanum eis locare, mitteréque, *ita Græce ibi redduntur* ξένια τε αὐτοῖς κατὰ τὸ διάταγμα, τόπον, παροχεῦσί τε τὸν ταμίαν τὸν κατὰ πόλιν [τοῦ] τοῖς μισθῶσαι *itaque vt*, lautia, *ſunt* παροχαὶ, *ita qui lautia præbet eſt parochus.*

IN EPISTOLAM III.

QVI ſi ipſe] *Eandem ſcripturam, quam Tornæſianus, Scida hîc referebant. itaque edendum curaui, vt ex Tornæſiano Lambinus emendauit,* qui ſi ipſe negotium meum gererem, nil gererem, niſi conſilio tuo.

QVAM quod dubites] *Cicero Attico mandarat, vt de ſuis rebus neſcio quid venderet, vnde pecuniam conficere poſſet in emptionem hortorum. & verò cùm ille emptores inueniſſet, qui rei vendita precium ad certam diem ſe ſoluturos pollicerentur, in eámque rem parati eſſent nomina facere, reſcripſerat* Ciceroni*, vt certiorem ſe faceret, quid in ea re fieri vellet. quam rem Cicero cùm ad ſe referri vidiſſet, primùm putabat Atticum de eis nominibus, tanquam parum bonis & certis, dubitare, in maláinque partem accipiebat eam eius conſultationem. ſed poſtea, re attentiùs cõſiderata, cognouit hanc deliberatiõnẽ potius ab illius ſedulitate proficiſci, qui ipſi nihil ignotũ eſſe vellet, quod acturus eſſet, quam quòd ſuſpicaretur emptores illos non eſſe ſoluendo.*

COELIVM non probas] *Decreuerat Cicero*

iam ante mortem Tulliæ, metu belli ciuilis, quicquid domi habebat auri, argentíue facti, vel infecti cum pecunia commutare, vt intelligitur ex epistola vltima libri XI. *quod postea fecit. nam argenti aurive, quod erat in supellectile, magnã partem cũ Cœlio nũmulario numis aureis permutauit. idcirco rogabat Atticum epistola* VI. *libri* XII. *vt videret de Cœlio, ne qua lacuna esset in auro. quia verò valde egebat pecunia ad hortos emendos, negotium dederat Attico, vt si nõ posset ea vendere, quæ proscribi iusserat, quod domi superesset auri argentíue cum Cœlio pecunia permutaret. cui mandato ita rescripserat Atticus, se non probare quod ille scripserat de auro argentóue commutando cum Cœlio, cuius fraudes antea expertus fuerat, suaderéque ne plura ex supellectile distraheret. Id ergo Attici consilium scribit se probare in vtraque re, ne scilicet cum Cœlio sibi negocij quicquam sit, nec de supellectile plura commutet, sed illis nominibus vtatur ad hortos emendos.*

PRAES aliquando factus esses] *Hunc locum ex Scidis ita lego*, præs aliquando factus esses, & in his quidem tabulis. *Duas res hîc optabat Cicero, quæ valde faciebant ad id, quod habebat in animo, consequendum. prima fuit, vt Atticus aliquando præs factus esset. nam quandiu vixit, vt ait Cornelius Nepos, neque præs, neque manceps fuit. & verò, si pro vllo præs vnquam fieri voluisset, non dubium est, quin facile pro Cicerone intercessurus fuerit. alterum Ciceronis votum fuit, vt Atticus*

in tabulis auctionariis hortorum Scapulanorum praes fieri potuisset. nam eo praede hortos illos facilè assequutus esset.

A ME igitur omnia] *Nihil à te praestabitur, qui pro quoquam intercedere non soles, sed à me & de meo omnia fient.*

QVOD dies longior est] *Quantum ad id attinet quòd dies meorum nominum longior est quàm vt pecuniam repraesentare possim, spero praeconem in tam longuam diem, quàm illa nostrorum nominum sit, solutionem destinaturum: aut, si id à praecone impetrare non possum, certè ab heredibus Scapulanis assequar. teneamus modò quod volumus, & hortos illos nobis elabi ne sinamus. haec enim verba,* teneamus modò quod volumus, κατὰ παρένθεσιν *sunt legenda.*

IN EPISTOLAM IIII.

DE decem legatorum] *Ex Scidis, & Tornesiano edidi,* de decē legatorū. *nam extrinsecus assumendum est,* nominibus. *quaesierat enim* Cicero *qui essent decem legati, qui in Achaiam à Mummio subactam missi fuerant, vt eam in prouinciam redigerent. Eos Pausanias vocat* ἐμβούλους, *quòd eorum consilio Mummius res Achaicas ordinarit.* πόλεμον δὲ ὅσοι ῥωμαίων ἐναντία ἐπολέμησαν τείχη μὲν ὁ μόμμιος κατέλυε, καὶ ὅπλα ἀφηρεῖτο, πρὶν ἢ καὶ ἐμβούλους ἀποσταλῆναι παρὰ ῥωμαίων: ὡς δὲ ἀφίκοντο οἱ σὺν αὐτῷ βουλευσόμενοι, ἐνταῦθα δημοκρατίας μὲν κατέπαυε, κα-

θέσατο δὲ ἀπὸ τῶν τιμημάτων τὰς ἀρχάς. *Aliarum, inquit, vrbium, quæ aduersus Romanos bellum susceperant, muros Mummius deiecit, & arma ciuibus ademit; eáque priùs fecit, quàm Roma legati mitterentur, quorum consilio res Achaicas cõstitueret. vbi verò illi venerunt, omnem ciuitatibus administrationem popularem sustulit, magistratúsque ex censu instituit.*

IN EPISTOLAM V.

SP. Mummium] *Non solet* Cicero *rem aliquam diuersis vnius eiusdémque epistolæ locis iterare. idcirco hac à superiori epistola abscidi, vbi de hac ipsa re, hoc est, de Mummio, & de decem legatis semel actum fuerat. In Scidis etiam nota Z. his verbis præfixa manifestò indicabat initium epistolæ.*

SED videlicet] *Antiqui nostri,* sed videlicet, *vt edidi, hoc sensu, sed videlicet verè existimas eum legatum quidem fuisse bello Achaïco, sed non fuisse in decẽ illis legatis, qui Corinthum missi sunt ad res Achaïcas componendas. etenim verisimile est eum C. Mummio fratri legatum extitisse.*

IN EPISTOLAM VI.

COLVMNARIVM] *Quod hic* Cicero *scribit de columnario, hoc est, de tributo in singulas colũnas pendendo, ad legem Iuliam sumptuariam refe-*

rendum arbitror: quasi Cæsar singulis columnis, quæ postea erigerentur, tributum imposuerit, vt hac pœna Romanorum animos ab insanis ædificiorum sumptibus reuocaret. Antea monuimus eadem lege minutos fuisse sumptus sepulchrorum.

COMMVTATAM esse legem] *Quam Cæsar tulerat de pendendo columnario. Idem tamen libro* III. *de bello Ciuili grauiter Scipionem taxat, quòd in Asia columnaria imperarit.*

PISONI quid est] *Cato puer, hereditatis paternæ nomine, pecuniam quandam heredibus Herennij debebat, quorum vnus erat Piso: hic & reliqui coheredes cùm eam pecuniam sæpe frustra petiissent, minabantur se postulaturos a Prætore, vt in bonorum Catonis possessionem mitterentur. quod cùm Atticus Ciceroni tutori significasset, rescripsit* Cicero, *se nihil habere quod honestius petitioni Pisonis, & reliquorum coheredum Herennianorum respondere tunc posset, quàm puerum Catonem solũ esse, hoc est, destitutum esse præsidio tutorum: se enim & reliquos tutores abesse: simileque responsum eidem Pisoni dãdum putabat de pecunia quam petebat à puero Lucullo, cuius itidem tutores aberant, isque potissimum, qui eam pecuniam mutuam sumpserat in Asia. proinde expectandum esse reditum vtriúsque pueri tutorum.*

AD rem pertinet] *Vt solutio non vrgeatur: cùm is tutor non adsit, qui eam pecuniam mutuam sumpserat in Asia.*

SOLITVDINEM Catonis] *Pupillus solus*

esse dicitur, cui tutores, à quibus defendatur, praesto non sunt. ideo Cicero solitudinem Catonis vocat absentiam eius tutorum. Fuit Cicero, vt hinc coniicimus, vnus de tutoribus puerorum Catonis, & Luculli: ac quidem Luculli tutelæ meminit librò tertio de finibus.

QVOD reliquos] *Bene fecisti, quòd colloquutus es cum reliquis cohæredibus Herennianis, & ab iis impetrasti ne priùs solutionem vrgerent, quàm aut ego adessem, aut alij tutores Catonis. Ceterùm edidi, vt erat in Decurtato & Tornæsiano,* planè bene fecisti. *nam verbum,* fecisti, *à vulgatis abest.*

QVI nuper st] *Vulgati codices ita referunt,* qui nuper est mortuus. *sed in nullo manuscripto reperi vocẽ,* mortuus, *eámque supposititia existimo. scripsit autem Cicero,* qui nuper st, *qua silentij nota mali ominis verbum vitauit. nam cùm indicare vellet Spurium illum mortuum fuisse, noluit vti moriendi verbo, quod erat δυσώνυμον, sed silentio id significauit, quod proprium est mortuorum. Romani moriendi verbo malum aliquod omen importari credebant. idcirco dicere non solebat aliquẽ mortuum esse, sed aut vixisse, aut fuisse, quemadmodum refert Plutarchus.*

VERSICVLIS facetis] *Veteres nostri,* versiculis factas. *puto Ciceronem scripsisse,* versiculis fartas. *non tamen ausus sum mutare receptam lectionem.*

M. Lucullum & L. Murænam] *Fortasse ij fuerunt qui ad L. Lucullum missi sunt ad res*

Ponti componendas, de quibus ita Plutarchus in Lucullo οἱ πρέσβεις, *inquit*, παρῆσαν αὐτῷ πρὸς τὴν διάθεσιν τῶν ἐν πόντῳ πραγμάτων ὡς δὲ δὴ βεβαίως ἐχομένων, *id est, aderant legati ad res Ponti componẽdas, tanquam iam pacatas. M. Lucullus frater fuit L. Luculli, & eius legatus in bello Mithridatico. De Muræna, qua necessitudine coniunctus fuerit Lucullo, non valde quæsiui. illud constat Lucullos & Murænas eiusdem gentis fuisse, puta Liciniæ, & hunc L. Murænam in bello Mithridatico sub Lucullo militasse. Indicat autem Cicero tam M. Lucullum, quam L. Murænam necessarios fuisse L. Luculli; ideo contra morem maiorũ missos fuisse in x. legatis ad constituendas res Ponti.*

CETEROS coniunctissimos] *Addidi vocem*, coniunctissimos, *ex nostris manuscriptis.*

IN EPISTOLAM VII.

IVSSI equidem ei nunciari] *Legebatur in excusis*, misi equidem. *Nos ex fide manuscriptorum reposuimus*, iussi equidem.

IN EPISTOLAM VIII.

NOLANO ve vænalis] *Vulgò omissa fuerat particula*, ve, *post nomen*, Nolano, *quam ex veteribus libris restitui.*

PHILOXENO] *In Tornesiano, & Crusellino est*, Piloxeno.

In EPISTOLAM. X.

BRVTVS siquid egerit] *Legendum ex Decurtato, vt Lambinus emendauit ex Tornæsiano,* Brutus si quid egerit: *& paullo post,* sed tamen aliquid illic.

SPONSOR Sunij factus est] *Tornæsianus,* sponsor sum factus est: *Scidæ,* sponsor Suni factus est: *lego,* sponsor Sunij factus est. *Sunium promontorium est, & vicus Atticæ, vbi Marcellus, cùm Athenis exularet, intercesserat pro Magio.*

OY ταυτὸν εἶδος] *Rectè monuit Victorius Ciceronem Græca hæc verba sumpsisse ex Euripidis Ione. sed virum doctissimum fefellit deprauata lectio, etiam apud Euripidē, duarum primarum vocum. nam pro οὐ ταῦτ' ὄνειδος, quæ ille interpretatur, nónne hæc opprobrium & dedecus, legendum est οὐ ταυτὸν εἶδος, id est, non eadem facies, non idem vultus. sunt enim verba Ionis tristitiæ & taciturnitatis suæ caussam explicātis. nam cùm miraretur Chorus eum agnito patre taciturnum & cogitabundum oculos perpetuo in terram defigere, cùm antea vultum hilarem & lætum præ se ferre consueuisset, ob idque quæreret caussam huiusmodi mæstitiæ, respondet ille non idem os eundémque vultum hominibus esse, cùm res longiùs absunt, & cùm propinquæ sunt, id est, cùm homines rei cuiuspiam veritatem ignorant, & cùm eam perspectā & cognitam habent. se enim qui tum compertum haberet quibus*

parentibus ortus esset, vereri ne sibi probro daretur quòd patre natus esset peregrino, ínque ciuitatem Atheniensium adscito, & non indigena, vt reliqui Athenienses, quódque spurius esset, & incerta matre (nec dum enim matrem agnorat) ante Xuthi nuptias editus. itaque se metuere, ne eo nomine Atheniensibus despectui esset. idcirco mirum videri non debere, si animo esset consternato, faciéque parum hilari. priùs verò quàm patrem cognouisset hæc omnia se parum curasse, ideóque ore tunc fuisse sereno atque læto. Euripidis verba sunt,

οὐ ταυτὸν εἶδος φαίνεται τῶν πραγμάτων
πρόσωθεν ὄντων, ἔγγυθεν τ' ὁρωμένων.

Vbi animaduertendum est ταυτὸν *Atticè dictum esse pro* ταυτὸ, *vt norunt omnes qui Græcè sciunt. Ceterùm his verbis indicare voluit Cicero Marcellũ præfractè Magium repulisse opem ipsius implorantem. Nam cùm Marcellus pro Magio Sunij intercessisset, & adhuc eius creditoribus ex sponsu obligatus esset, iterúmque Magius ab eodem Marcello peteret, vt sibi pecunias crederet, aut certè pro se sponderet, Marcellúsque intellexisset eum non esse soluendo, constanter ipsi respondit, se non posse, cognita eius inopia, eodem vultu eum intueri, quo ipsum antea aspexerat, cùm ignoraret quàm tenues eius essent facultates, hoc est, non tam liberatem erga eum esse posse, quàm antea fuerat, cùm pro eo Sunij spoponderat.*

IN EPISTOLAM XII.

IDQVE tu eum] *Lego ex manuscriptis nostris,* idque tu eum. *nam vocula,* tu, *abest ab excusis.*
S. VETTIO coheredi meo] *Vulgati codices edunt,* Othoni, *aliter quam manuscripti. nam in Tornesiano, Decurtato, & Crusellino est,* Suettio. *puto primam literam notam esse, qua Spurius significatur. nam quamuis Plutarchus scribat prænomen id duabus his litteris S P. designatum fuisse, in veteri tamen nummo A Postumij Albini, & in tribus Spurij Afranij hac vna dumtaxat S, notatum deprehendi.*

IN EPISTOLAM XIIII.

SI mihi placeret] *Emendaui,* placeret, *ex Tornesiano & Decurtato, cùm in vulgatis legeretur,* placet.
DE Bruto si quid erit] *Antiquam lectionem Decurtati & Tornesiani, vt pleniorẽ quàm receptam, in nostrum exemplar retuli. ea verò est huiusmodi,* De Bruto si quid erit; de Cæsare, si quid scies; si quid erit prærerea scribes.

IN EPISTOLAM XVI.

FLVMINA & solitudines] *Veteres libros sequor, in quibus est,* solitudines: *quo nomine hîc*

intelliguntur loca sola & ab omni hominum frequētia remotissima. sic etiam emendaui epistola XXIII. *libri superioris, ex eisdem libris.*

PRIMO fuit Catuli] *Editiones proferebant,* modo fuit Catuli: *Nos ex Decurtato & Tornæsiano reposuimus*, primo fuit Catuli. *mox pro*, quod erat hominibus ignota, *iisdem libris auctoribus edidimus*, quod erat hominibus nota. *nam ea de caussa scribit se a Catulo, Lucullo, & Hortēsio sermonem illum Academicum ad alios transtulisse, quòd parum decorum videbatur, viros illos, ceteroqui non imperitos, ea de re disputare, in qua omnes scirent eos nullo modo exercitatos fuisse.*

IN EPISTOLAM XVII.

V. KAL. exspectabam] *Auxilio Scidarum, & Tornæsiani initium huius epistolæ correxi, reposita veteri scriptura, quam y libri in hunc modum referebant*, V. KAL. expectabam Roma aliquid, non quo imperassem. igitur aliquid tuis.

NON quo imperassem] *Non quia imperassem quicquam mihi Roma nunciari. igitur aliquid exspectabam tuis litteris. nam eæ mihi solent semper aliquid adferre noui.*

IN EPISTOLAM XVIII.

NISI forte Brutum] *Hic locus mutilus erat in vulgatis, quem nos ex Decurtato nostro integrū*

reposuimus hoc modo, deinde quem ζηλοτυπεῖν, nisi forte Brutum; quem si non ζηλοτυπεῖ, multò Hortensium minus.

ACADEMICAM omnem quæstionem] *Hæc verba ita explicanda sunt, eos dialogos confeci, & Academicam omnem quæstionem absolui quatuor libris, nescio quam bene, sed ita accurratè, vt nihil supra.*

ΑΖΗΛΟΤΥΠΗΤΟΝ] *Libri excusi*, ἀζηλότυπον, *quod non displicet. verùm quia* ἀζηλοτύπητον *legi in manuscriptis nostris, hanc lectionem illi vulgatæ prætuli. Vsus etiam est hoc vocabulo Plutarchus in eo commentario quo disputat, an seni capessenda sit Respublica:* ἀπό τοῦ χρόνου πρεσβεῖον ὃ καλεῖται κυρίως πρεσβεῖον ἀζηλοτύπητον ἐστι καὶ παραχωρούμενον.

MEAS que partis] *Legendum, vt est in manuscriptis nostris*, meásque partis. *nihil, inquit, aptius fuit ad eas partis, quas tuear, nempe Philonis, quàm vt inducerem Varronem, qui Antiochi sententiam defenderet, vt meliùs cuique persuaderetur, potissimúmque ipsi Varroni, id me consequi noluisse, vt superior mea sententia videretur.*

IN EPISTOLAM XX.

AD Ligarianam] *His verbis*, De vxore Tuberonis, *præfixi hæc duo*, Ad Ligarianam, *quo modo exaratum reperi in Decurtato, Tornæsiano, & Crusellino. mox etiam pro*, abdere, *scripsi assentientibus iisdem libris* addere. *Monuerat At-*

ticus Ciceronem, vt orationi, quam habuerat pro Q. Ligario, quædam adderet de vxore Tuberonis & de priuigna. ei Cicero nunc respõdet, aitque sibi, vt id addat, integrum non esse, cùm oratio illa peruulgata sit, séque nolle Tuberonem offendere.

ATQVI hoc] Reposui, atqui, vt in Scidis legebatur, pro, atque. atqui, inquit, vidésne quam φιλοσόφως hoc a me dictum sit? nempe, in omni vita sua quemque à recta conscientia transuersum vnguem non oportet discedere. *Verba sunt ipsius Ciceronis ex quodam eius libro repetita.*

QVIDQVAM ne me putas] εἰρονικῶς hæc scribit, quasi dicat; falleris si putas id vnum me potissimum curare, vt famæ ne desim.

IVDICIA videar tenere] vt videar tenere iudicia & opiniones hominum de me, hoc est, vt me talem esse credam, qualem homines existimant.

ΜΗ γὰρ αὐτοῖς] Cum interrogatione legendum. numquid iudiciis, quæ de me homines faciunt, credere soleo? quasi dicat, minimè.

IN EPISTOLAM XXI.

QVAM tum mihi] Rectè Decurtatus & Tornæsianus, tum mihi. nam, tum, ad id tempus refertur, quo epistolam ad Hirtium dederat in Tusculano.

NISI forte mutauit] Manuscripti nostri, vt emendauimus, nisi forte mutauit.

CVM autem fugit me] Fidem manuscripti

omnes, cùm autem fugit me &c. *quod probo, vt sit sensus, cùm autem obliuiscor tibi dicere, vt libros meos contineas, tum Carellia, quæ scilicet studio philosophiæ mirificè flagrat, eos describere solet à tuis.*

VT homo à meis] *Plane in Scidis est.* possum falli vt homo, à meis eam non habere. *In Tornæsiano verò aliquantulum mendosè*, à mis eam non habere. *Hoc, inquit, tibi confirmo, quamquam possum falli, cùm homo sim, Carelliam non habere eos libros à meis librariis. Mox pro*, eo nullum, *reposui ex iisdem libris*, ego nullum: *& pro*, itémque, idémque.

PROXIME accedit] *Cùm habitatum venias prope tuas ædes.*

IN EPISTOLAM XXII.

INTEXVI] *In Tornæsiano est*, intexo.

O REM acerbam] *Expressi particulam O, vt in manuscriptis legebatur.*

SATISFACIENDVM] *Antiqui nostri*, satfaciendum.

LVCVM hominibus] *Editiones*, locum: *Decurtatus*, lucum, *idque meliùs. Ait enim se non probāre vt consecratio Tulliæ fiat in luco, quēadmodum suadebat Atticus, quòd in luco sit solitudo; hominum autem consecratio egeat celebritate. nam quod ad Deos attinet, ij ita noti sunt, vt ad eos colendos in desertissima quæque loca frequentissimi*

homines conueniāt. idcirco nihil eis opus est loci celebritate. contra homines celebri loco consecrari debent, vt eorum nomen vulgò innotescat. itaque nequaquam eis conueniunt luci, quod desertiores sint quàm oporteat. Hoc de luco sic idem auctor epistola XXIX. *huius libri*, ad id autem, quod volumus, *ἀφίδρυμα, inquit*, nihil aptius videtur, quàm lucus, quem ego noram: sed celebritatem nullam tum habebat: nunc, audio, maximam.

IN EPISTOLAM XXIII.

SVNT enim defecti] *Reposui*, defecti, *edita scriptura Decurtati. Male enim vulgo legitur* defecti. *Præpositio* de *in compositione plerumque perfectionem, & absolutionem alicuius facti notat. inde Vlpianus libro trigesimo ad Edictum scribit τὸ* de *in deposito habere vim augendi. defingere ergo est perfectam & absolutam formā alicui rei inducere. inde defecti libri hîc vocantur omnino ficti, & absoluti. Eadem est vis huius præpositionis in verbis detexere, deperire, deuenerari, deproperare, depræliari, depopulari, despernere, demitigare, & in aliis huiusmodi multis.*

QVARE confice] *Malui testimonio stare veterum librorum ita referentium*, Quare confice, *quàm excusorum edentium*, quam consice.

ΕΥΑΓΩΓΩΣ] *Victorius legit ἀλόγως: Lambinus, ἀλαβῶς: Nos ex Decurtato ἀδώγως: cuius scripturæ extant etiam in Tornæsiano vestigia quædam*

dam satis conspicua in hunc modum ΕΥΑΓΩΣ. *ἀγωγός dicitur, qui ita flexibilis est, vt facilè quo velis sequatur. inde Aristoteles libro* VII. *de Republica ἀνθρώπους πρὸς ἀρετὴν ἀγώγους vocat homines ad virtutem flexibiles. hinc aduerbium ἀγώγως, quod significat facili quodam ductu. Agitur autem hîc de exactione mercedis domus cuiusdam Ciceronianæ, quam inquilinus nescio quis Cæsarianæ factionis soluere recusabat, quod sibi ius esse diceret eam solidam, aut certè eius partem retinendi, nam Cæsar inquilinis mercedes ædium vnius anni, quæ quingentas drachmas non excederent, remiserat, vt ait Dio libro* XLII. *ideo dicebat Trebatius omnes inquilinos, nedum Cæsarianos tantùm, ea mercedum retentione tunc vti consueuisse. Itaque* Cicero *præfractè nolebat agi cùm illo inquilino, à quo mercedem ædium conductarum exigebat, sed facili quodam modo, vt si ille honestam quãdam cõditionem etiam modicam ferret, eam Atticus ne respueret. Non longè remotum est à notione Græci huius aduerbij quod in fine huius epistolæ idem Cicerò dixit*, bono modo.

CVM illo Scæua] *Id est, cum illo Trebatio, qui tibi, mihíque fuit olim familiarissimus, & cum quo vterq; nostrũ liberè loqui solebat. Id ait, quia alienatus aliquãtulũ Trebatius à se videbatur ob contraria partium studia. Trebatius enim Cæsarẽ, Cicero Põpeium, sequutus fuerat. Antea monuimus Trebatio duo fuisse cognomina, vnum Scæuola, siue Scæua, alterum Testa.*

IN EPISTOLAM XXIIII.

QVATVOR διφθερίας] *Legendum διφθερίας, vt in postrema editione reposuit Victorius. διφθερίας autem appellat libros, quòd membranis, & pellibus contegerentur. nam διφθέραν Lucianus vocat eorum integumentum, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. ἀπεντες γὰρ, inquit, ἀκριβῶς ὅμοιοι εἰσὶ τοῖς καλλίστοις τούτοις βιβλίοις, ὧν χρυσοὶ μὲν οἱ ὀμφαλοι, πορφυρᾶ δ᾽ ἔκτοσθεν ἡ διφθέρα. simili de caussa senes quidam pellibus amicti, qui ruri opus faciebant, dicebantur in tragœdiis & comœdiis διφθερίαι, vt refert Varro libro II. de re rustica.*

IN EPISTOLAM XXV.

BRVTO ita volui scribere] *Hæc verba eo ordine, quo edidi, conscripta erant in veteribus libris*, Bruto ita volui scribere.

SED quoniam tute legisse] *παρενθέσει comprehendenda sunt hæc verba*, sed quoniam tute legisse scribis fui fortasse ἀσαφέστερος. *Inde tradit se conicere quòd Bruto obscurè scripserit; quia Atticus, qui alioqui ipsius scripta facilè intelligebat, assequi non potuerit, quid illa ad Brutum epistola significare voluerit. Lābinus, cùm sententiā huius loci non perciperet, suo more multa temerè inculcauit.*

NON esse intelliges] *Vulgati*, intelliges non esse: *nostri hac serie*, non esse intelligēs.

TAM enitar ἔργον] *Scripsi ex Decurtato, tam enitar ἔργον: Tornæsianus pro ἔργον habebat* ergo.

SPINTHARO] *Edidi*, Spintharo, *ut nostri referebant: vulgati*, Spinthero.

IN EPISTOLAM XXVI.

QVO autem? Lanuuium?] *Manuscripti nostri*, quo autem? Lunuuium? *& ita excudendum curaui. Innuit enim se Lanuuium venire velle, ut constituerat, atque adeo in Tusculanum, si possit. nam reluctabatur animus.*

IN EPISTOLAM XXVII.

DE epistola ad Cæsarem] *Vulgatæ lectioni hanc manuscriptorum meorum antetuli*, De epistola ad Cæsarem.

OPERAM in Faberio] *Editiones*, operam Faberio ponamus: *Prisci nostri accommodatius ad normam Latini sermonis*, operam in Faberio ponamus.

IN EPISTOLAM XXVIII.

QVI esse debeam] *Hucusque editum fuit*, debebam: *cuius loco reposui*, debeam, *auctoribus libris antiquis.*

ILLE vero potius] *Malo ut ille desideret non scripta, & cupiat a me aliquid scribi, cum nihil*

scripsero, quamvis non probet quae iam scripsi.

VEL *quem libebit.*] *Haec est scriptura Tornasiani, Decuriati, & Crasellini,*

IN EIPSTOLAM XXIX.

INSANITVRVM] *Insanire hic est impenso precio aliquid mercari, & immēsos sumptus in aliquā rem facere. Horatius*, insanit veteres nummos Damasippus emendo. *inde insaniam villarum noster hic auctor alio loco vocat nimios villarum sumptus.*

ESSE tractatum] *Male acceptum à quibusdā, qui eum in re quadam emenda, quam ille valde concupierat, licitatione vicerunt, & illi eam rem eripuerunt.*

ISTE emptor] *Non videatur esse ille insanus emptor, qui ferebatur.*

IN EPISTOLAM XXX.

EAM tibi epistolam misissem] *Cum interrogatione legendum. indignatur enim Q. Ciceronis filiū epistolam ad Atticum misisse, qua non modo ipsum Atticum auunculum, sed se Ciceronem patruum grauiter accusabat. praeterea scribēdum est,* misisse, *auctoribus Scidis, hoc modo,* eam tibi epistolam misisse? *quasi dicat, fierine potest, ut is tam amens fuerit, vt ausus sit talem epistolam ad te mittere? nunquam profecto id credidissem, nisi ipse eam le-*

gissem: opera me inuito vulgatam lectionem ediderunt.

NAM illam alteram] *Illam alteram, quam ad te scripsit de rebus in Hispania gestis non puto modestiùs scriptam, quàm hæc sit, sed esse eadem exemplo.*

MI sicunde potes] *Sic habebant Decurtatus & Tornæsianus*, Mi sicunde potes, erues: *quam scripturam potiorem duxi quàm receptam.*

ΤΑΛΩ aliquē] *Veteres libri*, vllo, *Latinis litteris; scripsi* ὑλλῶ. *Hesychius* ὑλλεῖν *interpretatur* λέγειν, θρυλλεῖν. *sensus est, ego scriptis meis celebro, & peruulgo præclarum quendam conuentum, atque consessum illustrium virorum, Reipublicæ gerendæ peritorum, quos de Republica constituenda disserentes induco, more Dicæarchi familiaris tui. Decreuerat Cicero, ni fallor, Dicæarchi exemplo, nescio quid scribere de rebus post bellum componendis, & rectè constituendis, quod argumentum tractari volebat à Mummio, & decem legatis, qui deleta Corintho res Achaicas ordinarant. falluntur ergò qui putāt Ciceronem hæc de decem legatis Corinthum missis idcirco quæsiisse, quod ea intexere vellet disputationibus Tusculanis, quas tunc in manibus habebat.*

OLYMPIAE, aut vbi visum] *Legendum*, Olympiæ, *gignendi casu. Olympia vrbs fuit inter montes Ossam & Olympum sita, clara hominū mercatu, qui, ut ait alio loco Cicero, ibi habebatur, maximo ludorum apparatu, totius Græciæ*

celebritate. Cicero fingere volebat disputationem illam, quam instituebat de Republica ordinanda, habitam fuisse Olympiæ, quo exemplo fortassè Dicæarchus ὀλυμπιακὸν scripserat: fertur enim librum hoc titulo edidisse.

IN EPISTOLAM XXXI.

KEKTBIKA] *Vulgatam lectionem κεκρικά, cuius auctor fuit Victorius, nunquam probare potui: nam ab ea, quam referunt manuscripti, nimis recedit. sic enim est in Tornesiano* KEKBIKA*: in Decurtato, & Crusellino* KEKIBIKA*: scripsi κεκύβικα, id est, in cubi & tesseræ modum me conformaui, & decreto meo firmiter insisto: κύβος figura est solida, suique semper similis, quamlibet in partem iactetur. inde Cicero, cùm significaret immutabile fore decretum suum de epistola ad Cæsarem nõ mittenda, scribit se κεκυβικέναι. eadem ferè tralatione Simonides, & eum sequutus Aristoteles virũ constantem, & propositi tenacem appellarunt τετράγωνον, id est, quadratum. Verbo κυβίζειν vsus est Plutarchus in commentario de solertia animalium, vbi de thynnis ita scribit, ἐπεὶ πάνυ χαίρουσι τῷ συντρέφεσθαι μετ' ἀλλήλων ἀεὶ τὸ πλῆθος τῷ σχήματι κυβίζουσι, καὶ στερεὸν ἐκ πάντων ποιοῦσι ἓξ ἴσοις ἐπιπέδοις περιεχόμενον.*

SIN, verum liberet] *Deerat in excusis particula (sin) ante vocem verum, quam ex manuscriptis meis restitui. significat autem si secus, hoc est, si*

Cæsar iturus erat in Parthos antequã Rempublicam constitueret, contra quam perhibebant. sic auctor obscœni carminis,

Donec proterua nihil mei manu carpes;
Licebit ipsa sis pudicior Festa,
Sin; hæc mei te ventris arma laxabunt.

SI KANVM haberes] *Hunc Kanum fuisse puto, quem Cornelius Nepos Gellium Canũ nominat, familiarissimum Attici, cuius alias fit mentio in his epistolis. lusit tamen Cicero in ancipiti notione huius nominis. nam, quia gulæ deditus erat Otho, videtur respexisse ad τὸ κανοῦν, ubi panes reponebãtur. Homerus* ἄρτον τ' οὖλον ἐλαῖν περικάλλεος ἐκ κανέοιο. *& Athenæus libro primo,* παρετίθεντο δὲ οἱ μὲν ἄρτοι σὺν τοῖς κανοῖς. *Hinc factum existimo, ut hic* Kanum *potius* K, *quam* C, *littera scribatur.*

IN EPISTOLAM XXXII.

IVSSI vt tibi daretur] *In Tornesiano, & Crusellino pro,* iussi, *legitur,* misi.

P. Popillio] *Decurtatus & Tornesianus referunt, vt edidi,* P. Popillio, *& sanè in Fastis Romanorum huic Popillio prænomen est Publius.*

IN EPISTOLAM XXXIII.

PROFESSIONEM relatam] *Hæc ad Censum referri debent, quẽ post bella ciuilia C. Cæsar egit. In Censu autẽ cuiusque bona solebãt æstimari, eaque*

professio in tabulas publicas referebatur.

SED scribes, & quidem confestim] *Hactenus sic in vulgatis excusum fuit*, sed scribis & quidem cõfectũ. *Verùm lõgè castigatius in Decurtato legitur*, sed scribes, & quidem confestim. *quam lectionem neminem reiecturum existimo.*

ΔΙΑ σημείων] *Cicero notas quasdam excogitavat, ut refert Plutarchus in Catone, valde utiles actuariis ad verba celeriter excipienda; extátque hodie liber D. Cipriani de notis Ciceronianis: & sanè apud me est Psalteriũ Dauidis ijs notis exaratũ. His ergo notis cũ Cicero quadã Attico scripsisset de decem legatis, rescripsissetque Atticus se ea parum intellexisse, nunc explicare refert, quid illis litteris quæsierit. σημεῖα sunt notæ, vt interpretatur vetus glossarion, & σημειογράφος notarius. Eusebius in Chronicis non Ciceronem, sed Tyronem eius libertum, eas notas inuenisse tradit.*

NVLLA est δυσωπία] *Puto hunc Virgiliũ primùm sequutũ fuisse Pompeium, tum ab eo ad Cæsarem desciuisse, postremóque in Africam, vbi erant reliquiæ exercitus Pompeiani se recepisse. Eius autem bona sub hasta venibãt, decreuerátque Cicero partem quandam hortorum, quæ eius fuerat, emere; mirabantur verò quidam Ciceronem in ea re non δυσωπεῖν, quòd bona hominis Pompeiani emeret ab hasta. At Cicero nulla dicebat se verecundia affici, quòd non iam Pompeiani, sed Cæsariani hortos mercaretur. Præterea de Cicerone queri Virgilius non poterat, cùm Cicero nihil faceret quòd sibi non*

liceret. nam res venales nemo vetatur emere.

Cvm sit in Africa] *Cùm in Africam se receperit, vbi sunt multi Pompeiani, videbis ne idem faciat quod Cœlius, qui relicto Cæsare ad Pompeianas partes transiuit, quemadmodum intelligitur ex epistola vltima earũ, quas scripsit ad Ciceronem. nolebat Cicero Virgilium offendere, si fortè is se recepisset ad Pompeianos.*

Si Plancus destinat] *Scripsi ex Decurtato, & Crusellino*, si Plancus destinat, tum habet res difficultatem.

Reperiet] *Omnes nostri*, reperiet *tertia persona, vt excudi iussimus. Cicero quædam petierat ab Attico de decem legatis in Achaiam missis, & de aliis quibusdam viris, qui fuerant ad Corinthum in Mummy comitatu, quæ Atticus dicebat inuenire se non potuisse, mandasse tamen Antiocho liberto suo, vt ea alicunde conquireret. cùm verò Cicero sciret quo ex libro ea depromi possent, rescribit Attico, vt negotiũ det Antiocho ea inuestigandi. illum enim ea reperturum ex eo libro, in quo erant Senatusconsulta facta Cn. Cornelio, L. Mummio Coss.*

Avt Qvaestorem] *Recepta lectio*, aut Quæstorem, aut Tribunum militum, *Scidarum auctoritate confirmatur. frustra ergo illã Victorius mutauit.*

De antiocho] *Hic, vt opinor, libertus fuit Attici, cui negotium Atticus dederat huius rei inuestigandæ. ideo κατὰ παρένθεσιν dictum est,*

videt iam (*sic enim ex Scidis restitui*) *quia illum Cicero tanta diligentia vsum putabat, vt non dubitaret, quin iam certo sciret, quo anno Tuditanus Quæstor, aut Tribunus militum fuisset.*

SI neutrum quadret] *Tornæsianus*, si neutrum cadet, *vitiose: Vulgati*, si neutrũ eodem, *deprauatius. Legendum enim auctore Decurtato*, si neutrũ quadret. *Si, inquit, tempora non conueniant, neque quadret Tuditanum Quæstorẽ aut Tribunum militum fuisse bello Achaico, sed contra constet eum Quæsturam, aut Tribunatum militum, alio bello gessisse, tu scire poteris de Antiocho, num saltem ad Corinthum vnus è præfectis, aut contubernalibus Mummij fuerit; modo fuerit in eo bello. Eodem significatu verbum quadrare idem hic auctor vsurpauit epistola* XXX. *huius libri sic scribens*, sed in Libonis annali XIIII. annis post Prætor est factus Tuditanus, quàm Consul Mummius. non sanè quadrat.

MEMINI enim tuum] *Edidi scripturam Scidarũ, & Decurtati*, memini enim tuũ. κατ' ἔλλειψιν *dixit tuum, cùm morem, aut institutum tacitè intelligeret. Sic Terentius*, Pol Crito antiquum obtines.

CECIDIT que bellè] *Ita veteres nostri referebant*, ceciditque bellè, *& ita edidi.*

COAEDIFICARI] *Codex Tornæsianus*, cũ ædificari. *apparet deprauatam ex* coædificari. *sic in eodem codice alibi mendosè scriptum est*, cùm hæredes, *pro*, cohæredes.

IN EPISTOLAM XXXIIII.

VIII. KAL.] *Vulgati libri*, VIII. KAL. Iul. *prorsus mendose. nondum enim mensi Quinctili inditum fuerat nomen Iuly. itaque*, Iul. *recte abest à Decurtato, quem sequutus sum.*

PER Egnatium maximum] *Vt potissimum pro potissime sæpe legas, sic hic maximum pro maxime.*

ILLVD in primis] *Legendum ex fide manuscriptorum*, illud in primis, vt cum Publilio me pæne absente conficias. *nam è superioribus suum debet verbum*, velim, *ἀπὸ κοινοῦ.*

IN EPISOLAM XXXV.

SED eas nondum legeras] *Tornesianus*, si eas nondum legeras. *malui vulgatam lectionem sequi, quam ceteri quoque manuscripti referebant.*

IN EPISTOLAM XXXVIII.

ΠΟΤΕΡΟΝ *δίκας*] *Extrinsecus assumi debet participium ἀναβὰς, vt ex Platone intelligitur hunc locum referente libro* II. *de Republica, vt sit, πότερον ἀναβὰς τεῖχος ὕψιον δίκας ἢ σκολιαῖς ἀπάταις: subaudiri etiam debet διαβιώσω, aut tale quid verbum. vtrum conscenso alto muro iusticia, an obliqua fraudis vitam traducam. Cicero prima hæc verba ἀναβὰς τεῖχος ὕψιον interpretatur aperte, palam, &*

sine vlla dissimulatione, atque fraude, quòd nihil occulte & fraudulenter agant qui verè iustitiã colunt. illa autem quæ sequuntur, ἢ ἀναβὰς τεῖχος ὕψιον σκολιᾶς ἀπάταις, de occulto & fraudulẽto cõsilio accipiẽda sũt. In Tornæsiano & Crusellino exaratũ erat tertio casu σκολιαῖς ἀπάταις, & fortasse rectius. non enim satis aptè dici videtur τεῖχος ὕψιον σκολιᾶς ἀπάταις, cùm fraudi meliùs conueniant depressa & latebrosa loca, quam alta & conspicua, cuiusmodi sunt muri. Sed tamen σκολιᾶς ἀπάταις scripsisse Pindarum indicant hæc Platonis verba, λέγει γὰρ ἂν ἐκ τῶν εἰκότων πρὸς αὐτὸν, κατὰ Πίνδαρον, ἐκεῖνο, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιᾶς ἀπάταις, ἀναβὰς, καὶ ἐμαυτὸν οὕτω περιφράξας διαβιῶ.

QVID, si Cæsar subito?] *Excudendam curaui scripturam Decurtati & Tornæsiani*, quid, si Cæsar subito? *quid, inquit, faciam, si Cæsar subito veniat, & nos hic opprimat? aut, si subito Asturam veniat, cùm eò peruenerimus?*

IN EPISTOLAM XXXIX.

PLENA pietatis] *Legendum, vt est in nostris manuscriptis*, plena pietatis. *εἰρωνεία est.*

SIBI illum iure iratum] *Fatetur se acerbiùs illum tractasse, quam oportuit: ideo illum sibi iratum esse. Mox pro*, sibi video placere, *repo\[s\]ui ex iisdem nostris*, tibi video placere.

EADEM scilicet] Eadem, *aduerbium est, significátque eadem via, vt ex Charisio aliâs docui.*

Tu, inquit, scribis me, cùm Romam veniam, eadē via Brutum scilicet visurum: sed nisi Romam ire decreuissem Quincti vitandi caussa, occasio illa Brutum visendi me hinc non moueret. Brutus Cæsari tunc valde familiaris erat; idcirco eum videre Cicero nolebat.

NEC inde venit] *Non inde venit, vbi sunt boni viri, qui, quòd inimicum habeant Cæsarem, patria exsulant. sed venit à Cæsare cui familiarissimus est factus.*

NEQVE diu afuit] *Diu non afuit à patria cū bonis viris, sed citò in eam se recepit, vt in Cæsaris gratiām rediret.*

ΦΑΙΔΡΟΥ περιττῶν] *Scripsi ex fide Decurtati*, φαίδρε περιττῶν, &, Ἑλλάδος. *Videntur his verbis duo libri Dicæarchi significari, quorum primo auctor ille multa è Phædro Platonis, vt superflua & redundantia, resecanda esse docuerat: altero virorum illustrium, quos Græcia tulisset, vitam conscripserat, húncque librum vocarat* ἑλλάδος βίον, *vt illum,* φαίδρε περιττά. *Laertius vulgo traditum refert, Platonem omnium dialogorum primum scripsisse Phædrum, idque coniici vel ex ipsius dialogi argumento, quod puerile quodammodo est: sed & Dicæarchum totam eius scripti rationem, vt nimis insolentem & fastidiosam damnasse.* λόγος δὲ πρῶτον γράψαι αὐτὸν τὸν φαῖδρον: καὶ γὰρ ἔχει μειρακιῶδές τι τὸ πρόβλημα. δικαίαρχος δὲ καὶ τὸν τρόπον τῆς γραφῆς ὅλον ἐπιμέμφεται, ὡς φορτικόν. *Quin etiam Plutarchus in Erotico reprehendere videtur descriptiones ei*

dialogo intextas Ilissi, viticísque, & graminei strati, tanquam supervacuas, ἄφελε, *inquiens,* τοῦ λόγου τὸν νῦν ἔχοντ' ἀποποιῶν τε λειμῶνας καὶ σκιάς, καὶ ἅμα κιττῶν τε καὶ λάκκων διαδρομὰς, καὶ ὅσα ἄλλα τοιούτων τόπων ἐπιλαβόμενοι γλίχονται τὸν Πλάτωνος Ἰλισσὸν, καὶ τὸν ἄγνον ἐκεῖνον, καὶ τὴν ἠρέμα προσάντη πόαν πεφυκυῖαν προθυμότερον ἢ κάλλιον ἐπιγράφεσθαι.

IN EPISTOLAM XL.

ITANE] *Hinc initium duximus huius epistolæ, auctore Decurtato*

ILLVM ad bonos viros] *Cæsarem missurum esse* διαγγέλια *ad bonos viros, quòd illos iubeat in patriam redire, vt eorum consilio Rempublicam constituat.*

SED vbi eos?] *Sed vbi bonos viros inueniet, nisi forte ipse se suspendit, vt eos apud inferos visat? nam eius scelere omnes boni perierunt.*

HIC autem vt fultum est?] *Hæc addit, vt doceat accidere non posse, vt Cæsar se ipse suspendat: quàm valida, inquit, firmáque fulcra hîc, id est, in Italia ei subiecta & supposita sunt, quo minus librato corpore ad suspendium adigi possit? Fulchra quibus Cæsar innitebatur erant Brutus & alij, qui relictis partibus Pōpeianorū ad eū trāsierāt, eiúsq; caussam fouebant. Significat ergo Cicero nullum periculum à quoquam esse Cæsari, cùm eos amicos habeat, quos omnes boni exitium illi allaturos, & Rempublicam tyrannide liberaturos sperabant.*

ΦΙΛΟΤΕΧΝΗΜΑ] *φιλοτέχνημα est opus ingeniosè, summóque studio elaboratum, cuiusmodi erant statuæ Ahalæ, & Bruti assertorum libertatis populi Romani, quas Atticus habebat in Parthenone. Vbi, inquit, est opus illud artificiosum, quod ipse vidi in Parthenone tuo, cùm Brutus diceret se moueri & excitari eius aspectu ad liberandam tyrannide Rempublicã, exemplo gentilis sui L. Iunij Bruti, & Seruilij Ahalæ?*

SED quid faciat? *Quasi dicat, nihil. neque enim possit. itaque foro utendum est, cùm nequeat, quod instituerat, efficere. Hîc Brutum excusat.*

ILLVD optimè] *Illud, inquit, quod mox subiiciam optimè scripsisti*, sed ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, benè de nostro. *verba sunt Attici ex eius ad* Ciceronem *epistola repetita.*

AT vellem aliquid] *Hæc Brutus scripserat, quòd falsa putaret quæ vulgo dicebantur de conuitiis Q.* Ciceronis *filij in patruum* Ciceronem.

SAXA Acronoma] *Correxi ex Decurtato,* Acronoma: *quod nomen, & si proprium sit alicuius loci, videtur tamen ex eo fictum, quòd summa pars eorum saxorum à pecore depasta esset.*

QVAM inimicus] *Arguit insignem Quinctii fratris leuitatem, qui modò amicissimus esset filio, modò inimicissimus.*

ΚΕΠΦΟΥΜΑΙ] *Aut legendum κεπφοῦμαι, vt edidi, aut κεκέπφωμαι. nam in Decurtato est κεπφωμαι, quod ex alterutra harum lectionum deprauatũ*

est. κεπφοῦμαι est leuitate quadam animi huc illuc impellor. nam Suidas κεπφοὺς ait vocari τοὺς ἐλαφροὺς φρεσὶν, & interpres Aristophanis τοὺς ἀλογίστους καὶ ἀνοήτους. Hesychio etiam κεπφωθεὶς est ὁ ὀξέως ἐλαυνόμενος.

IN EPISTOLAM XLI.

ΣΚΟΛΙΑΣ ἀπάτας] Me non fore ascensurum τεῖχος σκολιᾶς ἀπάτας. hæc enim extrinsecus assumenda, vt docuimus ad epistolam XXXVIII. huius libri. In Tornæsiano tamen est σκολιαῖς ἀπάταις.

MENTIO Canæ] Vulgati libri, Canai: Decurtatus, Canae, quod rectum arbitror. significat enim filiam Gellij Cani, de qua nuptui danda Q. Ciceroni filio nescio quid actum fuerat.

COMMEATVS] Litteras Attici vocat commeatum, quòd iis solis summum desiderium, & veluti famem, eum videndi leuare posset.

IN EPISOLAM XLII.

QVOI iter instet] Vulgo legitur, quòd iter instet, non malè. sed castigatiùs, vt opinor, in Decurtato, quoi iter instet. Sæpe autem cùm in Tornæsiano, tum in hoc, quoi, pro, cui, exaratum reperias.

EIA TV: μίας κόρδυ] Hic locus cùm in libris hactenus excusis, tùm in priscis manuscriptis, valde deformatus erat. cum nos vnius litteræ adiectione, &

& alterius detractione, suo nitori, ut spero, restituimus: nam cùm in omnibus antiquis ita legissemus, EATVR MIAC ΚΟΡΔΟΤ, *putauimus librarios corruptè scripsisse,* eatur, *pro,* eia tu. *Eia aduerbium est hortandi: Plautus Epidico,* eia verò age dic: *Virgilius lib.* IX. *Æneidos,* Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros, hostis adest, eia. *Plinius Iunior initio cuiusdam epistolæ,* Eia tu, quum proximè res agentur, quoquo modo ad iudicandum veni. *Hic autem verbum reticetur, quo Cicero Atticum compellarat, extrinsecúsque assumendum, dic, siue profer aliquid ad templum effandum: quocirca mox tanquam ex persona Attici ei compellationi respondentis subiicit* μίας κόρδου, *id est, piaculum Scæuolæ Cordi, innuens accommodatissimum ei tempori hoc esse argumentum effandi templi, ut scilicet augures aues consulerent, num expediret tale piaculum contrahi, ad liberandam tyrannide Rempublicam. Scæuola, ut vrbem obsidione Regis Porsenæ liberaret, ipsum Porsenam interficere decreuerat: sed deceptus purpuratum scribam eius loco occidit: qua in cæde quòd dextera peccasset, eam in foculum iniectam exussit. itaque tam audaci facinore rex ille perterritus, acceptis obsidibus, bellum pace mutauit: sic Mutij Cordi piaculo Roma graui periculo liberata est. Cùm ergo Cicero prouideret numquam depulsum iri à ceruicibus populi Romani seruile iugum, quod ei Cæsar recens imposuerat, nisi aliquo piaculo simili illi Mutiano, seriò iocans scribit debere augures tem-*

plũ effari ad explorandum num è Republica esset, huiusmodi piaculum ab aliquo contrahi. Ceterùm Cordo cognomen fuisse illi Mutio, qui purpuratum scribam Porsenæ interemit, docent Dionysius Halicarnassensis, & Plinius de viris illustribus. Cordus autem Latinis est, quem Græci ὀψίγονον vocant. illud non prætermittendum μίας hîc esse μίασμα, teste Hesychio, vt docuimus ad epistolam vltimam libri x.

IN EPISTOLAM XLIIII.

POMPAM videret] *Lego, auctore Decurtato,* Pompam videret, *vt etiam Manutius legit: & mox*, religionis opinione, & fama. *Vtroque loco ceteri mei libri manuscripti mendosi sunt.*

IN EPISTOLAM XLV.

QVAM illæ Diocharinæ] *Illa littera, quas Diochares Cæsaris libertus attulerat. Idem auctor epistola*, VI. *libri* XI. Quære ex Diochare Cæsaris liberto, quem ego non vidi, qui istas Alexandreas litteras attulit.

NEC nostri studiosiorem] *Post vocabulum,* officiosiorem, *subiicitur in Scidis, Tornæsiano, & Crusellino*, nec nostri studiosiorem, *quod in nostra editione non passus sum desiderari.*

IN EPISTOLAM XLVI.

De sua vini curatione] *Emendaui ex Decurtato*, de sua vini curatione. *Curationem vini vocat munus curandi vini delatum Leptæ, in epulum, aut prandium, quod Cæsar daturus erat populo Romano. nam huiusmodi quoddam munus Leptam à Cæsare postulasse liquet ex Ciceronis ad ipsum Leptam epistola. De epulo & prandiis publicè præbitis populo Romano ita Suetonius in Iulio Cæsare*, adiecit epulum, *inquit*, ad visceratione m, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. nam cùm priùs parcè, neque pro liberalitate sua præbitum iudicaret, quincto post die aliud largissimum præbuit.

Meo autem Lanuino] *Scidæ, vt reposui*, meo autẽ Lanuino, quod Lepido tradidi, exeo hoc primum. *Ager Antias & Lanuinus erant finitimi. ideo cùm Cicero Antij domum haberet, decreuerat aliquando prædium Lanuinum Phameæ, quòd proximum esset Antiatibus suis illis ædibus, emere, vt intelligitur ex epistola* IX. *libri* IX. *illam autem domum postea Lepido vendidit, aut certe ei à quo Lepidus illam emit, vt apparet ex his verbis sequentis epistolæ*, Lepidus ad me heri vesperi litteras misit Antio. nam ibi erat. habet enim domum, quam nos vẽdidimus. *Hinc etiam perspicitur eum cum illis ædibus simul & prædium Lanuinum illis attributum eidem Lepido vendidisse, ex quo*

prædio scribit se tum primùm post venditionẽ exiisse. nam, hoc primùm, *significat hoc tempore primùm. sic apud Terentium*, luciſcit hoc iam, *hoc est, hoc tempore iam luciscit.*

Ex eo cognoui] *Id est, ex Balbo. nam hæc eò referri debent*, Balbum conueni. *quæ enim deinde hucusque sequũtur, κατὰ παρένθεσιν sunt interiecta, éstque longum ὑπέρβατον.*

Liberam cretionem] *Sic hunc locum edidi ex fide Decurtati, Tornæsiani, & Crusellini*, ex eo cognoui cretionem Cluuij (ô Vestorium negligentem!) liberam cretionem, testibus præsentibus, sexaginta diebus. *Liberam cretionem vocat, cretionem vacuã, & à nemine occupatam; vt liberum cuiuis fuerit hereditatem illam Cluuij cernere, tanquam à nemine aditam. Vestorius enim neque suo, neque Ciceronis nomine illam creuerat, cùm tamen id ei licuisset totis sexaginta diebus iam elapsis, quibus & scierat, & potuerat. Olim non idem tempus semper præstituebatur hereditatibus cernendis. nam quandoque cretio centum erat dierum, vt patet ex eo institutionis exemplo, quod Vlpianus refert Titulo* XXII. *Regularum in hac verba*, Titius heres esto: cernitóque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterísque: nisi ita creueris, exheres esto: *aliquando pauciorum erat, vt hinc coniicimus. scribit enim Cicero se metuisse, ne Vestorius ab illa hereditate arcendus esset, quòd intra præstitutum tempus* LX. *dierum nõ creuisset. Nam quod quidam existimant in cretionibus dies*

non fuisse pauciores quàm centum, quòd ad deliberandum non minùs quàm centum dies dari iubeat Paullus iurìsconsultus, valde falluntur. dabantur enim à Pratore dies ad deliberandum, cretionis vero tempus præfiniebant testatores, quibus liberũ fuit, quibus legibus vellent, heredes adstringere.

ARCENDVS] *Lego*, arcendus, *ex Decurtato. nesciebat Cicero pluréśne dies essent cretionis Cluuianæ, quàm sexaginta. ideo metuebat ne Vestorius arcendus & excludendus esset ab illa hereditate, quòd illam intra eos dies non creuisset. Vlpianus eodem, quem modò adduximus, loco,* cum cretione verò heres institutus, sicut cernendo fit heres, ita non aliter excluditur, quàm si intra diem cretionis non creuerit.

TESTIBVS præsentibus] *Hoc addidit, vt doceret dies illos* LX. *vtiles fuisse Vestorio. commodissimum enim ipsi fuerat, ad aperiendas tabulas testamenti, testes, qui eas obsignarant, adesse. itaque sexaginta illis diebus & scierat se heredem institutum, & hereditatem cernere potuerat.* Cùm ab initio, *inquit Vlpianus,* aperiendæ sunt tabulæ, Prætoris id officium est, vt cogat signatores conuenire, & sigilla sua recognoscere.

NVNC mittendum] *Sexaginta illi dies non fuerant vtiles Ciceroni, vt Vestorio. neque enim Cicero potuerat illis diebus cernere, cùm abesset. idcirco scribit sibi mittendum ad Vestorium, vt suo iussu cernat.*

MEO iussu] *Quomodo Ciceronis iussu hereditatem illam cernere poterat Vestorius, si per procurutorem, vt aiunt Iurisconsulti nostri, hereditas adiri non potest? sed multum interest inter aditionem, & cretionem. nam aditio animi & consilij est potiùs quàm facti; cretio non item, quæ certa formula, verborúmque conceptione constat, itaque qui mandat alicui, vt hereditatem cernat, ipse eam iam animo adiuit.*

IN EPISTOLAM XLVII.

TETIGIT aures nuncijs] *Deminuti sunt hîc codices vulgati. ideo priscos manuscriptos sequutus sum, qui hunc locũ ita referunt.* sed vt scriberẽ tetigit aures nuncius, extemplo instituta omisi, ea quæ iñ manibus habebam abieci, quod iusseras edolaui. *Quibus in verbis vnicam tantum litterã ex voce,* nuncius, *mutaui. scripsi enim,* nuncijs, *sexto casu. ait enim Agamemnomem nunciis sibi aures tetigisse.*

IN EPISTOLAM XLVIII.

NE non liceat tenere] *Verebatur Lepta, ne caduca esset hereditas Babulliana. apparet aliquid de caducis iam tum latum fuisse.*

IN EPISTOLAM XLIX.

ATTICAE primùm] *Hîc apposita fuerat in Scidis ea nota, qua initia epistolarum designantur. ideo ex his verbis hanc epistolam inchoaui. sed & vox,* primùm, *eius initium indicat.*

EST, quemadmodum] *Scripsi ex Decurtato,* est, *pro,* &. *nam ad maiorem ἔμφασιν hoc verbum repetiuit, quasi diceret, est bellum, quod modò scripsi, libenter aliquem odisse, quemadmodum & bellum est, non omnibus seruire.*

IN EPISTOLAM. L.

MITTERE instituerem] *Codices formis impressi,* mitterem instituerem *: quam lectionem sequitur etiã Victorius. at longè meliùs manuscripti nostri,* mittere instituerem, *vt edidi.*

IN EPISTOLAM LI.

HEMICILLVS] *Edidi, ex præscripto Decurtati,* hemicillus. *sed fortasse* Cicero *Græcè scripsit ἡμίκιλλος. vt vt sit, hemicillus ἡμίονον significat. nam κίλλος, vt aliâs docuimus, est ὄνος. qui autem dignitate & auctoritate alteri cuipiam potentiori cedebat, is aut asinus, aut certè mulus, id est, ἡμίονος, siue ἡμίκιλλος (semiasinum ad verbum dicas); ille autem præstantior ἵππος, id est, equus*

dicebatur. vnde prouerbium ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους, quod in eos quadrat, qui conditionē opimā pessima sorte mutarūt. Ait igitur Cicero nō esse quòd Atticus suspicetur se idcirco ei mittere noluisse exēplū epistolæ, quam ad Cæsarem scripserat, quòd vereretur ne ille perspiceret hemicillum se in ea fuisse, quòd demisso animo, & adulatorie eam scripsisset, se enim cum Cæsare, tanquam cum æquali, ἀκολακεύτως in ea loquutum fuisse. Eadem dicendi forma supra libro quarto scribit se asinum germanum fuisse, quòd potentiores obseruare solitus sit.

NARRO tibi] *Mendosè vulgati*, narrabo tibi: *rectè vero prisci nostri*, narro tibi, *vt edidi,*

IN EPISTOLAM LII.

O hospitem] *Timebat Cicero, ne Cæsar, quē hospitio excepturus erat, sibi grauis & molestus hospes esset. sed periculo facto eum facilem agnouit. idcirco ait, o mihi hospitem tam grauem! quasi dicat, quem mihi valde grauem fore putabam, is mihi minimè molestus fuit. itaque subiungit, ἀμεταμέλητον, quòd eum non pœniteret hospitio illum accepisse. Hæc non eram scripturus, nisi viderem etiam in editione Victoriana pessimè hunc locum interpungi.*

VVLTVM non mutauit] *Addidi vocem*, vultum, *ex fide Tornæsiani, & Crusellini. mutare vultum dicitur, qui recitatione alicuius facti, cuius ipse sibi conscius sit, ita commouetur, vt aut eru-*

bescat, aut expallescat, aut alia quadam ratione animi perturbationem indicet.

Επιςαθμίαν odiosam] *Habes, inquit, odiosam* ἐπιςαθμίαν, *id est, quam ego initio, vt grauem, oderam & refugiebam; quæ tamen mihi, vt dixi, molesta non fuit.*

IN LIBRVM XIIII.

IN EPISTOLAM I.

AFFIRMABAT que] *Codices vulgati*, affirmatque, *præsenti tempore: Scidæ, & Tornæsianus*, affirmabatque, *quod meliùs conuenit cum superioribus verbis*, reperiebat, &, aiebat: *atque ita edidi.*

QVIDQVID volt valde volt] *Perspicuè est in Tornæsiano, & Decurtato*, volt: *quos, quo minùs sequerer, nulla caussa fuit. quamquam non improbo vulgatam lectionem*, vult.

IN EPISTOLAM II.

ΦΑΛΑΚΡΩΜΑ] *Matius caluus erat: qua de caussa Madarus, & Caluena hoc libro dicitur. sed cùm otij inimicus esset, non erat verè* φαλακρὸς; *quia Græcum hoc nomen non modò caluum, sed tranquillum etiam, atque quietum, serenúmque significat. vnde* ὑπερβολὴ *illa apud Demetrium Phalereum in commentario de eloquutione*, φαλακρότερος ἀιδίας,

id est, magis caluus quàm serenitas. quod loquendi genus inde natum puto, quòd perturbatus aër multis festucis, paleis, aliisque leuissimis rebus, quæ flantibus ventis sursum è terra feruntur, tanquam pilis quibusdam horrescat. cùm vero sudum est, & liquida tempestas, ne pilus quidem in aëre cernitur. inde iocans Cicero *in caluitiem Matij φαλάκρωμα vocauit otium & tranquillitatem, quam parum Matius amabat. ideo scribit se nihil quietis apud eum reperiisse: & epistola proximè sequẽti*, tranquillæ, *inquit*, sunt tuæ litteræ; quod vtinam diutius. nam Matius posse negabat: *& hac ipsa epistola paullo post*, habes φαλάκρωμα inimicissimum otij, id est, Bruti. *quæ verba ὀξύμωρον quoddam præ se ferunt, quasi* Cicero *dixerit, quietem inimicissimam otij. sed iocatur, vt diximus, in eo, quòd erat quidem in Matio φαλάκρωμα, cùm caluus esset, non erat verò, quia otium timebat.*

TV puta] *Editiones*, vt putat: *Ego ex Decurtato*, tu puta, *hoc sensu, tu existima quàm nullum sit φαλάκρωμα, & quàm nulla quies, & tranquillitas apud Matium. quòd enim apud eum diuersari, & plusculum temporis manere noluerim, inde facile conicere poteris eum mei dissimilimum fuisse, hoc est, otij inimicissimum, cuius ego amantissimus sum. ea enim de caussa nolui ad eum diuertere, sed vlteriùs progressus sum: quamquam tantum in via procedere nequiui, quantum voluissem. nam ille me diutiùs suo sermone remoratus est.*

SED minus] *Post vocem*, minus, στιχίον: *& pro,*

diu eius, *legendũ*, diutiùs, *vt eſt in omnibus noſtris manuſcriptis, & in prima editione Victoriana.*

IN EPISTOLAM V.

QVONIAM quidẽ ἠσίτησας] *Mirè cõſentiebãt antiqui noſtri in hac lectione referẽda,* quoniam quidẽ ἠσίτησας, *quos lubens ſequutus ſum.* ἀσιτεῖν *eſt cibo abſtinere, qua ratione plaríque veterum medicorũ morbos curabant.*

A BALNEATORE φυρμὸς πολύς] *Excudendum curaui,* à balneatore, *vt erat in omnibus noſtris. Videtur verò Cicero ſignificare Antonium, qui tum omne ſuum ſtudium, & operam ponebat in in conuiuiis agitandis.* Balneatorem, *autem dixit pro,* conuiuatorem. *nam cùm olim moris eſſet, vt priùs conuiua lauarent, quàm ad epulas admitterentur, ſolebant magiſtri conuiuiorum iis balnea præbere, quos ad cœnã, aut ad prandiũ vocabãt. inde Horatius aquã præbere dixit pro conuiuio accipere. De conuiuiis Antonij ſic idem auctor epiſtola* III. *libri huius,* Odorare tamen, *inquit,* Antonij διάθεσιν, quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quàm quicquam mali cogitare.

NON modo ſepti] Non modo, *hîc ſignificat,* non modo non, *vt ſupra epiſtola* II. *libri* IIII. id non modo negligentiæ meæ, ſed ne occupationi quidem tribuas, *& in Oratore,* nam vt in epularum apparentia nõ ſe ſpurcum ſolùm, ſed etiam

elegantem dici volet: *id est, non solùm non spurcum.* *Tibullus quoque,*

Iam modò non possum contentus viuere paruo,
Nec semper longæ deditus esse viæ;
Sed canis æstiuos ortus vitare sub vmbra.
Arboris, ad riuos prætereuntis aquæ.

Eadem loquendi ratione mox hîc auctor subiicit, tantum non, *pro*, non tantum non.

VAGI esse] *Veram & certam hîc esse Manutij coniecturam declarat hæc scriptura Decurtati,* vagisse, *vbi omissa tantùm est vna littera. scribi enim debuit*, vagi esse. *In Tornæsiano aliquantò deprauatius est*, magisse. *Ait Cicero Brutum & Cassium tantam libertatem meruisse, vt non modò includi non debeät eo loco, quo se receperant, sed ne quidem cõtineri orbis terræ custodiis; quasi eis licere debuerit etiam extra orbis terræ fines liberè vagari.*

TANTVM NON] *Rectè Decurtatus*, tantũ non, *& mox*, atqui, *quo modo ipsi edidimus.*

III. idus] *Codex Tornæsianus* III. Idus: *alij à vulgata lectione nihil variant.*

IN EPISTOLAM VI.

VERBA mea ea de re] *Edidi, vt erat in Decurtato*, ea de re.

IN EPISTOLAM VII.

PAVLLVM in Caieta vidi] *Victorius in po-*

strema editione scripsit, in Caietano. *sed veteres libri nostri*, in Caieta: *ac sanè Caietam Cicero vocare solebat villam quam habuit in agro Caietano, vt epistola quarta libri primi*, Caietam, siquando abundare cœpero, ornabo: *& epistola* III. *libri* VIII. nauis & in Caieta est parata nobis, & Brundisij.

IN EPISTOLAM VII.

SI ἀγὼν est] *Scida*, si ago est: *scripsi*, si ἀγὼν est. *ἀγῶνα vocat contentionem partium, & certamen, hoc est, bellum ciuile.*

SINT omnia faciliora] *Reposui*, sint, *pro*, sunt, *ex Scidis & Crusellino. optat vt res non ita perturbatæ sint, ac fore putabantur.*

IN EPISTOLAM VIII.

IN Actis nostris] *Id est, in littoribus nostris. Cicero enim prædia habebat mari finitima, vt Pompeianum, & Cumanum, quo iam illum venisse Atticus existimabat. Hæc autem* Cicero *scribebat in illo itinere. Actam pro littore etiam in Verrinis vsurpauit; & Virgilius littoris actam dixit, pro margine, & extremitate.*

DE MARIO] *Pseudomarium intelligit, qui ab Antonio interfectus est.*

ETSI doleo] εἰρονικῶς, *quasi Pseudomarius nepos fuerit L. Crassi, quod pro certo habendum*

erat, si is γνήσιος C. *Marij filius extitisset.*

ARCESSES] *Alij libri*, arcesse: *nostri manuscripti*, arcesses, *vt temporis eiusdem sit, cuius verbum quod antecedit*, curabis.

IN EPISTOLAM IX.

M. Curtius] *De hoc M. Curtio vide quæ scripsimus ad epistolam* XLIX. *libri* XII.

IN EPISTOLAM X.

POIZOΘEMIN] *Veteres libri sic referunt*, PIZOΘEMIN. *Victorius edidit* ῥιζόθεμιν. *scriscribendum potiùs fuit* ῥιζίθεμιν. *sic apud Theophastrastum* δένδρα ῥιζίφλοια, *& in quodam epigrammate Græco* βάκχος ῥιζίνοος. *sed ego propius ad veterem scripturam reponendum puto* ῥοιζόθεμιν. *nam librarius facilè alteram litteram omisit, qua diphthongus conflabatur. hoc autem nomine Cicero significauit litem & controuersiam tumultuosam, & turbulentam, quæ inter Octauium & Antonium incipiebat agitari de bonis C. Cæsaris. nam* ῥοῖζος *stridorem, & strepitum significat.*

LXXX. detersimus] *Ex illa summa detraximus & diminuimus* LXXX. HS. *quæ impendimus ad ea reficienda, quæ erant ruinosa. sic enim hunc locum interpretor ex epistola* IX. *huius libri, & ea quæ proximè sequitur.*

IN EPISTOLAM XI.

NON ſine inuidia] *Integrior eſt ſcriptura veterum codicum, quàm publicarum editionum. ideo ex illorum fide ſic edidi*, ſed non ſine inuidia, ne ſine periculo quidem.

IN EPISTOLAM XII.

ODII pœnam ac doloris] *Victorius edidit*, odij plenam, *quam lectionem cùm multis de cauſſis non probo, quas longum eſſet hîc referre, tum quòd in Decurtato, Tornæſiano, Cruſellino perſpicuè exaratum eſt*, odij pœnam. *itaque Manutij ſequor interpretationem.*

NEGAN' hæc ferri poſſe?] *Tornæſianus, & Cruſellinus*, negant: *ſcripſi*, negan', *id eſt, negáſne. ſic audin eſt audíſne, cenſen cenceſne, & alia huius generis infinita. Senſus autem eſt, negáſne hæc nunc ferri poſſe? quid dices cùm Octauius Romam venerit? multò profectò acriùs negabis tollerari poſſe, quæ tunc fient. nam quid cenſes tum illos non patraturos flagitij.*

IN EPISOLAM XIII.

PROFICISCOR vt conſtitueram] *Cum interrogatione pronunciandũ. ſunt enim verba anxiè quærẽtis an in Græciam debeat proficiſci, vbi ſe periculum vitare poſſe exiſtimabat; an vero Romæ, aut*

edidi. iocabatur enim Atticus in ancipiti notione vocis Phario, quæ partim à nomine φᾶρος, quo Græci vestem significant, deduci potest, partim à Pharo insula AEgypti, aut à Pharo turri in ea insula ad regendum cursum nauigantium extructa; is ergo nummus Pharius erat nomine; quia Vestorij erat, qui à veste Vestorius, vt ἀπὸ τοῦ φάρους Pharius, dicebatur; re autem Puteolanus, quòd hominis esset Puteolani, & Puteolis asseruaretur; non autem Pharius, cùm neque cuiusquam eorum esset, qui Pharum AEgyptiam incolerent, neque in illa Pharo repositus. Opponitur etiam Pharus Puteolis: nam Pharus excelsa est, vrbs Puteoli depressa loco, tanquam in puteo quodam, sita. vnde & à puteorũ ibi defossorum multitudine nomen traxit; quamquam alij ab aquarum putore eam appellatam existimant, vt refert Strabo libro quincto.

ALIORVM brutorum] *Non M. Brutij, non D. Bruti, sed aliorum qui verè sunt bruti, id est, insulsi & stupidi.*

QVI te obsignatorem] *Ciceroni aliquid testamẽto relictum fuerat à quibusdã, qui Cæsaris partes fouebant; quod intellexerat ab Attico, qui adhibitus fuerat ad obsignanda eorum testamenta. eo ergo beneficio cùm illis obstrictus esset, non poterat illos in historiis non laudare, nisi omnino ingratus videri vellet.*

MASSILIENSIBVS] *Vicinos Attici vocat Massilienses, non quòd Atticus prædia haberet prope Massiliam, sed quòd illis agri essent in Epiro*

finitimi prædiis Attici. eos verò Cæsar militibus assignarat.

IN EPISTOLAM XVI.

RENAVIGARO] *Reposui, auctoribus Scidis,* renauigaro: *quod κατὰ συγκοπὴν dictum est pro,* renauigauero.

QVIS enim audeat laudare] *In omnibus, quos vidi, manuscriptis exaratum est,* quis enim audeat laudare: *quam lectionem mendo carere puto. nam verbum,* laudare, *referri debet ad laudationes Cæsaris, & approbationes eius actorum, quæ antea fieri solebant. sensus ergo est, nemo iam Cæsarem audeat laudare, cùm grauissima supplicia proposita sint eius laudatoribus.*

CVRASTI vt ante scirem] *Addidi particulam,* vt, *ante verbum,* scirem, *approbantibus libris antiquis.*

IN EPISTOLAM XVIII.

O hominem pudentem!] *Receptam lectionem retinui, quòd ea auctoritate Decurtati confirmaretur. itaque pudentem εἰρωνικῶς dictum puto. In Tornæsiano & Crusellino erat,* ô hominem impudentem!

SAVFEII legisse vellem] *Scripsi, vt erat in omnibus nostris antiquis,* Saufeij legisse vellem, *κατ' ἔλλειψιν. nam extrinsecus assumere oportet,*

librum: *sic libro primo harum epistolarum scripsit,* *πελλωνάιων* in manibus tenebam & *κορινθίων*, & *ἀθωνάιων* puto me Romæ habere.

IN EPISTOLAM XIX.

BARNAEVM] *Vulgati libri Barnacum: nostri manuscripti Barnaeum, vt edidi.*

ATISIAI] *Hoc vocabulum deprauatũ erat in omnibus manuscriptis nostris extra quam in Decurtato, ubi Latinis litteris scriptũ erat,* atisia. *itaq; reposui ἀτισία. quæ vox iuncta est ἐκ τοῦ α στερητικοῦ μορίου, καὶ τοῦ τίειν τοῦ ἐκτίνειν καὶ καταβάλλειν, significátque defectum solutionis. nam Dolabella debitam Ciceroni pecuniam non soluebat. ideo hac ipsa epistola idem auctor,* tibi verò, *inquit*, assentior maiorem *πρᾶξιν* eius fore, si mihi quod debuit dissoluerit. *Rectè autem à verbo τίειν hoc nomen deduci, declarat alterum vocabulũ eiusdem notionis indidem deriuatũ, ἄτιτος, quo Hesychius ait significari τὸν ἄπορον, καὶ τὸν μὴ ἔχοντα ἀποτῖσαι.*

ASSENTIRIS enim] *Lego ex Crusellino,* assentiris. *hoc loco defecerunt Scidæ nostræ, magno studiosorum omnium detrimento.*

ME facere magnam *πρᾶξιν*] *Hac cum interrogatione lego. Respondet enim Attico scribenti, factum illud Dolabellæ ea potissimum de caussa magnum videri, quòd ipse id laudãdo magnum faceret. itáne scribis, inquit, me laudatione mea magnam facere πρᾶξιν Dolabellæ?*

IN EPISTOLAM XX.

De Quinctis] *Scripsi,* De Quinctis, *auctore Crusellino. De Quincto Cicerone patre, inquit, & de Quincto eius filio, de Buthroto etiam tuo videbo, cum venero.*

Antonii est dextella] *Edidi ex Tornesiano, & Crusellino,* Antonij est dextella. *nam in vulgatis deest nomen,* Antonij. *significat autem Q. Ciceronem filium tanta auctoritate esse apud Antonium, ut, quos velit, ei amicos faciat. Dextra porrectione utebantur veteres in iungendis foederibus, & amicitiis. Virgilius libro* IIII. *AEneidos,*

Nec te noster amor, nec te data dextera quondã,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Erat enim dextera, ut ait Seruius, signum fidei. inde apud hunc nostrum auctorem coniunctim legas fidem & dexteram porrigere. Dextella verò est deminutiuum dextera.

Scripsi citatim] *Post verbum,* scripsi, *addidi aduerbium citatim, ut disertè in Crusellino exaratum reperi.*

Hoc metuère] *Senarius est ex veteri quodã poëta sumptus, quem Cicero saepe adducit suppresso auctoris nomine.*

Et quidem πιττάκιον] *Tam paucis hanc rem perstrinxit, ut quid significarit vix hodie quisquã assequi possit. igitur in re obscura utendum est*

coniectura tantùm, nihilque pro certo affirmãdum. Puto nomine πεντελοίπε Sextum Pompeium notari. nam πεντέλοιπος est, qui quinis superest, id est, Sextus. Itaque contractam hanc orationem ita explico, & quidem mecum adducturus eram πεντέλοιπον, id est, Sextum Pompeium. sic hominem nempe Hirtium paro traducere ad optimates, in quibus non infimum locum tenet Sextus Pompeius.

IN LIBRVM XV.

IN EPISTOLAM I.

ΟΥ ταυτὸ ἐκ τῦ ἀυτῦ] *Codex Crusellinus* ΥΥΤ ΤΥΑ ΤΟ ΕΚ ΤΟΥ ΤΟΥ: *emendaui*, ΟΥ ΤΑΥΤΟ ΕΚ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ, *eleganti sane sententia. nam cùm dixisset se eam mulierem, de qua hic agit, apud amicos collaudasse; statim subicit se eandem probris & maledictis postea conscidisse, coram tribus eius filiis & filia. id enim significare voluit, cùm ait se non eadem ex eodem ore efflasse. integrum prouerbium non apposuit, sed eius duntaxat partem, omissis suo more quibusdam verbis, quae facilè extrinsecus assumi poterant. explicatè dixisset* οὐ ταυτὸ ἐκ τῦ ἀυτῦ ϛόματος ἐκπνεῦσαι, *id est, non idem ex eodem ore efflaui, sed pro laudibus probra obieci. Videtur autem allusum hoc prouerbio ad fabulam Aesopicam de Satyro, qui mirabatur rusticum ex eodem ore calidum, & frigidum efflare.*

QVID est hoc?] *Hoc additum est tanquã ex persona Attici, qui miraturus erat Ciceronem vituperasse, quæ paullo ante laudasset. est enim improbi viri, quod modò laudaueris, vituperare, vt est in senario Græco, τὸν αὐτὸν αἰνεῖν καὶ ψέγειν ἀνδρὸς κακοῦ.*

QVID est autem] *Illa mulier, de qua hîc agitur, Ciceroni obiecerat cum personatũ ambulare, quòd fuco, tanquam larua quadam, occultaret corporis vitia, quæ ætate contraxerat. & sanè Calenus apud Dionem eidem vitio vertit, quòd caput vnguẽtis perfundere solitus esset. Eam ergo cõtumeliam scribit se vltum fuisse probris & maledictis.*

BAVLOS Cumis] *Tornæsianus, & Crusellinus*, paullo Cumis: *correxi*, Baulos Cumis. *Ait enim se vidisse Piliam Cumis euntem Baulos, quo in funus prosecerat. Bauli oppidum est Campaniæ non longè à Cumis.*

NEC ambitiosè] *Scripsi*, nec ambitiosè, *ex Crusellino, nec ambitiosè autem est non ambitiosè, nulla cum adulatione, sed liberè. sic nec opinato, & nec manifestum veteres dicebant, pro, non opinato, &, non manifestum.*

IN EPISTOLAM II.

QVID de Bruthotis] *Non putabat Atticus negotium de Bruthotiis confici posse per Senatum; contrà Cicero id totum a Senatu pendere existimabat.*

NON videmus esse victuri] *Omnes antiqui*

nostri, vt *Victorianus manuscriptus*, non videmur esse victori. *Credo Ciceronem scripsisse*, non videmur cesse victori. *nam cesse pro cessisse veteres dicebant: Lucretius*,

Nam quacumque priùs de parti corpora cesse
Constitues, hæc rebus erit pars ianua lethi.

Eadem forma hìc auctor scripsit decresset epistola prima libri VII. *pro decrevisset*; plus, *inquiens*, decreuit, quàm si omnes decresset triũphos. *Ait ergo se & reliquos bonos viros (quamtũ ipse putabat) nondũ cessisse victori Cæsari, sed ei fortiter restitisse, adeo vt ille tandẽ occubuerit. itaque se sperare vt postea nihilo plus cedant. & quãuis ea spes ipsos falleret, certò tamẽ euenturũ, vt ager Buthrotius liberaretur. decreta enim Cæsaris confirmatum iri, ex quibus vnũ fuerat, vt Buthrotij liberi essent. Operæ longè secus, quàm præscripseramus, hæc verba ediderunt.*

De qua καύσῳ laborat] *Cùm in Crusellino scriptum reperissem*, de qua causo laborat, *statim coniecci Ciceronem scripsisse*, καύσῳ laborat. *videtur enim allusisse ad nomen Flamma, cui aptè conuenit καῦσος, qui ardor est febris; quasi Flamma de caussa Tyndaritanorum ita animo æstuarit, vt inde καῦσος sequutus sit. sed & in his nominibus*, causa, *&* καύσῳ *suauis est παρήχησις.*

Hos tamen] *Punctum figendum est post*, tamen. *est enim ὑποστιγμή, quasi dicat, hos tamen defendam, & eorum caussam agam.*

ΠΕΝΤΕΛΟΙΠΟΝ] *Sextum Pompeiũ ista,*

quæ scribis, mouere videntur.

IN EPISTOLAM III.

ACCEPI in Atinati] *In Tornæsiano erat,* accepi nati: *in Crusellino,* accepi nati nati, *Emendaui,* accepi in Atinati. *Redibat Cicero Cumis in Tusculanum, quo in itinere est ager Atinas, vbi scribit se duas Attici epistolas accepisse. Atinates populi sunt* Campaniæ *Alifanis, & Aletrinatibus contermini.*

NAM illa quæ recordaris] *Illa quæ acta sunt Lentulo & Marcello Cõsulibus non debẽt in exemplum trahi, vt Romam omnes boni veniant, & Senatusconsulto facto negotium dent Consulibus, vt videant, ne quid Respublica detrimenti capiat, quod actum est initio belli ciuilis illis Consulibus.*

NEC caussa eadem est] *Nam tunc omnes iure in Cæsarem statum Reipublicæ conuellentem arma ferre posse videbantur. nunc nõ item. innumeri enim clamant eum iniustè occisum, & persequendos esse eius necis auctores.*

TABVLA Demonici] *Puto nomine Demonici significari C. Cæsarem, qui populum Romanum bello superarat (nã δημόνικος est ὁ νικήσας τὸν δῆμον) Demali verò ipsum Ciceronem, qui totus esset popularis. nam vt ἀπὸ τοῦ βόσκω, δρόμου, χεύσου, fiunt, βόσκαλος, δρόμαλος, χεύσαλος, sic ἀπὸ τοῦ δήμου δήμαλος. Tabula ergo Demonici est tabula auctionaria bonorum Cæsaris, quæ Octauius proscripserat. scribit*

enim Appianus libro secundo de bello ciuili Octauium auctione bona patris Cæsaris vendidisse, vt inde militibus, quorum studia captabat, pecunias curaret. Ei vero negotio arbitror Atticum præfectum fuisse, rogatu Ciceronis, cui Octauius id cõmiserat. initio enim nihil Octauius agebat, nisi consilio Ciceronis. scribit igitur Cicero sibi gratum esse, quod Atticus sedulò se gerat in auctione bonorum Cæsaris.

Vt scribis ἰλιὰς] Crusellinus, IΛAC, reposui, ἰλιὰς. quod concisè dictum est pro ἰλιὰς κακῶν. significat enim a Q. filio Iliadem malorum proficisci. notum est prouerbium ἰλιὰς κακῶν.

Mvlta dicentur] *Hæc vulgo vitiosè leguntur cum interrogatione.*

IN EPISTOLAM IIII.

Hora octaua fere] *Explicatè scripsi, vt erat in Crusellino*, hora VIII. ferè. *in aliis διὰ σημείων exaratum erat* H. VIII. ferè.

Et legio? rem probo.] *Editiones*, & leuiorem probo: *Crusellinus*, & legiorem probo: *scribendum*, & legio? rem probo. *apposita interrogationis nota post vocem*, legio. *Iis Cicero respondet, quæ Atticus ei scripserat de legionis cuiusdam ab Antonio ad Octauium defectione: ac, quia mox Carfuleij mentionem facit, puto legionem Martiã significari, cui in bello Mutinensi præfuisse Carfuleium scribit Appianus libro* III. *bellorũ ciuilium.*

Duæ verò legiones tunc ab Antonio ad Octauium transierant, Martia & Quarta, vt tradunt Paterculus libro II. *Dio librò* XLV. *& Appianus eo quo dixi loco. vtráque eam legionem postea in prælio Mutinensi concisam fuisse, & ipsum Carfuleiũ vna occubuisse, scribit Asinius Pollio in epistola ad* Ciceronem. Sententia *ergo huius loci est, etiam legio ab Antonio defecit ad Octauium? rem probo.*

SI VERO etiam Carfuleius] *Si Carfuleius quoque relictò Antonio ad Octauium transiuit; omnia in contrarium feruntur. nam Carfuleius amicissimus fuerat Antonio. itaque non minùs mirum videbatur eum ab illo desciuisse, quàm flumina sursum versus relabi.*

QVONIAM caretur Buthrotis] *Conuenit manuscriptis nostris cùm Victoriano in hac lectione referenda,* quoniam caretur Buthrotis. *& certè eam mendo vacare puto. Iocatur hîc* Cicero *in Cæsarem interfectum. idcirco subiicit,* rides? *iocus autem petitus est ex ambiguo significatu vocis,* Buthrotis. *Buthrotij incolæ sunt vrbis & peninsulæ Buthroti, quorũ agros cùm C. Cæsar militibus assignasset, Atticus, vt eos inde pelleret, numerata de suo pecunia, decretum abstulerat à Cæsare, quo ciuitas omnis Buthrotia libera esse iubebatur. sed postea Cæsare interfecto milites decretum id spernere cœperunt, tanquam nullius vis atque momenti. itaque omni ope* Cicero *nitebatur, vt Senatus id decretum confirmaret. nam Senatus auctoritati sperabat agrarios parituros esse; & ex agris Buthrotiis decessu-*

ros. Caussam ergo cur nolit bellum esse hanc adfert, quòd Buthrotiis careatur. nulla enim spes erat, si bellum redintegraretur, vt agri Burhotij dominis restituerentur. aliam quoque caussam, cur bellum auersetur, iisdem verbis, diuerso tamen sensu, narrat, nempe quòd Butrotis careatur, id est, iis qui tam multis, támque grauibus vulneribus sauciati fuerant, vt inde occubuerint. iis verò de medio sublatis, cùm Respublica pristinam libertatem recuperasse videretur, merito ait se non cupere vt iterum bellum inter ciues excitetur. Butrotorum enim interitu extinctum esse omnem belli fomitem, atque materiam. Butrotos ergo ancipiti dixit notione significans partim agros vrbi & peninsulæ Buthroto attributos, partim Cæsarē, qui βούτρωτος fuerat, id est, multis vulneribus confectus. nam particula βοῦ iuncta alicui vocabulo eius vim intendit, vt in his βούπαις, βούπεινα, βούλιμος, βουγάϊος, & aliis multis: ea porro forma dicitur βούτρωτος, qua ἄτρωτος, quo nomine is intelligitur, qui nullo vulnere saucius est. vtrumque autem hoc nomen originem ducit ἀπὸ τοῦ τιτρώσκειν. ideo sine aspiratione hic scribitur, Butrotis; *quomodo Lepidum scripsisse auctor est Stephanus, qui Buthrotum appellatum tradit à boue ad iugulum icta, eóque vulnere mactata.*

SAVFEIVM per te celemus] *Libri formis impressi,* Saufeium pete celemus, *mendosè. sincerè Crusellinus,* Saufeium per te celemus. *tua caussa, inquit, quoniam videri non vis ab Epicuri secta deficere, Saufeium Epicureum celemus, tibi valde*

probari Tusculanas disputationes. Terentius, ancillas dedo, quolibet cruciatu per me exquire.

Cvm iterum tam multis] *Edidi scripturam Tornæsiani, & Crusellini*, cum iterum tam multis verbis agis.

Vt in Saufeij eam] *Scripsi ex Crusellino*, vt in Saufeij eam, relinquámque Tusculanas disputationes: *quæ lectio extat etiam in Tornæsiano, nisi quod pro*, Saufeij eam, *ibi vitiosè exaratum est*, Saufeleam. *Dixit autem*, in Saufeij, ἐλλειπτικῶς *pro*, in Saufeij sententiam.

Tvscvlanas disputationes] *Quibus Saufeij & reliquorum Epicureorum decreta oppugnantur.*

In Nemus] *Locum intelligit Dianæ sacrum in agro Aricino. Strabo*, τὸ δὲ ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὴν ἀρικίνην τὸ ἱερόν. *Eo loco prædium habuit C. Cæsar, quod inde Nemorense dicebatur, cuius meminit hic auctor supra libro* vi. *& Suetonius.*

IN EPISTOLAM V.

O γναφεὺς ἀνθρακεύς] *Victorium fefellerunt vestigia veteris scripturæ non satis expressa in eius antiquo libro, quibus ille seductus auctor hucusque fuit vt legeretur* ὁ θησαυρὸς ἄνθρακες. *Nos rectius, nisi valde fallor, & ad sententiam* Ciceronis *accommodatiùs* ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς: *quam lectionem collegimus ex deprauata illa quidem, sed tamen satis*

perſpicua Tornæſiani, *& Cruſellini codicis ſcriptura, quæ in hoc erat eiuſmodi* ΟΓΕΝΑΤϹ ΑΝΘΡΑΚΕΤϹ*: in illo autem hoc exemplo* ΟΓΝΑΤΕϹ ΑΝΘΡΑΚΕΤϹ: *Prouerbium eſt ductum ex fabula AEſopica fullonis & carbonarij, quo inſignis quædam diuerſitas, & diſſimilitudo functionum munerum indicatur. nam fullonis eſt eluere maculas, polire, & dealbare veſtes; carbonarij verò quidquid attingat atro colore perfundere. Valde autem verecundè & modeſtè* Cicero *de ſe loquitur, cùm ait ſe in ea re, de qua rogobatur à Caſſio, fore pro fullone carbonarium. non enim ſuũ eſſe alios virtutibus expolire, ſed potiùs vitiis inquinare. itaque non ſatis prudenter Caſſium à ſe petiiſſe, vt Hirtium optimum faceret.*

QVI quidem ſe actutum] *Emendaui, auctore Cruſellino*, qui quidem ſe actutum. *quod* ἐλλειπτικῶς *dictum eſt, pro, qui quidem ait ſe actutum, & ſtatim iturum quò decreuit. ideo mox ſubiicit, etenim iam in Tuſculano eſt.*

ET ille quidem] *Scripſi*, & ille quidem, *addita ex Cruſellino copula*, &, *quæ in vulgatis deerat.*

FVGERE nunc curem] *Vitioſè vulgati edunt*, non curem, *repugnante* Ciceronis *ſententia. itaq; auctore Cruſellino particulam inficiandi*, non, *in aduerbium temporis*, nunc, *mutaui.*

IN EPISTOLAM VIII.

VILLAE que pluries videndæ] *Victorius ſic*

edidit, vt ille quæ plures videndæ, *nullo ſenſu. In Cruſellino hoc modo legebatur*, ville que plures videndæ: *ſcripſi*, villæque pluries videndæ. *quia enim rariùs ſuas villas inuiſebat, neſciebat quid in eis ageretur. ideo ſcribit eas ſæpius eſſe videndas, vt curaret, ne quod ibi detrimentum acciperet.*

DE eare] *Quis non prætulerit lectionem Cruſellinam*, de ea re, *illi receptæ, quam etiam refert Tornæſianus*, dare? *Ait enim craſtinum diem aliquid allaturum ad cogitandum de Tuſculano, & aliis ſuis villis, vt eis prouideatur.*

IN EPISTOLAM IX.

HANC locatoriam prouinciam] *Repoſui ex Cruſellino*, locatoriam; *cuius vocis veſtigium, licet perturbatum, extat in hunc modum in Tornæſiano*, legatoriam. *Prouinciam locatoriam vocat, quæ locatione aliquid agendi conſtaret, qualis erat ea, quæ Bruto & Caſſio dabatur, de frumento in vrbem aduehendo. huiuſmodi enim curationis delatio inſtar erat locationis. ſic locandi verbo vtitur Varro libro II. de re ruſtica de aduectione frumenti loquens*, igitur, *inquit*, quòd nunc intra murũ ferè patres familiæ irripſerunt, relictis falce & aratro; & manus mouere maluerunt in theatro & Circo, quàm in ſegetibus, & vinetis, frumentũm locamus qui nobis aduehat ex Africa & Sardinia.

QVA ad Eurotam] *Edidi, ex præſcripto Cruſellini*, quà ad Eurotam. *nam τὸ* quà, *aduerbium eſt ſignificans aliqua parte, aliquo loco.*

QVAM illa Persice] *Persice celebris fuit porticus Lacedamone, ex manubiis Persarum, quos Lacedamonij bello vicerant, trophai loco adificata: in qua captiuorum simulacbra, inquit Vitruuius, babarico vestis ornatu, superbia meritis contumelijs punita, sustinẽtia tectum collocauerũt; vbi & hostes horrescerent timore eorum fortitudinis affecti, & ciues id exemplum virtutis accipientes, gloria erecti, ad defendendam libertatem essent parati. Pausanias quoque in Laconicis tectum illius porticus Mardonij, aliorúmque Persici exercitus ducum simulachris innixum fuisse refert. Puto igitur, quantum in re obscura assequi coniectura possum, Brutum & Cassium, recuperatã, interfecto Cesare, populi Romani libertate, vt praeclari eius facinoris insigne aliquod monumentum perpetuo extaret, Lanuuij porticum quandam, ad exemplum illius Lacedamonia, adificandam curasse, quam* Cicero *Persicen ea de caussa vocat. atque eò referenda sunt superiora illa verba*, ad Eurotam sedere. *Lanuuij enim, quod oppidum, noua huius porticus ergo, instar erat Lacedemonis, Brutus & Cassius ociosi considebant, tanquam ad Eurotam, qui fluuius est alluens Lacedamonem.*

NOLO enim Lacedæmonem] *Iocatur hic Cicero in otium Lanuuinum Bruti, quasi eo nomine mollicie Brutum argueret. Iocus autem, ob verborum, quibus continetur deprauationem, nemini patet. itaq; primùm corrigenda sunt scriptura vitia, tum sensus explicandus. Codex Tornasianus hac*

ita refert, nolo enim Lacedæmonem longinquo quom Lanuuium existimauit: *Crusellinus hoc modo*; nolo enim Lacedæmonem loci in quo quoniã Lanuuium existimaui. *emendaui, & interpunxi,* nolo enim Lacedæmonem λαχεῖν: κοχώνην Lanuuium existimaui. *Quid sit Lacedæmonem λαχεῖν sciunt omnes, quibus ignotum non est hoc prouerbiũ* σπάρταν ἔλαχες ταύταν κόσμει*: itaque cùm Brutus Lanuuij esset, quod oppidum, ut diximus, erat instar Lacedæmonis, ibique nihil aliud cogitaret, quàm de porticu ædificanda, quæ summo ornamento futura erat illi oppido, non insciitè dici poterat Lacedæmonem* λαχεῖν. *Verùm* Cicero *arrepta iocandi occasione, partim ex obscœnis Lacedæmoniorũ moribus, partim ex ambigua Lanuuij significatione, ait sibi spurcã videri Lacedæmonẽ illam Lanuinam: ideo se nolle eam* λαχεῖν*: quo dicto indicat moram Lanuinam Bruti, vt turpem, sibi non probari.* λακωνίζειν *Hesychio est* παιδικοῖς χρῆσθαι, *&*, λακωνικὸς τρόπος, τὸ περαίνειν, καὶ παιδεραστεῖν, καὶ παρέχειν ἑαυτὸν τοῖς ξένοις. *Lanuuium autem non modo vrbem significat, sed eam quoque corporis partem, qua sita sunt pudenda. Græci eam* κοχώνην *vocant. Plautus Truculento*, Lanuuij ne hìc sunt quas habes victorias? *verba sunt Strabacis serui Astaphium ancillam de stupro appellantis, & manum, qua illa mulier erat, admouentis. idcirco mox illa respondet*, ne me attrectes. *Propertius quoque,* Lanuuij ad portas hei mihi solus eram. *inde colei Lanuini, quos Cicero in epistola ad Pætum hone-*

stos

ſtos eſſe tradit, vt contra Cliterninos turpes. At, *inquit*, honeſti colei Lanuini, Cliternini non honeſti. *qui locus non ſatis hucuſque intellectus eſt. itaque conabor eum explicare. Lanuuium & Cliternia vrbes ſunt Italiæ, vnde culei vini & olei Romam aduecti venales à propolis inclamabantur. faceti verò homines cùm pro culeis coleos acciperent, ita propolas inclamaſſe fingebant. & quidem coleos Lanuinos honeſtos exiſtimabant, quòd vox Lanuuium pro pudendo ita tecta eſſet, vt turpis nõ haberetur. in Cliternia verò inerat alluſio quædã ad herniã, quod vocabulũ, vt ait Cornelius Celſus, indecorum putabatur: idcirco coleos Cliterninos, tanquam hernioſos non honeſtos ducebant. Porrò κοχώνην, cui nomini latina vox Lanuuium auctore hic* Cicerone *reſpondet, ita Galenus interpretatur,* σύζευξιν τὴν ἐν τοῖς ἰσχίοις τὴν πρὸς τὴν ἕδραν, δι' ἣν καὶ πᾶς ὁ περὶ τὴν ἕδραν τόπος οὕτως ὀνομάζεται.

IN EPISTOLAM X.

De Decimi Græceiique] ὑπακουστέον, *proſcriptione, aut cæde actum ſit. nam id agebat Antonius, vt cuiuis liceret hos, tamquam hoſtes reipublicæ, perſequi & interficere.*

Qvae noſtris vita] *Quamuis nemo moleſtus ſit Bruto & Caſſio noſtris, quàm turpis tamen futura eſt eorum vita, ſi opem non ferant Decimo & Graceio, quos Antonius perſequitur?*

IN EPISTOLAM XI.

EGO ne vt beneficium] *Legendum ex Tornæsiano & Crusellino*, egóne vt beneficium accepisse in contumeliam? *supplendum enim extrinsecus, videar, aut dicar.*

ATQVE vt omnino] *Quamuis omnino posses Romæ tuto esse, num eo minùs in prouinciã ires nunc cum Prætor es, aut postea pro Prætore? quasi dicat, si Romæ sine periculo esse posses, malléśne ibi manere, quàm esse in prouincia cum imperio? minimè certè.*

SENATVM vocare] *Scripsi*, vocare, *&*, incitare, ἐνεργητικῶς, *auctoribus Crusellino & Tornæsiano.*

HOC vero neminem] *Seruilia exclamabat se neminem audisse, qui prudentius consilium daret, quàm id, quod modò Cicero dederat, de Senatu vocando, populo vehementiùs incitando, totáque Republica suscipienda.*

VELLE enim se dixerat] *Dixerat se Romam ire velle. sed postea deiectus est de illo inani sermone.*

AD id quod ad Deos] *Hæc ita referebat Crusellinus*, nec facile addi potest ad idque adeo genus legationis: *quæ in hunc modum correxi*, nec facile addi potest ad id, quod ad deos, genus legationis. *votiuam legationem vocat genus legationis ad deos.*

IN EPISTOLAM XII.

NI in Tusculanum venerit] *Restitui ex fide Crusellini particulam*, ni, *quæ in editionibus deerat. si, inquit, Antonius in Tusculanum non veniet, quo eum venturum prædicant, alterum ab eo beneficium habebo. narratum fuerat* Ciceroni *Antoniũ venturum esse in Tusculanum cum armatis hominibus: qua de re ita epistola octaua huius libri,* Gręceius, *inquit*, ad me scripsit homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur.

ΤΩΝ δ' αἰτίαν] *Pro* τὰνδ' αἰτίαν, *reposui ex Crusellino* τῶν δ' αἰτίαν. *quis, inquit, Brutorum auctor est quo minus hæc negotia ferri queant? Marcúsne an Decimus? videtur perstringere Decimum Brutum, quem Paterculus scribit auctorem fuisse, vt Antonio parceretur.*

IN EPISOLAM XIII.

NEC agmen cogamus] *Id est, postremi simus, ductum à pastoribus, qui, cùm pecudes in caulas compellunt, ipsi postremi sequuntur. Seneca de Lucifero stella, quæ mane, conditis aliis, omnium postrema occidit,* cogit nitidũ phosphoros agmẽ.

VEREDIS certe] *Pro,* vere dicere, *reposui,* veredis certè; *quam meam emendationem nemini displicituram puto. incitatissimus fuit cursus equorum veredorum: Martialis,*

Parcius vtaris moneo rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.

SED quid egerit?] *Quasi dicat, nihil egerit, quamuis id fecerit, quod instituit.*

SED SELICIA venisse] *Vt libro quarto Selicianã prouinciam dixit pro Selenciana, sic hoc loco Seliciam pro Selecucia. credebatur Brutus habere exercitum in Asia, vnde M. Scaptius redibat. ideo scripserat Atticus se sciturum de Scaptio omnia quæ de Bruto ferrentur.*

QVAE ego statim] *Quæ ego statim vt mihi scribas rogo.*

INTEREA narras] *Scripsi ex Crusellino,* narras. *interea, dum exspectamus quid dicat M. Scapius, narras eadem venisse seruum Bassi.* eadẽ ἐπιῤῥηματικῶς *dixit, pro, eadem via; quo modo non semel in his epistolis loquutus est; vt aliâs docui.*

IN EPISTOLAM XV.

QVAM vix stomachum] *Non improbo receptam lectionem,* quàm stomachum non habere arbitrantur. *sed à veteribus libris abest particula* non, *eiúsque loco ante vocem,* stomachum, *legitur,* vix, *vt edidi.*

IN EPISTOLAM XVII.

SI quid tibi est à Statio] *Publica lectio*, si

quid tibi est à tuis scriptum : *Vetus Crusellini, quam sequuti sumus*, si quid tibi est à Statio scriptum. *Statius libertus fuit Q. Ciceronis, cuius fit mentio epistola* v. *libri* XII. *& epistola* XIX. *huius libri.*

IN EPISTOLAM XVII.

ANTRONI vetui] *Ex Crusellino ita lego*, Antroni vetui: *ad quam lectionem proximè accedit hæc codicis Tornesiani*, Antroni vel vi. *Huic Antroni vetuerat Cicero quicquam de nummis Arpinatium dari, quos L. Fadio AEdili, nec alij cuiquam, reddi volebat. suprà epistola* XV. *& infrà epistola* XX. *huius libri.*

NISI explicato Λ] *In re tam obscura quid aliud facere possum, quàm vti coniectura? Puto hic vitiosè scribi* Λ, *pro* Δ, *& hac nota* Δ, *δάνειον, hoc est, æs alienum significari. sic idem auctor epistola* IX. *libri* IX. *cum obscure notare vellet fœnerationem Attici, eam digamma AEolicum à prima littera fœnoris appellauit. Aliàs docuimus librarios Latinos has duas litteras* Δ *&* Λ, *sæpe inuicem commutasse. quo errore factum puto vt* Λ, *locum τοῦ* Δ, *vulgo hic occuparit.*

IN EPISTOLAM XVIII.

ET in ea cura vigilarem] *Tornesianus*, & in lacuna vigilarem: *Crusellinus*, & in ea cuna vigilarem: *reposui*, & in ea cura vigilarem, *qua in*

emendatione gaudeo mihi conuenire cum erudito, & perspicaci viro Iusto Lipsio.

DE MVLIS vecturæ] *Nemo dubitat quin deprauata sit ea lectio, quam edunt vulgati,* de mulis vecturæ itineris, & in eis; *eam nos ex Crusellino ita correximus,* de mulis vecturæ itineris, & vehis. *Muli vectura itineris sunt quibus* Cicero *filius & famuli, quos secũ ducebat, vehebantur. muli vehis, quibus plaustrum sarcinis onustum trahebatur. est ergo vehis gignendi casus à nomine vehes.*

QVONIAM intelligo] *Legendum ex Crusellino,* quoniam, *&, vt ita legatur, postulat sententia.*

SEORSVM curam] *Pro,* suorum, *reposui ex fide Crusellini,* seorsum. *quod aduerbium significat separatim ab alijs, & nominatim. Terentius Andria,* omnibus gratiam habeo, & seorsum tibi præterea Demea.

AD te pertinere] *Sic vulgati libri, nec aliter Crusellinus. verum in Tornæsiano est,* ad te vertere.

IN EPISTOLAM XIX.

ΕΡΓΩΔΕΣ *sed* ἀνυστὸν] *In Crusellino erat* ΑΝΙΚΤΟΝ. *vnde iudicaui certam esse coniecturam eruditissimi viri Henrici Stephani hic legendũ existimantis* ἀνυστόν.

FVIT certè dignus] *Ludit in voce Septemuir. quasi C. Antonius dignus fuerit qui septimus vir esset vxoris suæ, cùm sex alij eam adulterarent.*

IN EPISTOLAM XX.

VT scribis ἐν κενῷ?] *Tornæsianus*, anteno: *Crusellinus*, enteno: *reposui*, ἐν κενῷ: *quod est frustra, & in cassum. Nam vt Græci dicunt* ἐν καλῷ *pro commodè & bellè;* ἐν τάχει *pro celeritèr;* ἐν δίκῃ *pro iustè; sic Atticus* ἐν κενῷ *scripserat, pro inaniter & frustra. quis, inquit, hæc, id est, legationem* ἐν κενῷ, *nullis scilicet acceptis mandatis, suscipere velit?*

QVA caussa ac quorsus est] *Codex Tornæsianus*, qua caussa cursus est; *Crusellinus*, qua caussa occursus est. *legendum*, qua caussa, ac quorsus est.

SIT ne autem extricata] *Libri vulgati*, excitata, *mendosè. nos è Crusellino*, extricata, *prorsus rectè. extricare est expedire, & explicare.*

IN EPISTOLAM XXI.

ECQVEM tu illo] *Scripsi*, ecquem, *vt erat in* Crusellino *&* Tornæsiano.

ΕΠΟΧΗΝ vestram] *Dubitarat Atticus, an è re foret Quincti Ciceronis filij, vt ei Cani filia nuberet, de cuius cum eo nuptiis agebatur. qua de re ita supra* Cicero *epistola* XLI. *libri* XIII. tum enim, *inquit*, mentio Canæ. omnino, si id consilium placeret, esset necesse. sed, vt scribis, ratio est habenda grauitatis; & vtriusque nostrum idem

consilium esse debet.

De tabulis] *Quantum hinc licet coniicere, hæc Cani filia priùs alteri viro nupta fuerat, à quo dos, soluto matrimonio, exigi non potuerat, quòd eius bona non essent soluendo. Ideo scripserat Atticus nonas tabulas factas fuisse in illius dote. quod Cicero numquam suspicatus fuerat; imo putabat dotem integrè restitutam fuisse.*

IN EPISTOLAM XXIII.

Cvi ὑπόμνημα] Cui *libellum & commentariũ dabo à me conscriptum de rebus nouis. sic enim vocat epistola proxima.*

IN EPISTOLAM XXIIII.

Brvtvm h. IIII.] *Tornæsianus* H NIS, *vnde Lambinus coniecit legendum* H. II. *id est, hora secunda. sed liquidò exaratum erat in Crusellino* H. IIII. *hoc est, hora quarta, quam lectionem referre quoque videtur Tornæsianus, si propiùs & attentiùs eius scripturam spectes.*

IN EPISTOLAM XXV.

Mevs animus est æquus] *Lego ex Tornæsiano & Crusellino*, meus animus est æquus, sic tamen vt si nihil offensionis fit. *patienter & æquo animo laturus sum hibernam nauigationem, modò tamen nihil in ea sit offensionis, id est, damni, & periculi,*

quod metuendum est, si tempore mysteriorũ nauigẽ.

ET tu etiam scitè] *Scripsi, auctore Crusellino,* & tu etiam scitè. *& tu, inquit, quærenti mihi, quo die mysteria futura essent, lepide & eleganter respondisti, ea illo die fore, quo piaculum erat olim quicquam aggredi.*

QVO die olim piaclum] *Ex perturbata huius loci scriptura quidam mysteria nescio quæ Olympica commenti sunt, quæ numquam fando audita fuerunt. sed meminisse illi debuerunt, si vnquam id legerant, Olympiis cultum & celebratum fuisse Iouem, mysteriis Cererem, Proserpinã aliósque deos inferos. verùm de Olympiis hîc nullũ verbum Cicero, vt apparet ex germana huius loci lectione, quam sic refert codex Crusellinus,* & tu etiam scitè, quo die olim piaclum, mysteria scilicet. *Nauigaturus hieme Cicero summo studio vitare conabatur, ne tempus suæ nauigationis in eũ diem incurreret, quo mysteria Romana celebrabãtur. nefas enim & piaculum erat eo die serij quicquam agere. Mysteriorum autem nomine eum diem intelligebat, quo mundus patêre dicebatur, quod ter in anno fiebat, postridie Vulcanalia, ante diem tertium Nonas Octobris, & ante diem sextum Idus Nouembris. ac de hiemalibus mysteriis hîc eum egisse declarant quæ ipse mox subiicit de hiberna nauigatione. verùm, inquiet aliquis, si stata erant hæc sacra, quorsum eorum diem quærebat ab Attico? non enim verisimile est eum fastos Romanos ignorasse, quos C. Cæsar, paullò ante quàm*

interimeretur, correxerat. Sed ij rursus, eo mortuo, negligentia Pontificum, confusi & perturbati fuerant, vt refert Suetonius in Augusto. itaque vitio intercalationũ feriæ variarant, qui error vsque ad Augusti principatum durauit. De his mysteriis ita Festus; mundus, vt ait Capito Ateius in libro tertio Pontificali, ter in anno patere solet diebus his, postridie Vulcanalia, & ante diem tertium Nonas Octobris, & ante diem sextum Idus Nouembris; qui, quid ita dicatur, sic refert Cato in commentariis iuris ciuilis; mundo nomen impositum est ab eo mundo, qui supra nos est. forma enim eius, vt ex iis, qui intrauere, cognoscere potui, adsimilis illi. eius inferiorem partem, veluti consecratam diis manibus, clausam omni tempore, nisi iis diebus, qui supra scripti sunt, maiores censuerunt: quos dies etiam religiosos iudicauerunt ea de caussa, quòd quo tempore ea quæ occultæ & abditæ religionis deorum manium essent veluti in lucem quandam adducerentur, & patefierent, nihil eo tempore in Republica geri voluerunt. itaque per eos dies non cum hoste manus conferebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quidquam in Republica, nisi quod vltima necessitas admonebat, administrabatur. *& Macrobius*, Quare nec Latinarum tempore, quo publicè quondam induciæ inter Romanum populum, Latinósque firmatæ sunt, inchoari bellum decebat, nec Saturni festo, qui sine vllo tumultu bellico creditur imperasse,

nec patente mundo, quod sacrum Proserpinæ, & Diti patri dicatum est, meliúsque occlusa Plutonis fauce eundum ad prælium putauerunt, vnde & Varro ita scribit, mundus cum patet, deorum tristium & inferùm quasi ianua patet, propterea non modò proelium committi, verùm etiam delectũ rei militaris caussa habere, ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberorum quærendorum caussa ducere religiosum est. *Hactenus Festus, & Macrobius, ex quorum verbis intelligitur Ciceronem ea de caussa scire voluisse mysteriorum diem, ne tunc imprudens se mari committeret.*

PIACLVM] κατὰ συγκοπὴν, piaclum, *pro*, piaculum; *vt epistola* VI. *libri* II. sæclum, *pro*, sæculum; *& epistola* II. *libri* VI. vincla, *pro*, vincula.

OLIM] *Rectè*, olim, *vt indicaret priscos Romanos maiori cultu dies religiosos obseruasse, quam qui tunc viuerent.*

VT vt sit res] *Rectè Crusellinus*, vt vt sit res, *quocumque modo, inquit, se res habeat, siue bonum sit, siue periculosum mense Ianuario nauigare.*

EST enim hiberna] *Hæc quoque ex eodem illo codice & Tornæsiano sic lego*, est enim hiberna nauigatio odiosa.

IN EPISTOLAM XXVI.

INAVDIVI L. Pisonem] *Absque libro Crusellino fuisset, nescio an macula hinc abstergi po-*

tuissent. nam ceteri libri manuscripti nihilo purgatiores erant excusis. sic enim hunc locum referebant, Mandibili Pisonem. *At Crusellinus, quamquam àliquantum inquinatus sit, mihi tamen clarè præluxit ad veram & germanam lectionem ex his tenebris eruendam. sic enim edit hæc verba*, inaudibili Pisonem. *inde conieci Ciceronem scripsisse*, idaudiui L. Pisonem. *inaudire est leviter aliquid, quod occultè agatur, audire. idem hic auctor supra*, numquid de quo inaudisti? *& Plautus Mestellaria*, metuo ne de hac re quippiam hic inaudiuerit.

VELIM] *Scripsi*, velim, *eodem Crusellino auctore.*

EST illa quidem in vtramque] *Hîc etiam integriores & castigatiores sunt Tornæsianus & Crusellinus, quam excusi. ita enim hæc referunt*, reliqua pars epistolæ est illa quidem in vtramque partem; sed tamen nonnullos interdum iacit igniculos viriles: *vulgati sic*, reliqua pars epistolæ illa namque in vtramque. sed tamen. *itaque vt πορφύραν παρὰ πορφύραν, sic χαφλὼ παρὰ χαφλὼ facilè licet diiudicare.*

EASQVE ad te è Tusculano] *Vt scriptum inuenimus in Crusellino & Tornæsiano, sic edidimus*, eásque ad te è Tusculano; *quæ lectio dilucidior est vulgata.*

Is me paucos specus] *Editiones aliter. Nos verám lectionem sequuti sumus, quam ita è Crusellino expressimus*, M. Aelium cura liberabis: is me

paucos ſpecus &c. *is, inquit, rogat me paucos ſpecus, qui habeant aliquid ſeruitutis à meo puteali, hoc eſt, poſtulat à me vt ſibi liceat in extremo ſuo fundo paucos ſpecus effodere, quibus puteal meum ſeruiat.*

A puteali] *In Torneſiano eſt*, apud tale*: in Cruſellino*, apud talis*: ſcripſi*, à puteali. *quid puteal ſit nemini ignotũ puto. Aelius hic dicebat ſpecus illos ſuos aliquid ſeruitutis habituros à puteali* Ciceronis*, cùm ſignificaret eos tectum iri puteali* Ciceronis*. idcirco puteal* Ciceronis *eis ſeruiturum. ſeruitutem habere ab aliquo, eſt habere ius ſeruitutis.*

IDEM de illo Tulliano] *Cruſellinus codex*, Idem de illo Tulliano cupide libere cum Caſcellio loquare. *reponendum putaui*, Idem de illo Tulliano capite liberè cum Caſcellio loquare. *Tullianum caput vocat, quod epiſtola proximè ſequenti Tullianum ſemiſſem. caput enim quandoque ſortem, & pecuniæ ſummam ſignificat, vt norunt omnes, qui Græcè & Latinè ſciunt. Vult autem Atticum liberè loqui cum Caſcellio, contra quàm cum M. Aelio, cui reſponderi nolebat niſi quamleniſſimè.*

OCTAVAM partem] *Exemplum hoc eſt ſcripturæ Cruſellinæ*, Octauam partem tuli luminarium in ædium aſtira. *vocem*, aſtira, *mendoſam puto. in ceteris nihil mutandum. repono verò* ἄθυρα, *quo nomine ſignificantur partes ædium cæcæ, id eſt, quæ portis, feneſtris, & luminibus carent, ideo ſcribit ſe eo tuliſſe octauam partem luminariũ eius*

ædificiũ,de quo egerat cũ Attico. ἄθυρα *sunt* τὰ ἄνευ θυρῶν καὶ θυρίδων. *luminaria verò specularia, quibus lumen in ædes admitti solet. ea hodie apud nos sunt aut vitrea, aut chartacea. Cato in ædificio suæ villæ sena luminaria fieri vult, totidémque lumina.*

NE memineris cui Cærellia] *Hoc* Cicero *ita concisè scripsit, vt, quid significarit, nemo se hodie scire certò possit affirmare. coniecturis igitur sententia exploranda. Questus fuerat hic auctor cum Attico epistola* XXI. *libri* XIII. *quosdã suos libros, quos eius librariis describendos dederat, Cærelliæ, se inuito, communicatos fuisse; cuius rei neminem alium accusabat, præter illos librarios. quod cùm Atticus intellexisset omnibus illis edixerat, ne librum vllum* Ciceronis *iniussu suo vulgarent: si aliter facerent se memorem fore spreti imperij. interim autem cùm vnum de illis deprehẽdisset Cærelliæ mandato alios quosdam* Ciceronis *libros describentem, grauiter illi interminatus fuerat, eiúsque rei certiorem fecerat* Ciceronem. *at ille, cùm molestè non ferret Cærelliam eos libros habere vetuit Atticum meminisse cui librario Cærellia librorum eorum describendorum negotium dedisset. Ne memineris, inquit, cui de librariis tuis Cærellia mandarit, vt meos libros describeret. ea enim librarij culpa ita leuis est, vt obliuione potiùs deleri, quàm memoria retineri debeat.*

MVNDVS IS] *Corruptè, ante editionem nostram, hîc legebatur,* Mundus istum. M. Enius quid egerit &c. *nos, auctore Crusellino, emendaui-*

mus, mundus is. Tu, M. Ennius quid egerit &c. *ϛικτέον enim post*, mundus is. *Varronem scribit mundum esse, non quòd purus & nitidus sit, sed quòd suis libris res omnes diuinas, & humanas, tamquam mundus, complexus sit. Scripserat enim Varro libros rerum diuinarum, & rerum humanarum, vt ex Nonnio, & antiquis auctoribus, qui eos libros citant, intelligimus.*

CVRIOSVS enim] *Tu enim curiosus es. idcirco verisimile non est id te ignorare, cùm id scire volueris.*

IN EPISTOLAM XXVII.

SVSPICABOR] *Edidi ex Tornæsiano & Crusellino,* suspicabor.

O turpem] *Addidi exclamandi particulam, O, ex antiquis nostris.*

IN EIPSTOLAM XXIX.

LVDORVM Bruti] *Restitui ex Crusellino & Tornæsiano vocem,* Bruti, *quæ hinc per summam iniuriam pulsa fuerat.*

M. Axianum] *Lego,* M. Axianum, *vt est in vulgatis & Crusellino. nam Victorius,* Maxianũ, *legit.*

SEXTVM scutum abiicere] *Post verbum,* abiicere, *addidi,* nolebam, *ex fide Tornæsiani, & Crusellini. scribit se nolle Sextum Pompeium ab armis discedere.*

AD omnia tua] *Perspicue Tornæsianus & Crusellinus*, ad omnia tua, *vt edidi.*

AIT hic sibi Iuliam] *Interpungi debet post*, Iuliam. *est enim ἀποσιώπησις. explicatè dixisset, hic ait Iuliam sibi velle nubere.*

FERE constitutum enim] *Antea hîc legebatur*, ferre, *cuius loco, auctore* Crusellino, *reposui*, fere. *dicebat enim Q. Cicero prope constitutum esse discidium inter Iuliam, & eius virum.*

SER quorsus] *Manutius ex coniectura*, quorsus, *quæ liquida est scriptura Decurtati.*

DE ore, & patre.] *Videtur his verbis nescio quid turpe, & obscœnum indicasse. qua de causa mox subiibit*, & si *ἐβδελυττόμην*, negaui putare me illa esse vera. *sic enim concepta sunt hæc verba in Tornæsiano &* Crusellino.

HOC est enim] *Hæ tres voces includendæ sunt παρενθέσει.*

OY πειρᾷ τοῦτον] *Veteres libri*, ΟΥ ΠΑΡΑ ΤΟΥΤΟΝ. *emendaui, οὐ πειρᾷ τοῦτον. significat enim Iuliam non appellare & sollicitare Quinctum, vt se uxorem ducat. Obseruandum est πειρᾶν hîc de muliere dici, quæ virum interpellet, cùm sæpius de viris mulieres de stupro appellantibus vsurpari soleat. Aristophanis interpres πειρᾶν τὸ προσβαλεῖν τῇ γυναικὶ περὶ ἀφροδισίων. unde illud ex Pluto eiusdem Aristophanis πειρᾷ μὲν ἴσως σε.*

VIDISSE] *Codices impressi*, audisse: *nostri manuscripti*, vidisse; *vt excudi iussimus.*

IN

IN LIBRVM XVI.

IN EPISTOLAM I.

POSTRIDIE iens ad Brutum] *Scripſi ex Tornæſiano, & Decurtato*, poſtridie iens ad Brutum in Neſidem, *reiecta vulgata lectione à qua aberat aduerbium*, poſtridie.

IN Neſidem] Neſidem, *quarto caſu habent antiqui noſtri, quos ſequuti ſumus. Ibat in Neſidē Cicero, vbi Brutus erat, vt apparet ex epiſtola* IIII. *huius libri.*

DII hercule iſtis] *Legendum ex Cruſellino*. Dij hercule iſtis. *imprecatio eſt aduerſus eos, qui ludos Bruti proſcripſerant Nonis Iuliis, non verò Nonis Quinctilibus. Sic quoque loquutus eſt epiſtola* x. *huius libri*, O qualis tu ſemper iſtos! itáne in D. Brutum? Dij iſtis.

SED ſtomachari] *Nihil opus eſt vt nunc ſtomachemur: aliâs enim ſatis nobis erit temporis ad eam rem. totum enim diem ſtomachari licet.*

ETI ἐῶμεν] *Veteres codices* ΕΤΕΩΜΕΝ. *putaui vnicam litteram deeſſe, & legendū* ἔτι ἐῶμεν? *id eſt, adhúcne ſinimus & patimur iſta fieri? Siquis tamen malit legere*, ἔτι ἐῶμεν? *id eſt, etiam ſinimus? non valde pugnabo. ſed illud alterum magis placet.*

PRŌ certo habebatur haud arma] *Ex Cruſellino edidi*, De Sexto, pro certo habebatur, haud arma. *quæ oratio eſt* ἐλλειπτικὴ, *ac quæ in ea deſunt ita ſupplenda, pro certo habebatur Sextum haud arma ſumturū. Idem Cicero ſignificarat epiſtola vltima libri ſuperioris, cùm ſcriberet*, Sex-

tum scutum abiicere nolebam.

DE CCX.] *Crusellinus vulgatam lectionem confirmat: Turnesianus verò hanc summam ita refert,* DE CCCX.

OVIVS enim recens] *Rectè Lambinus ex Tornæsiano emendauit,* Ouius enim recens: is multa quæ vellem: *quam lectionem etiam edit Crusellinus. Sensus autem est, Ouius recens Athenis venit. is multa narrat quæ vellem.*

IN mandatis sat, abundè.] *Vulgata lectio mendo caret. ἀσυνδέτως enim dictum est,* sat, abundè; *vt etiam postea,* satis esse, affatim prorsus. *Tornæsianus mendosè habet,* sit [illegible].

IN EPIST[illegible] I II.

ALTERAM à Bruti] *Legendum ex Crusellino,* alteram à Bruti: *[illegible]am ἀπὸ κοινοῦ repeti debet,* tabellario.

VT esset qui Hortensio] *Edidi ex Tornæsiano & Crusellino,* vt esset qui Hortensio. *vt esset, inquit, qui responderet Hortensio petenti.*

EQVIRIBVS] *Inepte vulgo legitur,* equitibus. *ego,* Equiribus, *reposui: qui dies est festus à cursu equorum, vt ait Varro, nominatus. eo enim die equi currebant in campo Martio. Ouidius gemina Equiria fuisse refert; altera quæ mẽse Martio agerentur, altera quæ Aprili. De primis hîc* Cicero *verba facit. notãdũ verò eum alios fastos sequutũ fuisse quàm Ouidiũ. nam quæ Ouidius pridie Idus Martias attribuit; ea ille ipsis Idibus. Sed de huiusmodi fastorũ variatione plura antea scripsimus.*

IN plaudendo] *Legendum, vt est in meis,* in plaudendo.

FVRCILLA extrudimur] *Lambinus primus hîc ex Tornæsiano emendauit*, furcilla extrudimur, *& quidem rectè. sic etiam legitur in Crusellino.*

DE AEbutio] *Excusi codices,* De C. Metio; *Tornæsianus, & Crusellinus*, De AEbutio.

SI de rebus] *Reposui ex Crusellino, & Tornæsiano*, si de rebus minus necessariis, *hoc sensu, si de rebus minus necessariis scribes, mittito litteras, vbi nactus fueris aliquem, qui ad me veniat: si verò aliquid maius erit, domo mittito, id est, aliquem ex tuis nominatim in eam rem mittito.*

NOTENTVR eclogarij] *Eclogarios vocat, qui ex libro, qui recitabatur, κατὰ τάχος excipiebant, quæ maximè obseruatu digna videbantur. eclogæ sunt quæ inter legendum aliquis in suum vsum deligit & decerpit, vt sunt præcipua librorum capita. huiusmodi sunt quæ hodie extant Ctesiæ, & Polybij eclogæ.* Cicero *obseruari vult eclogarios, ne ex libro de gloria eclogas decerpant.*

IN EPISTOLAM III.

MAGIS & magis] *Auctor mihi fuit Crusellinus vt ita ederem*, magis & magis delectari: *quo loquendi genere idem vsus est libro* XIIII. itaque de Græcia quotidie magis & magis cogito.

ATTRIBVTIONE nomina] *Manutius & alij quidam legunt*, & attributio mihi nominum ignota: *quam lectionem facilè sequutus essem, si eam veterum librorum auctoritate niti vi-*

dissem. sed omnes summo cōsensu referūt, & attributione mihi nomina ignota. *eadem tamen est vtriusque lectionis sententia. etenim ignota sibi fuisse scribit nomina quod ad attributionē attineret, quia nesciebat quæ dies præstituta esset eorum solutioni. nam attributio hic est destinatio solutionis in certā diem. idem auctor prima epistola huius libri*, ait enim attributionē in Idus; se autem vrgeri acriter.

AD BALBVM] *Balbum delegare Ciceroni voluerant Dolabella & Faberius, vt apparet ex epistola* XI. *&* XXIX. *libri* XII. *& fortasse, sequuta ex aliqua parte delegatione, Balbus, vt satisfaceret* Ciceroni, *ei quadā nomina attribuerat, ea de caussa subiicit* Cicero *se ad eum scripsisse, vt si attributa nomina non concurrerent, ipse subueniret.*

CONCVRRERENT nomina] *Dies nominum mihi attributorum non quadraret cum ea die, quæ præstituta est iis nominibus, quæ ipse feci, dissoluendis; sed aliquanto longior esset.*

ABSENTEM suauiari] *Addidi vocabulum,* absentem, *ex fide Tornæsiani & Crusellini, quum id à vulgatis abesset.*

IN EPISTOLAM IIII.

DIXI quid videretur] *Ita erat in Tornæsiano, & Crusellino*, dixi quid videretur: *quam lectionem edidi.*

ETESIIS vtemur] *Manuscripti nostri*, & estis; *vnde rectè Lambinus reposuit*, Etesiis.

IN EPISTOLAM V

QVOD quidem me minimè] *Vulgati*, quæ

quidem. *nostri omnes*, quod quidem: *quod probauimus.*

ETENIM circunspice] *Ludit in verbo*, tenet. *circunspice, inquit, an quisquam, manu mihi iniecta, me teneat. a te igitur solo teneor.*

SED ante erubesco] *Si me circunspicies, ne me in os intuere. nam ante, id est, anteriori parte spectatus erubescere soleo. itaq; timeo ne, si à te in os aspiciar, mutatio illa vultus mendacij me quodãmodo arguat, túque dicas me à te non teneri. Vulgo dici solet mendacium mutatione vultus prodi.*

LEPIDI lepidè descripto:] *Lego ex Crusellino, vt Lambinus emendauit*, O dies in auspiciis Lepidi lepidè descriptos!

IN EPISTOLAM VI.

SED iam satis supérque] *Post*, supérque, *defixo puncto remorandus est cursus orationis. nam quæ mox sequuntur*, tecum me non esse? *cum interrogatione legi debent.*

QVID fugientem?] *Præscribentibus Tornæsiano & Crusellino edi iussi*, quid fugientem? periculúmne? id nunc quidem, nisi fallor, nullum est.

BELLA reliqua reliqui] *Ita conceptus erat hic locus in Tornæsiano & Crusellino*, bella reliqua reliqui. *quæ lectio integrior est vulgata, à qua vox*, reliqua, *abest.*

IN EPISTOLAM VII.

NISI vt præsens] *Edidi*, nisi vt præsens, *auctoribus iisdem illis libris. non tamen reiicio vul-*

gatam lectionem, nisi quod præsens.

IN EPISTOLAM VIII.

VEL Capuæ] *desiderabantur in vulgatis hæc verba*, vel non longè à Capua, *quæ ex Tornæsiano & Crusellino restitui. mox ex eorumdem librorum fide cum Manutio reposui*, legionem sub signis ducere.

ROMAM ne venio, an hîc maneo] *Verba sunt dubitantis, & incerto animo fluctuantis quid facturus sit, an Romam venturus, an in Pompeiano, vbi erat mansurus, an fuga se se recepturus Arpinum, qui locus tutus esse videbatur.*

ROMAM ne desideremur] *Mihi potius, inquit, videtur vt Romam eam. hoc erat consilium* Ciceronis*. dubitabat tamen adhuc.*

IN EPISTOLAM IX.

MIHI non. firmas copias habet] *Tornæsianus*, si firmas copias habet. *sed vt à vulgatis, sic etiam à Crusellino abest praticula*, si, *& rectè quidē.*

IN EPISTOLAM X.

VI. KAL.] *A vulgatis abest vox* KAL. *quam in meis manuscriptis reperi, ideóque in meum exēplar transtuli.*

IN EPISTOLAM XI.

EX quo ἄνθη ipsa] *Legendum, vt rectè Lambinus emendauit*, ἄνθη ipsa. *nam librarij vitiosè Latinis litteris scripserunt*, ante, *pro*, ἄνθη.

At st, ægrè me tenui] *Veteres libri,* ast ægrè me tenui. *reposui,* at st, ægrè me tenui. *st particula est qua silentiũ indicitur, sermóque loqui volentium reprimitur. Terentius,* quid? nónne is obsecro es, quem semper te esse dictitasti? C. st. S. quid has metuis fores? *Itaque, quia vix* Cicero *se se represserat, mox addidit,* ægrè me tenui.

Sine ὕθλῳ] *Nostri omnes,* sine vllo. *puto Ciceronem scripsisse,* sine ὕθλῳ: *hoc est, sine nugis & garrulitate Lucilliana. hoc enim vitio valde laborasse Lucillium testis est locuples Horatius.* ὕθλος, *inquit Hesychius,* φλυαρία, μωρία, λῆρότης, φλυαφία. *Plato libro primo de Republica,* ὡς ἐγὼ οὐκ ἀποδέξομαι, ἐὰν ὕθλους τοιούτους λέγῃς: *& in Theæteto,* ταῦτα μὲν γὰρ ἐστὶ ὁ λεγόμενος γραῶν ὕθλος, ὡς ἐμοὶ φαίνεται.

Illis triumviris] *Iocus est in voce Triumuiris, qua non modò significauit ternos præfectos agris diuidundis, aut Triumuiros capitales, aut Monetales, aut nocturnos, sed etiam trium mulierum viros.*

Facete ni sit] *Emendaui,* facetè ni sit, *cùm scriptum legissem in Tornæsiano,* facetè nisi. *moriar, inquit, nisi sit facetè dictum.*

Eodem iure quo Rubriana] *Antonius multa subiecerat Romæ testamenta, quibus heres scribebatur. in iis fuit testamentum L. Rubrij, cui ne notum quidem illum fuisse tradit* Cicero *Philippica secunda. sed & in prædia quædam inuaserat Q. Metelli Pij Scipionis, vt Philippica* v. *refertur. ideo cùm Philippica secunda sic initio* Cicero

scripsisset, ab hac perturbatione religionum aduolas in M. Varronis sanctissimi atque integerrimi viri fundum Cassinatem; quo iure? quo ore? eodem, inquies, quo in Scipionis, quo in heredũ L. Turselli prædia: *admonitus postea ab Attico illud de prædiis Scipionis non satis appositè cum aliis facinoribus Antonij, quæ ibi commemorantur, coniungi, mandauit ei, vt pro*, Scipionis, *reponeret*, Rubriana. *& sanè hodie eo loco non*, Scipionis, *sed* L. Rubrij, *legitur.*

TER contra ciues in acie] *Hæc referenda sunt ad ea verba Philippicæ secundæ*, ter depugnauit Cæsar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania. omnibus adfuit his pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit; si de meo iudicio quæris, nollem. sed tamen consilium à principio reprehendendum, laudanda constantia. *Præuertit me Lambinus in his notandis, cùm ea primum à me accepisset.*

INDIGNISSIMVM est] *Vulgati libri*, indignius esse. *sed potiùs credendum Tornæsiano & Crusellinio ita referentibus*, indignissimum est. *vult enim* Cicero *corrigi hæc verba è secunda Philippica*, quid indignius, quàm viuere eum, qui imposuerit diadema, cùm omnes fateantur iure interfectum esse qui abiecerit? *vult, inquam, in his verbis pro*, quid indignius, *substitui*, nónne indignissimum est. *ac certè vidi vetus Philippicarũ exemplar, vbi exaratum erat*, nónne indignum est; *quamquam id ipsum vitiosè. nam pro*, indignum, *scriptum oportuit, vt hic iubet* Cicero, in-

dignissimum.

QVAE exspecto] *Victorianus & vulgati*, quē exspecto. *nostri veteres*, quæ exspecto. *& sanè* κεφάλαια *exspectabat*,

O qualis tu semper istos!] *Quales, id est, quàm exitiosos Reipublicæ tu semper existimasti istos, qui ore & vultu se bonos viros fingūt & eorū amātes, qui Rempublicam à tyrannide vindicare conantur, cùm re ipsa acerrimi sint extincti tyranni, & eius actorum defensores.*

ITA'ne in D. Brutum?] *Itáne in D. Brutum aliquid isti machinantur?*

DII istis] *Scripsi ex Crusellino*, Dij istis. *Dij, inquit, istis male faciant. sic epistola prima huius libri*, Dij hercule istis.

NEQVE Torquati] *Rectè Crusellinus*, negotiolo stiturum puto: *neque, inquit, me puto stiturum Torquati negotiolo, vt ei præsto sim quemadmodum pollicitus fueram. sistere se negocio dicitur, vt sistere se iudicio.*

IN EPISTOLAM XII.

ΠΟΝΟΥΜΑΙ enim] *Tornæsianus, & Huraltinus*, bonum enim. *Victorius ex coniectura*, bonum animum, *Crusellinus*, pono vni enim. *puto Ciceronem scripsisse*, πονοῦμαι enim: *quod est, molestia & labore conficior, quòd à te absum.*

IN EPISOLAM XIII.

VI Idus cùm ante lucem] *Scripsi, vt erat in Crusellino*, VI. Idus: *quam lectionem idem auctor confirmat epistola* X. *huius libri. eam enim scribit*

se dedisse VI. *Idus manè in Sinuessano. sed hoc iamdudum animaduertit Corradus.*

AD pontem Tirenum] *Nolui ab antiqua lectione nostrorum manuscriptorum recedere, in quibus erat*, ad pontem Tirenum. *Vulgati*, ad pontem Tiretium.

ΠΑΡ' ἠνεμόεντα μίμαντα] *Eleganter Psyriæ insulæ situm ab Homero descriptum accommodat insulæ Arpinatis positioni. nam vt Psyria media interiacebat inter Chium insulam, & montem Mimantem, sic hæc Arpinas inter Apenninum, & viam Appiam. itaque Mimantis nomine Apenninũ significauit, quem Minturnis Arpinum proficiscentes dextrorsum habent, vt sinistrorsum viã Appiam. monuerat autem Atticus Ciceronem, vt cùm è Campania Romam rediret, non rectà, hoc est, via Appia, propter Antonium, sed per insulam Arpinatem, relicta sinistrorsus Appia, iter faceret. Ideo initio huius epistolæ ait in ponte Tireno, qui Minturnis erat, flexũ fuisse ad iter Arpinas; & epistola* X. *se venisse à Minturnis Arpinum versus.*

ET VIA ἀμάρα] *Vulgati codices*, via inepta: *Tornæsianus*, via mata: *Crusellinus*, via amata: *lego*, via ἀμάρα. *significat enim Cicero sic aqua viã stagnasse, vt instar cuiusdam ἀμάρας fuerit. est autem ἀμάρα sulcus, siue incile, quo aqua in hortos prataue ducitur. Pollux* δι' οὗ τὸ ὕδωρ φέρεται ἀμάραι, ὑδρορρόαι, ὀχετοὶ, σωλῆνες: & *Hesychius* ἀμάρα αὖλαξ, ἡ ἐν τοῖς κήποις ὑδρορρόη.

QVIBVS CENSS.] *Prisci manuscripti, quos habui*, quibus Censoribus, *rectè.*

IN EPISTOLAM XIIII.

QVINCTVS aui tui pronepos] *Crusellinus* Quinctus aut tui pronepos: *emendaui*, aui tui pronepos. *nam Quinctus filius matrem habuit sororem Attici. itaque pronepos erat aui matris suæ Pomponiæ, auique Attici.*

AEDEM Opis explicaturum] *Ex voce, ædē, coniici potest Ciceronem de Aedilitate Q. filij hîc loquutum fuisse. nam Aediles, vt ait Dionysius, ædes sacras curabāt; Aedilitásque primus erat honorum gradus. Itaque rectè hunc locum Manutius explicat.*

IN EPISTOLAM XV.

NEC dubito quin hoc totū] *Legendum, vt scriptum reperi in Tornæsiano, & Crusellino*, nec dubito, quin hoc totum leniùs administraturus sis.

ΣΡΑΤΤΥΛΛΑΞ ille] *Lambinus, spreta vetere lectione codicum manuscriptorum, corrigendum censet* στρατηλάτης. *ego verò veriorem puto priscam scripturam* στρατύλλαξ. *est enim deminutiuum, vt* νέαξ, πλούταξ. *Eodem ex fonte manauit mulieris nomen* στρατυλλὶς, *quod apud Aristophanem legitur in ea comœdia, quæ inscribitur* Λυσιστράτη.

HS. XXV. dissoluere] *Expressi scripturam nostrorum manuscriptorum. Eadem quoque summa refertur epistola* LII. *libri* XII.

VT fide sua] *Lego ex antiquis nostris*, vt fide sua. *Cicero filius se fideiussorem eius summæ consti-*

tuebat pro Montano.

IN EPISTOLAM I. AD PLANCVM.

EGI enim sæpe de ea re tecum] *Post vocem,* sæpe, *addidi*, de ea re, *vt in nostris legebatur.*

IN EPISTOLAM I. AD CAPITONEM.

TOTVM hoc da] *Deerat in editionibus verbum*, da, *quod ex Tornæsiano, & Crusellino restitui. Illa verò*, omitte Atticum, *παρενθέσει sunt includenda.*

IN EPIST. ALTERAM AD CAPITONEM.

ET res ita est firma] *Scripsi ex fide Tornæsiani, & Crusellini*, ita est firma.

IN VITAM ATTICI A CORNELIO NEPOTE CONSCRIPTAM.

STIRPIS Romanæ genere natus] *Vulgo mendosè*, stirpis Romanæ generatus: *emendaui*, stirpis Romanæ genere natus.

VT IN neutram partem] *Vt neque modica conspici posset, neque multa, sed mediocris.*

FINIS.

Excudebat Ratiasti Lemouicum
Hugo Barbôus
Anno salutis humanæ CIↃ IↃ XXC.

INDEX EXPLICATIONVM
Simeonis Bosii.

Aa iij

Laurentius Finckelthausius.

Index Græcorum verborum ab eodem Bosio explicatorum

Manus e tabula. Tres lineae. Apelles nunquam diem sine linea. Pergula. Sutor. Cum Alexandro iocabatur. Edictum Alexandri. Campaspe nuda. Inde anadyomene. Protogeni dignationem conciliavit. Metoposcopos. Venus est aut anadyomene aut Coa.

Protogenes Caunius fuit. Habitavit Rhodi. Jalysus. Quem cum pingeret, madidis lupinis victitavit. Ei picturam quater colorem induxit, subsidio vetustatis. Canis in ea mire factus. Spuma, spongia ab indignante impacta, expressa. Sic Nealces in equo. Demetrius rex Rhodum obsidens. Plinius lib. 35. cap. x. Paulo aliter hoc postremum Gellius cap. ultimo libri XV. Sed Plutarchus cum Plinio facit.

vt aspectu suauissimus, ita sermoni lenissimus, volunta
te, vero ita clemens, vt quos ipsemet hostes indicarat,
eos paulo post humanissime complectebatur.

Quo imperante ita quieta et pacata omnia vidimus,
vt non domi suae quisquam in lectulo suo, ~~q~~
~~tutior~~ a grassatoribus, quam in publicis iti-
neribus foret.

Qui semper operam dedit, vt in urbe ~~mala~~ quidem
omnia ne nominarentur quidem, bona autem semper
in maximo pretio essent.

Suos in amplissimum collegium non tam ob coniunctionem
sanguinis, quam se a suscepto iudicio non demouit multis
argumentis declarauit, sed propter raram quandam et
inusitatam illorum virtutem ac prudentiam adsciuit.

Quem vnquam vidimus, cui caritas publica magis
cordi fuerit?

Aliena ita curabat, vt sua: suis ita abstinebat,
vt alienis.

Humani a se nihil alienum putabat.

Non omnes in filii, sed filium in omnium loco habebat.

FINE